17

47

Nr.

del Collegio de la Comp.a de Jesus de Granada
R. 3069

# M. ANTONII MARSILII COLVMNAE BONONIENSIS I. C.

Archiepiſcopi Salernitani

# HYDRAGIOLOGIA

*Siue*

De Aqua Benedicta.

*Ad S. D. N. D. SIXTVM V. Pont. Opt. Max.*



*Cum Priuilegio Summi Pontificis.*

*ROMÆ,*

Typis Bartholomæi Bonfadini. M D LXXXVI.

EX AVTORITATE SVPERIORVM.

SIXTI V. Pont. Max. Priuilegio cautum eſt, ne quis Hydragiologiam Archiepiſcopi Salernitani intra Decennium, ſine Autoris conſenſu imprimat, aut alibi impreſſam apud ſe habeat, aut diuendat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac quingentorum aureorum pœna, vt in S. Sanctitatis diplomate latius continetur. Sub Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XV. Maij M D LXXXVI. Pont. ſui anno ſecundo.

# SANCTISS.MO PATRI ET D. N. D. SIXTO V. PONT. OPT. MAX.

M. ANTONIVS MARSILIVS Columna Archiepiſcopus Salernitan. S.

*CVM ſuperioribus annis Sixte Pōtifex ſanctiſsime in eam potiſsimum curam incumberem, quæ Epiſcopis circa ſibi commiſsi gregis uiſitationem eſt demandata; illud ſemper mihi fuit præcipuum, vt quantum in me eſſet, fructum aliquem ad animarum ſalutem Deo adiutore afferrem. Quamobrem quotieſcunque pro iniuncto mihi munere oportuit Eccleſiam Salernitanam, illiuſque diœceſim perluſtrare, id inprimis a fidelibus mihi concreditis obnixe cōtendi, vt pro fidei catholicæ propagatione, pro extirpandis hæreſibus, pro ſanctæ Eccleſiæ pace, Romanique Pontificis perpetua incolumitate*

*pias ad Deum preces funderent, idque vt purius & ſalubrius efficerent, operam dedi, vt primum ab eis peccatorum humili, atque ex animo confeſsione præmiſſa, illos ſanctiſsimæ Euchariſtiæ ſacramento reficerem. Deinde ſi quæ repertæ eſſent inter illos diſcordiæ, lites, aut odia, quibus maxima quæque labuntur, quæue aliquando religionem ipſam ſubuertunt, eo quo poſſem ſtudio, ac diligentia, Deo inprimis autore componerem, ac penitus ſedarem, eoſque ad charitatem, fidem, diuinorumque præceptorum obſeruationem ita hortarer, vt diuinæ pietatis, ac beneficentiæ memores mutuo ſe amarent, viciſsim adiuuarent, & catholicam fidem vere profitentes Deo ſeruirent: Studui præterea ea præſtare, quæ & religioni, & diuino cultui, moribuſque ad ſacrorum canonum præſcriptum, quantum fieri poſſet conformandis præcipue conducere poſſe viderentur. Spero autem in Dei benignitate, a quo omne bonum oritur, me in hiſce ſpiritalibus fructibus procurãdis non omnino inutiliter in vinea Domini laboraſſe. Ea vero proxima fuit cura, vt in ijs quoque, quæ ad Eccleſiaſticos ritus, ſãctaſq. traditiones, & conſuetudines conſeruandas, & retinendas pertinent, aliqua a me opera præſtaretur. Itaque optimorum aliquot Epiſcoporum exemplo, & conſtitutionibus excitatus, cenſui inſtaurandum illum vſum, qui vbiq. fere apud Chriſtianos obſeruatur, Salerni vero aliquatenus intermiſſus fuerat, vt ſtato tempore vniuerſæ domus maiori qua fieri poſſet deuotione aqua benedicta aſpergerentur. Quod cum iubeo, inmoremq. inducendum curo, ſucceſsit id quidẽm ex ſententia, atque ſumma alacritate, & animi propenſione a commiſſo mihi populo & ſuſceptum eſt, & ſedulo obſeruatur. Ceterum cum Zelus ipſe animarum ſalutis, quo me magnopere accendi ſentiebam, adhuc me ſolicitaret amplius, videbar non omnino mihi ſatisfeciſſe, niſi quacunque ratione poſſem, eam piam, & ſalutarem conſuetudinem in ea ciuitate, & diœceſi conſtabilirem, ne vllo vnquam tempore facile dilaberetur, aut obſoleſceret. Quare factum eſt, vt in ſententiam venerim ſcribendi aliqua, quibus & vſus illius, quem inſtaurandum curaueram, ratio eluceret magis, ac etiam luſtralis huius aquæ præſtantia, vis, atque multiplices illius fructus demonſtrarentur, indeq. ad piorum animos eius adhibendæ, ac maiori*

reti-

reli-

religione conſeruandæ maior fieret acceſsio. Quam ſane cogitationem adiuuare viſa eſt ipſa etiam de aqua tractatio, quæ ſuauis, ac iucunda in primis videbatur æſtiuo tunc tempore, cum id mihi propoſitum eſſet. Sed me multo magis permouit tuum, Pater Beatiſsime, in aqua ad Vrbem perducenda inſigne ſtudium. Neque enim Sanctitas tua contenta eſt beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli venerandas ex ære imagines pergrandes moliri, quas ſupra geminas cochlides duorum veterum Imperatorum columnas collocet. Nec animi tui magnitudini ſatis eſſe viſum eſt aggredi illam omni memoria dignam tranſlationem Vaticani Obeliſci ante ipſam Vaticanam Baſilicam in ſanctæ Crucis, ac eorundem Apoſtolorum gloriam: quod opus vti ſua magnitudine & difficultate ſummos ante hæc tempora Principes Vrbis & Orbis dominos deterruit, ita a te (quæ manifeſtima diuinæ in te clementiæ ſignificatio, huiusq. operis a diuina bonitate acceptatio) ſumma celeritate, ac felicitate perficitur, vt prius confectum quam cœptum videatur opus. Quin etiã aquis adeo delectaris, vt Exquilias, ac Quirinalem iampridem ſitientes magno artificio ſumma impenſa

penſa

penſa, ac Regia plane magnificentia ad communem totius Vrbis vtilitatem, ornatumq. Felici illa aqua, quæ iam per omnium ora ſubſultat, abunde irrigare, ac veluti ex alti montis tui vberibus ſuauiſsimos latices aridæ illi regioni præbere ſtudeas. Immo vero, quod longe eſt præſtantius, doctrina tua, ſanctitate, religione, ſanctiſsimarumq. legum tuarum fluentis, non prouinciam vnam, vt Nilus Ægyptum, ſed orbem terrarum vniuerſum non præſenti ſolum ſæculo, ſed quot quot decurrẽt tẽporibus irrigas, irrigabisq. & ad vberrimos ferendos fructus reddis paratiſsimum. Neque enim hic locus eſt, vt fuſius explicem, quibus rationibus Eccleſiaſticam ditionem, dicam vere, Italiam vniuerſam facinoroſis hominibus perpurgaueris, & ceu ſol exoriens moleſtas tenebras extemplo diſpuleris. Quodq. in tanta rei frumentariæ inopia & difficultate, frugumq. omnium caritate Vrbi, ceteriſq. prouincijs magnam annonæ copiam præbueris, & conſeruaueris. Quodq. Pontificium peculiare ærarium Apoſtolicæ Sedis præſidium ſine vllo ſubditorum incommodo, tua potiſsimũ frugalitate, Chriſti Vicario vere digna, tanta celeritate comparaueris, tanta prudentia ſtabi

liueris

*liueris. Quodq. latas rectaſq. vias ad ſanctas Baſilicas aperueris, & æquatis vallibus magnifice ſtraueris, vt piam ſacrarum peregrinationum conſuetudinem a pleriſque neglectam reuocares, ac faciliorem redderes. Quodq. Pontificias cappellas ad ſacras Sanctorum martyrum reliquias, præcipue vero in omnium Eccleſiarum matre Conſtantiniana Lateranenſi baſilica, diuino plane ſpiritu, reſtitueris. Sed me virtutis tuæ operumq. tuorum iucundiſsima commemoratio lõgius neſcio quomodo prouexit. Quare vt eo reuertatur vnde digreſſa eſt oratio, cum de aqua benedicta ſcribere cogitarem, accidit poſtremo & illud ſane pergratum, comperiſſe me Beatiſsimum Apoſtolum & Euangeliſtam Matthæum, cuius ſacro & venerando corpore Salernitana Eccleſia decoratur, inſtitutorem benedicendæ huius aquæ primum fuiſſe. Cum vero partus hic formaretur, inerat ſemper illud animo meo, in eaq. ſemper cogitatione verſabar, vt Beatitudinem tuam quantocyus uiſerem, vtq. ad ſãctiſsimos pedes tuos prouolutus de ſupremo hoc tuo vniuerſi orbis imperio coram gratularer. Itaque dum hæc ſcriberem, videbar quaſi per ſingulas notas Romam*

*verſus*

*verſus conceptum iter inſtituere, & proſequi, atque eo appropinquare. Cum primum igitur abſolui ſcriptionem hanc, vtcunq. potui, in qua huius aquæ ab exordio naſcentis Eccleſiæ inſtitutionem, ſanctiſsimumq. illius vſum, vimque & diuinæ ſcripturæ, & SS. Patrũ autoritatibus, ac omnium fere nationum, quæ Chriſtianam fidem profitentur receptione, rituque aduerſus hæreticorum blaſphemias comprobare conatus ſum; ſtatim Romam aduolaui Sãctitatem tuam veneraturus: factuſque voti compos Hydragiologiam hanc, qualiſcunque illa ſit, auguſtiſsimo nomini tuo iam inde ab initio dicatam ad ſanctiſsimos pedes tuos appono, tuæq. tutelæ committo. Vt vel hinc ſaltem aliqua veteris obſeruantiæ meæ erga Sanctitatem tuam ſignificatio extaret: fieretq. etiam inde, vt commendatior liber in manus hominum prodiret, & quaſi nutu quodam tuo, ceteros etiam terrarum orbis Chriſtifideles excitaret, vt pie magis hoc remedio vtantur: reformidarentque in primis hæretici, qui omnia deprauant, quæ aduerſus eorum deliramenta a catholicis conſcribuntur. Quod ſi hæc vti a me omni animi mei propenſione ac ſtudio S. Tuæ & dantur & dicantur, ab*

** *eadem*

*eadem intelligam qua ſolet cetera humanitate & ſuſcipi & probari, erit mihi profectò quam iucundiſsimum, efficietq. vt ad alia etiam ſub feliciſsimi nominis tui auſpicio conficienda animum adÿciam. Deus Opt. Max. Beatitudinē tuam in maximis iſtis, atque grauiſſimis occupationibus, & curis, in quas pro totius Chriſtianæ reipub. ſalute tantopere incumbit, dum vniuerſum orbem ſumma prudentia, optimoque iudicio adminiſtrat, ac moderatur, diuinam plane mentem, vt exoptat, maioresq. in dies vires, ac multos annos adÿciat, ac largiatur.*

*Romæ Kal. Auguſti. M. D. LXXXVI.*

# IO ANGELVS PAPIVS

## *M. ANTONIO MARSILIO Columnæ Archiepiſcopo Salern. S. D.*

CVM proximis ſuperioribus diebus, & a Maſſa noſtro, & ab alÿs eruditis viris, renunciatum mihi eſſet (Præſul Ampliſſime) de opere a te nuperrime excuſo, cui HYDRAGIOLOGIAE nomen eſſe voluiſti, audiſſemq. ingenij tui nobiliſſimos labores, ſtudiorumq. vberrimos fructus ab ijſdem miris laudibus ad cælum ferri; dici non poteſt quanto ipſe inſcriptionis præſertim nouitate permotus, operis legendi deſiderio flagrare cœperim, atque æſtuare; tanta nimirum, vt ne tantillum quidem morę æquo animo ferre quiuerim. Tandem in lucem emittitur liber. Continuo ad me (quæ tua fuit humanitas) tuo nomine defertur: ego vero, cæteris omnibus poſthabitis negotijs, quæ vndique per id tempus ingruebant, toto me animo operis lectioni auidiſſime dedo, & quoniã inex-

inexhauſta operis percurrendi tenebar cupiditate, prius ad calcem me perueniſſe, quam e carceribus promouiſſe ſenſi. Quæris quid ſentiam? ingenuo, fidentique animo dicam, nihil nec doctius tuis iſtis lucubrationibus, nec ingenioſius quicquam, nec argumẽto quod tractas difficilius, aut iucundius mihi videri potuiſſe. In primis nos mirifice delectauit, tantarum reconditarum rerum vbertas & varietas, qua uel prudentiſsimus quiſq; facile refici, ac recreari queat. Atq. vt in pauca, quæ longiore eſſent oratione explicanda, conferã; Vnus hic liber, omnium artium, omniumq. diſciplinarum redolet cognitionẽ, & præterea elegantiam, latiniq. ſermonis munditiam, cum rei pertractatæ ſummo decoro; omnia ſunt in eo diſtincte, apte, ornate, prudenter, & copioſe tum verbis lectiſſimis, tum ſententijs grauiſſimis diſputata, vt nihil eorum, quæ ad id ipſum quod tractãdum ſuſcepiſti, pertinere videbãtur, a te prætermiſſum ſit. Manãt ex Oceano aquæ omnes, maria, flumina, lacus, fontes, ea omnia ex vberrima, ac diſertiſſima tua HYDRAGIOLOGIA feliciſſime effluunt, ac propterea ei magnopere congruere videtur, quod de Oceano ipſo cecinit Homerus:

Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα.
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ ναοῦσιν.

Quæ res in magnam me rapuit admirationem: ſic enim mecum ipſe cogitabam, atq. ratiocinabar, quì fieri poſſet, vt in tua tam occupata vita, totaque eccleſiæ Salernitanæ tuæ penitus addicta, cum his ſtudiis ita rationem habeas, ac ſi in altiſsimo otio verſeris, inſigne profecto indicium ingenij excellentis tui, cum quod omnem hominis curam deſiderat, id ipſe cotidianis diſtrictus occupationibus præſtas, & omnibus numeris abſolutum. Quocirca Deum Opt. Max. quęſo, vt te diu nobis incolumem ſeruet, quo alia quoque quæ in diuturna adhuc latent obſcuritate, præſtanti tuo ingenio illuſtrari queant. Cæterum, quod tantum nomini meo laudis in tuis ſcriptis impertis, debeo tibi tantum, quantum ab eo abſum, vt merito lauder. Sed quoquo modo ſe res habet, me abs te, hoc eſt a viro humaniſsimo, omnique virtutum genere ornatiſsimo ſic diligi vehementer gaudeo, tuamq. iſtam propenſam, atque egregiam erga me voluntatem permagni ęſtimo, ac proinde immortales tibi gratias ago, relaturum enim me affirmare non poſſum. Vale religioſiſſime Antiſtes, meq. tui cupidiſsimum, atq. ſtudioſiſſimum in tuo ære eſſe tibi perſuade. Romæ in Palatio Vaticano.

# LAVRENTII PESI EPISC. CAPVTAQVEN.

TETRASTICHON

## Ad SIXTVM V. Pont. Max.

*Non tam dona iuuant Bacchi, quam ſanctus hic imber*
*Notus Marſilij Præſulis ingenio.*
*Præſtitit ille minus, meruiſſeq. dicitur aras,*
*Tu, quæ Marſilio præmia SIXTE dabis?*

## Ad eundem.

CAESARIS MALAVICINI VITERBIENSIS.

*SIXTE Pater, cuſtosq. Orbis; cui traditur vni*
*Claudere ſidereas, & reſerare fores.*
*Ingens tu pelagus doctrinæ, vincis ab alto*
*Viribus eloquij flumina ducta Iugo:*
*Inq. Crucis ſignum, vt dextrę motu omnia luſtras,*
*Sic eadem hęc luſtrat cuncta ſalubris Aqua,*
*Vnde tibi Antiſtes doctus, ſanctusq. decorum*
*Id luſtralis Aquæ iure dicauit Opus.*

*Ad*

## Ad eundem.

GRATIAMARIAE DE GRATIIS.

*Flumina, quæ dudum cæcis latuere cauernis,*
*Flumina luſtralis, non pluuialis Aquæ,*
*Erumpunt tandem, diasq. in luminis auras*
*Auſpicijs veniunt SIXTE Beate tuis:*
*Christiadum ſordes, te præcipiente, lauabunt,*
*Et latebras rurſus, te prohibente, petent.*
*Vtrumq. eſt præſtare tuum; da lambere terras,*
*Flumina luſtralis, non pluuialis Aquę.*

IO. BAPTISTAE STELLAE.

*Prima ne prodierint cunctarum ſemina rerum*
*Et tener e liquidis creuerit Orbis aquis;*
*Anxia priſcorum dubitauit turba ſophorum,*
*Lisq. ſub incerto iudice pendet adhuc:*
*At doctis ſparſum monumentis quicquid Idumes,*
*Quicquid habet Latium, Gręcia quicquid habet;*
*Tam bene luſtrales collectum inuoluis in vndas,*
*Ceu grauidos torrens qui populatur agros:*
*Vt quicunque tuo defiget lumina libro,*
*Certus ineſſe tuis omnia iuret aquis.*

*SCI-*

## SCIPIONIS MAZZELLAE.

*Non tibi Caſtalios datur hic haurire liquores*
*Per iuga quos vatum turba profana petit:*
*Sed fluit exundans hic fluminis vnda beati;*
*Qui pia chriſtiadum pectora ſanctificat.*
*Qui ſtygias furias tenebroſa in tartara pellit;*
*Vnica ſic lymphæ guttula terret eas.*
*Marſilius Præſul, quo non ſapientior alter,*
*Cæleſti hoc hominum pectora rore rigat.*
*Mira Panomphęi reſerans myſteria* CHRISTI,
*Dum tot ſanctificę ſymbola pandit aquę;*
*Ferre ideo dignus radiantem e murice lænam,*
*Et populis late reddere iura pijs.*
*Cuius non metuet Lethes obliuia nomen:*
*Doctrinę ob tantę dogmata ſacra viri.*

## PAVLI PORTARELLI.

*Unde ſalutiferi fontis miracula, vires,*
*Virtutesq fluant, quę ſint myſteria ſacræ*
*Lymphæ, ſanctificat templis quam rite ſacerdos,*
*Vnde illam tantum paueat Rex pallidus Orci,*
*Et fugiat dæmon latebroſa in parte barathri*
*Se propere condens, ſancta tremefactus ab unda,*
*Ordine mirando, verborum & pondere plenus*
*Splendor Apoſtolici cœtus, ſacriq. Senatus,*
*Et ſophiæ lumen radians, & gloria Rheni.*

*MAR-*

*MARSILIVS præſul, nulli pietate ſecundus*
*Explicat; ęthereo perfundens nectare mentes,*
*Incendensq. omnes Chriſti ipſe accenſus amore:*
*Qui luſtralis aquæ dum ſymbola tanta diſertus*
*Doctor multigenis reſerat, ſenſisq. profundis,*
*Fontibus Hebręis hauſtis, veterumq. Latinis;*
*Luce noua mundum, magnumq. illuſtrat Olympum.*

## PETRI GATTVLAE.

*Quid ſimplex Aqua, lector, erit? ni viuidus humor*
*Terrę in corde latex, iugiter vnda fluens.*
*Quę mare, flumen, ſtagna, lacus, puteiq;, paludes:*
*Non luſtralis erit, nec benedicta Dei.*
*Non eadem luſtralis aquę cum flumine virtus:*
*Viuę ſint, Viui fontis, vtręq; licet.*
*Attingit corpus, ſed cor, mutata, proterui,*
*Fœdatum tergit, dęmonis arte, mali.*
*Hunc pellit, terretq;: iuuat, confertq; ſalutem:*
*Et (verbo vt dicam) deniq; multa poteſt.*

## FABRICII CALOYRAE AD LIBRVM.

*Ergo ſic pereat lector? cur diceris Hydra,*
*Cui turpe halanti proximus opprimitur?*
*Hydra vocor, quę viuit, aqua; ſum totus aquarum*
*Plenus; in hęreticos dira venena vomo.*

*Quid tibi cum belua, quę immanis hiatibus Orci*
*Clauſtra tenet? Facio, vt tartara nemo petat.*
*Quonam forte modo? doceo, quę vera ſalutis*
*Sit via, qua Dæmon pellitur arte malus.*
*Ille tamen capitum tantus, quo pertinet ordo?*
*De numeris docte diſſero multa ſacris.*
*Cur, vno exciſo, exoriuntur plura ſubinde?*
*Argumenta quidem plurima contineo;*
*Quod, ſi forte velis vnum turbare ſophiſta,*
*Mille alia inſurgunt, mille renata vides.*
*Nempe liber multis multum rationibus vrges,*
*E græco nomen ſumere fonte potes.*
*Accedant omnes igitur, paueantq. nec unquam,*
*Hydragiologiæ voluite ſemper opus.*

ΙΩΑΝΝΟΥ ΦΡΑΚΙΣΚΟΥ ΛΟΜΒΑΡΔΟΥ
πρὸς τὸν Αναγνώςην ὀκτάςιχον.

Ὕδατος ἠνὶ λόγον γράψ᾽ ἀρχιεπίσκοπος ἁγνοῦ,
Ὡς φεύγῃ δαίμων, δαίμονος ἠδὲ δόλος.
Τῷ λόγῳ αἱρετικῶν ἐκβολβίζονται ἔλεγχοι
παλαιοὶ, ψιδιδῶν δόγματα καινὰ σοφῶν.
Μητρὸς παραδόσεις ἁγίης Αναγνωςὰ διδάκει
Μαρσίλιος, σὺ τοῦδον παντὶ χρόνῳ ἐυ φίλει.
Καὶ εὔχε κυρίῳ ζῆν Νέςορος ἤματα μακρὰ,
Ισχύῃ ὁσίως δόγματα πολλὰ γράφειν.



# EIVSDEM SEMIGRAECANICVM
## Dodecaſtichon.

*En opus exegit generoſa Columna, vetuſtas*
*Non delebit edax, nec Iouis ira minax.*
*Non Cataclyſmum metuet, quia ſymbola ſunt hæc:*
*Non ignem, cum ſit* τοῦ πυρὸς ἀντίδοτον
*Marſilij quod ſi SIXTVS Hierarcha probabit*
*Scripta, ſimul ſacri cantica erunt* δράματος.
*Pacifici mille, & cuſtodes deinde ducentis*
*Iuncta chori facient ſymbola Apoſtolici.*
*Petrus apoſtolici vertex, & petra Senatus:*
*Bracchia ſunt alij ſedis Apoſtolicæ.*
*Marſilius viuat cum SIXTO. Eccleſia CHRISTI*
*Viue* μάκαρ; φοβέου οὐχὶ θύρας μὲν ἅδου.

Εἰς τὸν τῆς ὑδραγιολογίας βίβλον λαμπροτάτου καὶ εὐλαβεςάτου τοῦ Μάρκου Αντονίου Μαρσιλίου Κολέννου τοῦ Σαλέρνου ἀρχιεπισκόπου Ῥωγήριος ὁ δορισεὺς βησσαῖος.

Τιμῆσιν μάλα καλὸν ὅ τοι γὰρ πίνδαρος εἶπεν
ὕδος ἄρισον ἄγαν τ᾽ ἔνθεον εἰ μὲν ἔπος.
Ἀλλὰ λίαν τε σοφῶν τῶν πάλαι θυμοδάκης περ.
Νοῦν παγχ᾽ ἡ δνοφόεις εἶχεν ἀμηχανίη.
Μαρσίλιος περίφρων πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
Δύςροφον ἂν θ᾽ ὕδατος μῦθον ἐπιφράσατο.
Κήτοεις ὡς ποταμοὶ χειμάῤῥοι ἂν ὄμβρικον ὕδωρ.
ἔρεος ἐκ κορυφῆς αὐξαμένοι, φέρεται.
Ὅσα παρ᾽ ἑβραίων θ᾽ ἑλλήνων ἢ παρὰ αὐτῶν.
ῥωμαίων βίβλος πανδέχεται ἐυ μόνος.
πάντα θέλων ἰδεῖν, τέλεος δ᾽ ἐν πᾶσιν ὑπάρχειν.
ὑδραγίας τεῦχος τοῖς ὑπὸ χερσ᾽ ἐχέτω.

Εἰς τὴν ὑδραγιολογίαν τοῦ ἐπιφανεστάτου, καὶ αἰδεσιμωτάτου ἀρχιεπισκόπου σαλερναίου.

Ἐπίγραμμα.

ᾄδοντας, Μάρκος, λυγυροῖς στομάτεσσι μελικτὰς
ὕδατα νολεμέως, ὠκεανόν τε μέγαν,
οἷς σπλίδεσσιν ἔπαυσεν ὑμνεῖν πόρε δ' ἐσσομένοισι
μείζονα τῆς ἰδίης ὠκεανὸν σοφίης.

אל המחבר המאור הגדול למארקו אנטוניאו מרסיליאו קולונה
יצו הגמון גדול מסאלירנו

אקוד ואשה אל כרוב ממשת    לפני כבוד הודו ותפארתו:
ארון ושר גדול מאד נעלה    כולל בכל חכמות תבונתו:
אשיר בשירי זה ואם רוה    אגיד מעט מרוב תהלתו:
מלא ומוכתר בא אלהיוה    גם מ קרושת אל חסירותו:
והיר וקנא מכבוד קונו    עוסק ומשתדל לעבדותו:
נאות וראוי לך לחבר זה    ספר מאד שפר באמרתו:
דורשאלי נוצרים במישרים    מאל תכינות מי קדושתו:
כי מי קדושים הם בחשבונם.    עולים חמש מאות ויוד אתו:
גם כן באותיות כבוד שמך    עולים כמספרם למעלתו:
יורה מחובר הוא במי רוח    קדש בסוד עליון בחכמתו:
לכן לבה קורא קראהו    תבין בשכלך את ידיעתו:
תמצא בתוכו בין ומושכלות    מעלות ומעמי דת יסודתו:
דמיון לגן הדור ובפרחים    מלא ושושנים למסגרתו:
פרדס ואלנות נטועים בו    נירות כתוקים שם לברכתו:
עבדך רפאל מבני נשרים    נכון בכל עתים למצותו:

# IO. ALFONSVS DE ZAMVDIO I. V. D.

## LECTORI SALERNITANO S.

SI veterum ſcriptorum, qui de Coma, de Caluitio, de Raphano, de Vrtica, de Apibus, deque id genus reculis integra opuſcula cõdidiſſe feruntur; intermortuam pene memoriam laudibus & admiratione adhuc proſequeris: vide quæſo candide Lector, quid nam ſtatuere te oporteat, de hac quam in manibus habes HIDRAGIOLOGIA, quantum laudare Illuſtriſsimi autoris tuos ante oculos obuerſantis pium conſilium, ingenij vero vbertatem ſuſpicere ac demirari æquum ſit. Illi enim profana argumenta, hic ſacrum aſſumpſit. Illi aut vanam delectationem aut leuem corporis vtilitatem curabant, hic non delectationem tantum ex rerum varietate maximam præſtat; ſed animo quoque pietatem, religionemque conciliat. Sanctam enim aquam vt cuique pro templorum foribus obuiam, ſic nimia familiaritate ne peius dixerim, in vulgus temere habitam, ſacroſanctã rem eſſe oſtẽdit, myſteriis refertam, veneratione digniſſimam, origine ad Apoſtolorum vſque tempora, referenda. Miracula vero quæ in ea per omne Chriſtianorum æuum diuinitus viri ſancti operati fuerunt, adeo tum eleganter tum ordinate recenſet, vt nihil ſupra. Eius quoq. ſanctificandæ ritus ac formulas ex omnium Chriſtiani orbis idiomatum ſacris libris diligentiſſime conquiſiuit, ac liberali ſumptu, non latinis tantum; ſed proprijs vniuſcuiuſque gentis characteribus imprimi curauit. Hæreticorum denique venenatos aculeos, quibus a ſanctis vndis arcere fidelem plebem impie moliuntur, ea fortitudine excipit, ea efficacia retundit, vt vere in MARSILIO Marſica virtus contra vipereum genus eluceat. Quibus ex rebus alijſq. plurimis ſcitu dignifsimis ac plane reconditis tractationem primo aſpectu exiguã, ad iuſti (vt vides) voluminis mẽſurã amplificauit. Ne igitur committas æquiſsime Lector, vt plus a te mortua quam viuens virtus, plus fama quam res ipſa, plus aliena ſæcula, quam tua laudentur: quinimo vt Pythagoras ex vno plantæ pedis oſsiculo totam Herculei cor-

poris

poris proceritatem dimenſus eſt, ſic tu qualis in magnis rebus ſcribendis ac peragendis noſter Archiepiſcopus futurus ſit, vel ex hoc ſolo (licet alia quoque opera proſtent) diiudicabis. Et hæc quidem cum cæteris lectoribus communia tibi ſunt Salernitane Lector. Porro cum in tuam præcipue gratiam Paſtor amantiſsimus inſudauerit, illud etiam præ cæteris curare te obnoxium agnoſcas velim, vt huius aliorumque beneficiorum inſignium, quibus tum Eccleſiam tum ciuitatem ſemper ornare ſtuduit, nec aperta profeſsio, nec recens vſque memoria, nec ſedula retributio deſideretur. Vale & ex florentiſsimo hoc ſcientiarum omnium Viridario, nouum ſemper odorem nouosque fructus expecta.

# MARCO ANTONIO MAFFAE I. C.

## Rogerius Odoriſeus S. D.

*CVm opus, quod περὶ τῆς ὑδραγιολογίας in lucem prope diem editurus eſt Antiſtes religioſiſſimus, & ſpectatæ virtutis Illuſtriſs. M. Antonius Marſilius Columna; ſuperioribus diebus apud eruditiſſimum, multæq; lectionis virum Ioan. Baptiſtam Stellam conſpexiſſem. pro eo quod mihi licuit, illius lectione ſum mirifice delectatus: eo enim ſcribendi genere propoſito, nihil potuit vel vberius ſcribi, vel perfectius elaborari, aut excogitari doctius, & quod excellentis illius ingenij ſummam vim, præſtantiam, ac magnitudinem oſtentet: quis non ingenue, apertiſſimeq; fateatur hunc vnum non tantum in latinarum, & græcarum litterarum ſtudio præclare verſatum; ſed Hebræorũ, exterarumq; omnium fere nationum, ac gentium linguis apprime eruditum: aquæ enim dotes omnes diligentius expendit nemo; exilem ſanè, & aridam inſtitutæ ſcriptionis ὑπόθεσιν grauiſſimis verbis, ſententijſq; lectiſſimis mirifice locupletauit, & illuſtrauit vſque adeo, vt ex obſcuriore, minuſq; explicabili illo Pindari dicto ὕδωρ ἄριστον, quod veterum ſapientum torſit ingenia, & denſiſſimam vniuerſo illorum cętui caliginem offudit ſolidam germanamq; vim, ac poteſtatem deprompſerit, & ita omnia antiquarum hiſtoriarum, Philoſophiæ, theologiæ, legis ex omnibus prope linguis petita exempla in medium profert, vt nihil ignorare vel certo certius cuilibet liberalium artium politiſſimo viro eſſe poſſit. Legimus C. Lucilium voluiſſe ea, quæ ſcriberet nec à doctiſſimis, neque ab indoctiſſimis legi: Ego vero de hoc vno opere magnis vigilijs, & laboribus exarato, illud liberius affirmare auſim non modo eum, qui de re litteraria non fuerit optime meritus, ab illius lectione reijciendum; verum etiam, qui in omni omnium diſciplinarum genere diu non fuerit, feliciterque verſatus: Quis in tam vaſto huius ὑδραγιολογίας, vel potius ἐγκυκλοπαιδείας oceano naufragium non perhorreſcat, & tot non inquam aquarum, ſed maximarum, clariſſimarumque ſcientiarum ſcopulos non reformidet? ego licet minus acri præditus ingenio, de alienis lucubrationibus, & eorum præſertim, qui bus cumulate omnia Deus elargitus eſt certum ferre non poſſim iudicium, aut teſtimonium, vel ex eo maximè, quòd hactenus in Præturis obeundis adeo fuerim diſtentus, adeo etiam rerum domeſticarũ cura, ac ſolicitudine oppreſſus, vt cum politioribus ſtudijs iam pridem diuortium omnino fecerim, & ea omnia, quæ ab ineunte ætate didiceram, memoria exciderint: non dubitaui tamen meam aperire ſententiam, & bacchanalibus hiſce diebus, animo meo vtcunque turbato inhærentes illi iuniorum ſtudiorum reliquias collegi, & quid περὶ τῆς ὑδραγιολογίας ſent iam verſibus græcis incõcinnis, minuſque numeroſis, ſimplicem tamen, atque apertam in ſe veritatem continentibus expreſſi: idque non fictæ, & vitioſæ ſimulationis, ac magnificę cuiuſdam oſtentationis gratia; ſed potius vt meæ in illius præſtantiſſimum, eximiumque autorem, qui de me plurimum eſt benemeritus, fidei & obſeruantiæ ſignum ſit hoc certiſſimum: quamuis poſt illius optimi patroni mei ad Vrbem reditum ſatis officio meo nõ fecerim, ad ædes eius ſalutandi gratia nunquam acceſſerim; neque illud ſolum in cauſa fuit, quod moleſtiſſimis, aſſiduiſque occupationibus fuerim implicitus, ac conſtrictus; ſed quod ſubruſticus quidam, planeque ſubagreſtis pudor ad hunc vſque diem ab illius facie me ſubtraxerit: qua in re non leuiter mihi erraſſe videor; nam quantum illi debeam mihi ipſe ſum conſcius, nec niſi ſummo cum ſcelere diſſimulare poſſem. Tu vero mi ornatiſſime Maffa, cum non modica apud eum virum gratia, & autoritate polleas, pro ea qua in me es beneuolentia, & in omnes præſtas humanitate, huius meæ negligentiæ cauſam ſuſcipias, ſuſceptamque ita iuſta & idonea excuſatione tuearis, vt nihil omnino à me erratum probes: ſi vero hoc ſuſtinere non poteris; adnitere ſaltem, vt admiſſæ culpę pœna, ſi qua forte teneri iudicatus fuero, condonetur: idque vt facilius conſequaris, mitto ad te ea carmina, quæ in eius operis commendationẽ græce ſcripſi, quibus etſi rem tantam nec ſatis diligenter expreſſi, nec opus illud verè aureum ſummis, vt par erat, laudibus extuli, compertum ſic habeas, quod nec verbis, nec oratione, aut vllis numeris perȩquari poteſt. Rẽ præterea feceris mihi gratiſſimam ſi abs te quam primum meo nomine illi reddentur. Quod reliquum eſt tibi perſuadeas ob ſingularem tuam eruditionem, præſtantiſſimaſque animi tui dotes te mihi eſſe chariſſimum, longe tamen fore chariorem ſi me in veterem Illuſtriſſimi M. Antonij Marſilij Columnæ gratiam reſtitues. Vale VI. Kal. Martij. M D LXXXVI.*

# ARGVMENTA OMNIVM CAPITVM quæ hoc libro continentur

## *Sectio Prima.*


QVæ ad aquam in vniuerſum pertinent, ac de varijs eius generibus. Cap. I. pag. 1

Aquæ nomen, vnde deductum ſit, multaque ex eo nomine huc ſpectantia. Cap. II. pag. 10

Quæ nam de aquę excellentia Ethnici ſapientes ſenſerint. Cap. III. pag. 21

Quæ item ſancti Patres, atq. cæteri Chriſtiani autores de aquę pręſtantia docuerint. Cap. IIII. pag. 37

Ex puteo Berſebah, qui ſeptem interpretatur, occaſione accepta, multa de ſeptenarij numeri myſterio non inutilia explicantur. Cap. V. pag. 68

Ethnicos, Hebręoſq. item Sacerdotes aqua vſos in ſacrificijs: Plura etiam ad aquas geſta, ac in veteri teſtamento relata. Cap. VI. pag. 105

Ethnicorum multos aquam adoraſſe, quave id de cauſa. Tum & de certis quibuſdam ex ſacris Sanctorum corporibus ſepulchriſue manantibus liquoribus, & Salernitanę ciuitatis laudes nonnullę. Cap. VII. pag. 112


## *Sectio Secunda.*


BEnedicendi verbo, ac benedictionis nomine, quidnam in ſacris litteris ſignificetur. Cap. I. pag. 128

Quamplurium rerum benedictiones, quæ apud Eccleſiam ſunt in vſu, vnde originem traxerint, quæue illæ ſint. Quis item benedicendæ aquæ autor ac inſtitutor fuerit. Cap. II. pag. 147


Quę


Quæ nam benedicendæ aquæ præcipua materia ſit. Cap. III. pag. 178

De altera parte materiæ aquæ ſanctę, id eſt, de Sale. Cap. IIII. pag. 206

Cuiuſnam propria functio ſit, aquam, de qua agimus benedicere. Cap. V. pag. 221

Quę nam illa ſint, quæ ſacerdotem interius pręparare oporteat, antequam aquam benedicat. Cap. VI. pag. 232

Quę item ea ſint, quę exterius, dum aquam benedicit pręſtare ſacerdos debeat. Cap. VII. pag. 245


## *Sectio Tertia.*


AN eandem vim habeat aqua a ſacerdote minus probo benedicta, quam illa cui bonus bene dixerit: Anue ſacerdos cenſura aliqua irretitus, aquam benedicendo irregularitatem incurrat. Cap. I. pag. 263

Aquam benedictam non eſſe ſacramentum: ſed ſacramentale. Tum qui illius ſint fructus. Cap. II. pag. 274

Aquam benedictam, ſuos effectus, præcipue vero venialium peccatorum remiſſionem, ex opere, quod aiunt operante inducere. Tum & de horum verborum latinitate. Cap. III. pag. 291

Aquam non benedictam, ſi benedictæ miſceatur & ipſam ſanctificari, ac quomodo id ſit accipiendum. Cap. IIII. pag. 298

Miracula, quæ ab exordio naſcentis Eccleſiæ ad annum Chriſti Octingenteſimum, aquę benedictę vſu accidiſſe inueniuntur. Cap. V. pag. 306

Quę item miracula, ad noſtrum vſq; ſęculum aqua benedicta adhibita acciderint. Cap. VI. pag. 308

Quam plura, hæreticos olim de aqua commentos fuiſſe. Circa vero aquam benedictam vehementer illos deliraſſe. Tum, quibus rationibus, & autoritatibus conuincantur. Cap. VII. pag. 423

Ritus varij benedictionis aquæ S. R. E. Salernitanę. Mozzarabū. Gręcorū. Armeniorū. Chaldęorū. Aethiopū. a p. 459. ad fi.


****

# CATALOGVS AVTORVM qui in hoc opere citantur.

## A

ABbas Panormitanus
Abdias Babylonicus.
Aben Eſdra
Acta Apoſtolorum.
S. Adololinus Sagiẽſis Epiſcopus
Adrianus Pontifex.
Agathius
Aggęus Propheta
Alanus Copus
Albericus
Albertus magnus
Albertus Pighius
Albinus Flaccus
Alfonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis
Alexander Anglus
Alexander de Ales,
Alexander Farra
S. Alexander Papa & martyr
Alexander Piccolomineus
Allegoriæ vtriuſque teſtamenti
Aloyſius Lippomanus
Alfonſus de Caſtro
Alanus Fortunatus
Altiſsiodorenſis
S. Ambroſius
Aluarus Gomeſius
Ambroſius Catharinus Archiepiſ. Compſanus ord. Pręedicatorum
Amos Propheta
Amoinus
Anchemolus
Andreas Alciatus
Andreas Baccius
Andreas Tiraquellus
Angelus de Clauaſio ordinis Minorum
Angelus Rocca ordinis S. Auguſtini
Angelus Pientinus ordinis Prædicatorum
S. Anſelmus
Antidotarium animæ
Antonius Campanus
Antonius Poſſeuinus ſocietatis Ieſu
Apollonius
Archangelus a Burgonouo ordinis Minorum
Ariſtoteles
Arnobius
Aſconius Pædianus
S. Athanaſius Alexandrinus
Athenęus
S. Auguſtinus
Auguſtinus Steuchus Epiſcopus Chiſami
Auguſtinus Iuſtinianus Epiſcopus Nebienſis ordinis Prædicatorum.
Auicenna
Aulus Gellius
Aurelianus Lemouicenſium Epiſcopus
Aurelius Prudentius
Auſonius

Bac-

## B

BAcconus
Bartholomeus de Angelis ordinis Prædicatorum
Bartholomęus Georgius Euitz.
S. Baſilius Magnus
Beda.
S. Benedictus
Benedictus Arias Montanus
Berengarius Cardinalis Epiſcopus Biterenſis
S. Bernardinus
Bernardinus Buſtus
Bernardinus Corius
Bernardinus Scardeonius
S. Bernardus
Bernardus Abbas Bonæuallis
Bernardus de Lucemburgo
Bertachini repertorium
S. Bonauentura Cardinalis & ordinis Minorum.
Burchardus

## C

CAelius Pannonius
Cælius Rhodiginus
Cantacurenus
Cæſar Baronus
Cantica Canticorum
Carolus Bouius Epiſcopus Oſtunenſis
Carolus Sigonius
Card. Varmienſis
Caſsiodorus
Catecheſis Neapolitana Ioan. Baptiſtæ Antonutij ordinis S. Auguſtini
Cedrenius
Chriſtophorus Landinus
Cicero
Claudius Guillaudus
B. Clemens Romanus
Clemens Alexandrinus
Concilium Africanum
Commentarius de rebus Indicis
Concilium Agatenſe
Concilium Hiſpalenſe ſecundum
Concilium Carthaginenſe tertium
Concilium Florentinum
Concilium Nannatenſe
Concilium Toletanum quartum
Concilium Tridentinum
Conradus Chlinghius
Conſtantinus Imperator
Cornelius Ianſenius
Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus ordinis Minorum
Coſmus Filiarcus
Coſmus Turrianus
Criſpinus
Cteſias Gnidius
S. Cyprianus
S. Cyrillus Alexandrinus
S. Cyrillus Patriarcha Hieroſolymitanus

## D

DAntes Poeta
Dauid Propheta
Demoſthenes
Deuteronomium
Didacus Couarruuias
Dyegus Payua
Diocles Cariſtius
Diodorus Siculus
Diogenes Laertius
S. Dionyſius Areopagita

Dionyſius Cartuſianus
Dioſcorides
Directorium Inquiſitorum
Dominicus Sotus ordinis Prędicatorum.
Donatus
Domitius Vlpianus
Driedonius
Duartes a Silua
Durandus ordinis Prædicatorum.

E

Eccleſiaſtes
Edinerus Anglus
Edictum Conſtantini Magni
Emanuelis a Coſta ſocietatis Ieſu epiſtolæ de rebus Iaponicis
S. Epiphanius
Epiſtolę de rebus Iaponicis
Eſaias
Eſdræ liber
S. Euariſtus Pont.
Euagrius
Eubolus philoſophus
B. Eucherius
Euchologium Græcorum.
Euripides
Euſebius
Euſtachius
Eutherius
Euthychianus Pont.
Euthimius
Exodus
Ezechiel Propheta

F

Felicianus Capitonus Archiepiſcopus Auenionenſis
Feſtus Pompeius
Flauius Ioſephus de antiquit. Iudaicis
Franciſcus Aluarez
Franciſcus Alumnus
Franciſcus Feu-ardentius
Franciſcus Georgius ordinis Minorum
Franciſcus Luiſinus
Franciſcus Pegña
Franciſcus Raphelengius
Franciſcus Turrianus ſocietatis Ieſu
Franciſcus Vazques in voluminib. nauigationum

G

Gabriel Biel
Gabriel Prateolus
Galenus
Geneſis liber
Georgius Cedrenus
Georgius Ederus
Gilbertus Genebrardus
Glauco
Gloſſa in ſexto
Godefridus Tilmannus
Gratianus
S. Gregorius Magnus
S. Gregorius Nazianzenus
S. Gregorius Niſſenus
S. Gregorius Turonenſis
Guido Fabricius Boderianus
Gulielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis
Gulielmus Eyſingrenius
Gulielmus Redoanus

Hector

H

Hector Pintus
Hermippus
Herodotus
Hieremias propheta
S. Hieronymus
Hieronymus Cardanus
Hieronymus Paphius
Hieronymus Romanus ordinis S. Auguſtini
Hieronymus Vielmus Epiſcopus Argolicenſis ordinis Prædicatorum.
S. Hilarius
Hippon
Hiſtoria Eccleſiaſtica
Homerus
Honorius
Honorius III. Pont.
Horatius
Henricus Cardinalis Oſtienſis
Hugo Cardinalis
Hugo Monachus
Hugo de S. Victore
Hyppocrates

I

S. Iacobus
Iacobus Naclantius
Iacobus Pamelius
Iacobus Sprenger
Iacobus de Vitriaco Cardinalis Tuſculanen.
Iacobus Vvecherus
Ianſenius
Ieſuitarum geſta in oriente
S. Ignatius
Innocentius III. Pont.
Innocentius IIII. Pont.
Ioacchinus Abbas
S. Ioannes
Ioannes Adelinus
Ioannes Altheſtaingus
Ioannes Andreas
Io. Baptiſt. Antonutius de Eugubio ordinis Eremitarum S. Auguſtini
Io. Bapt. Mantuanus
Io. Bunderius
Io. Caſsianus
S. Io. Chryſoſtomus
S. Io. Damaſcenus
Io. Diaconus S.R.E.
Io. Dauantria ordinis Minorum
Io. Epiſcopus Ciuitatis Dara
Io. Faber ordinis Minorum
Io. Franciſcus Picus
Io. Friburgus
Io. Goropius Becanus
Io. Gropperius
Io. Ludouicus Viualdus de Monte regali ordinis Prædicatorum.
Io. Maior
Io. Maria Politianus
Io. Montolonius
Io. Paulus a Scala Comes
Io. Perellius
Ioannes Picus
Io. Portheſius
Io. Petrus Maffeius
Io. Reulinus ordinis Minorum.
Ioan. Soarez Epiſcopus Coimbricenſis
Io. a S. Geminiano ordinis Prędicatorum in ſumma.
Io. Tauernerius
Io. Turrecremata S.R.E. Cardinalis ordinis Prædicatorum
Io. Viguerius ord. Prædicatorum.

Io.

Ioan. Viguerius ordinis Prędicatorum
Io. Vaſæus
Iob liber
Iodochus Clictouæus
Ioſeph Angles
Ioſephus de antiquit. Iudaicis
Ioſephus Stephanus Epiſcopus Veſtanus
Ioſue liber
S. Irenæus
B. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis
Iudith liber
Iulius Alexandrinus
Iulius Cæſar Scaliger
Iulius Higinius
Iulius Pollux
Iulius Rogerius protonotar. Apoſtolicus
Iunilius Epiſcopus Africanus
Iulius Africanus
Iuo Carnotenſis
Iuſtinianus Imperator
S. Iuſtinus Martyr

L

LActantius Firmianus
Lampus
Landinus
Landulfus
Laurentius Surius
Laurentius Villauincêtius ordinis S. Auguſtini
Leo Imperator
S. Leo Pontifex
Leonardus Vairus
Leuitici liber
Liber Capitularium tempore Caroli Magni
Lilius Giraldus
Liſiardus Epiſcopus Sueſsionenſis
Liuius
S. Lucas Euangeliſta
Lucianus
Ludouicus Bloſius
Ludouicus Caruajal
Ludouicus Granatenſis ordinis Prædicatorum
Ludouicus Maioranus ordinis Canonicorum regularium Epiſcopus Stabienſis
Ludouicus Viualdus
Loyſius Legionenſis Auguſtinianus

M

MAcrobius
Malachias propheta
Malleus Maleficarum
S. Marcus Euangeliſta
Marcellus Francolinus
Martiniana de geſtis Sum. Pont.
Martinus Azpilcueta
Martinus Cantapetrenſis
Martinus Polonus
Martinus V.
Martinus Sanderus
S. Matthæus Apoſtolus, & Euangeliſta
Matthias Aquarius ex Dominicana familia
Melampus
Menologium Græcorum
Michael Glicas
Michael Lochmaier
Michael Medina

Miſſa-

Miſſale Mozarabum
Miſſale Romanum
Miſſale Salernitanæ Eccleſiæ
Mar-Michael Patriarcha Antiochenus
Micrologus
Mombritius Boninus
Montanus
Moſcus

N

NAtalis de Comitibus
Nauarrus
Nemeſius
Nicephorus Caliſtus
Niceta
Nicolaus de Cuſa Cardinalis
Nicolaus Eymericus ordinis Prædicatorum
Nicolaus Londanus
Nicolaus de Lyra
Nicolaus Todeſcus Abbas Panormitanus
Numerorum liber

O

ODo Cancellarius Pariſienſis
Optatus Afer Mileuitanus
Ordo Romanus
Oribaſius
Origenes
Orpheus
Ottomarus Luſcinius
Ouidius

P

PAgninus in inſtitutionibus linguę ſanctæ
Palladius Cappadociæ Epiſcopus
Papias
Paradiſus Heraclidis
Paralipomenon libri
Parmenides
S. Paulinus Nolæ Epiſcopus
S. Paulus
Paulus Borgaſius
Paulus Egineta
Paulus Griſaldus ord. Prædicator.
Paulus Scaliger
Pelbartus de Themeſuuar ordinis Minorum
Perſius
Petrus Abbas Cluniacenſis
Petrus Bercorius ordinis ſancti Benedicti
Petrus Bongus
Petrus Caniſius ſocietatis Ieſu
Petrus Comeſtor
Petrus Crinitus
Petrus Damianus S.R.E. Card.
Petrus Galatinus
Petrus de Natalibus
Petrus de Palude ordinis Prædicatorum Patriarcha Hieroſolymitanus
Petrus Rauzanus
Petrus Sotus
Petrus Trecenſis
Philinus
Philo Iudæus
Philoſtratus
Pierius Valerius
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius
Pliſtonicus
Plotinus
Plutarchus

Pole-

Polemon
Polybius
Polycarpus
Polydorus Virg.
Pontificalis liber Armænorum
Proclus
Procopius
Prouerbiorum liber
Prudentius Aurelius
Pſellus in lib. de arithmetica
Pythagoras

R

Rabanus Maurus
Rabbi Abraham
Rabbi Salomon
Rainerius Piſanus
Raphael Aquilinus
Rathonius Epiſcopus Veronenſis
Regum lib.
Renatus Benedictus
Renatus Laurentius Labarre
Riccardus ordinis Minorum
Riccardus Dinothus
Robertus Epiſcopus Arboricenſis
Robertus Bacconus
Robertus Rechius
Romoaldus II. Archiepiſcopus Salern. in ſuis chronicis manuſcriptis
Roſarium Buſti
Roſarium Theologiæ

S

Sacerdotale Aethiopum
Salomon
Samuel Propheta
Sanctes Pagninus
Sapientiæ liber
Sapphus
Scotus ordinis Minorum
Seruius
Sigebertus
B. Simon de Caſsia ordinis Eremitarum S. Auguſtini
Simon Maiolus Epiſcopus Vulturarienſis
Simon Metaphraſtes
Simon Portius Neapolitanus
Sixtus vicedominus ordinis Præd. Epiſcopus Mutinen.
Speculum Chriſtianæ religionis
Stanislaus Hoſius Cardinalis Varmienſis
Staphilo
Stephanus Iuliacus
Stratonicus
Suetonius
Suidas
Summa Angelica
Summa Antonina
Summa Armilla
Summa Aſtenſis
Summa Caietani
Summa Conciliorum
Summa Confeſſorum Io. de Friburgo
Summa exemplorum
Summa Ioannis Sotealli
Summa Piſanella
Summa Roſella
Summa ſupplementum Nicolai de Auximo
Summa Silueſtina
Summa Tabiena
Sylueſter Pierius
Synodus Carthaginenſis
Synodus Moguntina
Synodus Nicena

Tertul-

T

Tertullianus
Thales Mileſius
S. Theodoretus
Theodoricus Abbas
Theodoricus de Appoldia
Theodorus Balſamon
Theodoſius Lariſſeus
Theophilus Alexandrinus
Theophilatus.
S. Thomas Aquinas doctor Angelicus
Thomas Argentinas
Thomas à Campis cognomento Malleolus
Thomas Trugillus
Thomas de vio Cardinalis Caietanus
Thomas Vualdenſis Carmelita
Titus Liuius
Tobiæ liber
Turrecremata Cardinalis ordinis Prædicatorum
Tiraquellus

V

Varro
Victor Vticenſis
Vincentius Bonardus Ordinis Prædicatorum
Vincentius de Neapoli
Vincentius de Valentia
Virgilius Maro
Vitruuius
Vvalfridius Strabo
Vvillelmus Lindamus Epiſcopus Rurermondenſis
Vvolfangus Freymonius
Vvolfangus Lazius

Z

Zaccharias propheta
Zoar Hebræus
Zonaras

*****

# M. ANTONIVS MAFFA PRESBYT. ET I. C. SALERNIT.

## LECTORI S.

*Quod alias in editione libri de Eccleſiaſticorum reddituum origine, & Iure fueram tibi pollicitus, Lector optime, vt ab Ampliſſimo, doctiſſimoq. viro Archiepiſcopo Marſilio, maiora in dies expectares, præſtitit ille aliqua ex parte cum diœceſana ſynodo, tum & libello de vita & geſtis B. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, eiuſq. glorioſi corporis in Salernitanam vrbem translatione, quæ ambo ſane opera vtilitate & iucunditate in primis commendantur. At hæc, quam nunc tibi exhibet* HYDRAGIOLOGIA, *præſtat id cumulatiſſime, quod ni fallor, tu ipſe ita eſſe iudicabis, cũ opus multa eruditione, et*



*rerũ vbertate refertum perlegeris: ad cuius lectionem vt inſtructior accedas, & quam non ſolum docte & copioſe, ſed eleganter, via & ordine totam rem autor proſequatur, tanquam vno intuitu iam nunc perſpicias, libet tibi breuiter ſcriptoris artificium & methodum indicare: nam totam tractationem in tres ſectiones partitus eſt. Primum quidem, ne de aqua illotis, quod aiunt, manibus videretur agere, repetitis his, quæ ad aquæ nomen, dignitatem, ac præſtantiam generatim pertinere videbantur, quamq. Ethnici, Hebræique illam magni fecerint, & ad ſacrificia adhibuerint, adductis pleriſque Patrum teſtimonijs, ex Puteo Berſebah, ac precibus ad illius ſanctificationem præſcriptis vim, ac myſteria ſeptenarij numeri ita luculenter, tantaq. rerum, ac linguarum varietate explicat, vt non minus voluptatis, quam vtilitatis afferat, & tanquam in amœnis hortis verſari tibi videaris. Altera vero parte, benedicendi verbo, benedictioniſq. nomine, diligenter ex ſacris literis, grauiſſimorumq. Interpretum ſententia explicatis inſtitutorem aquæ benedictæ B. Matthæum Apoſtolum ex ipſis Apoſtolorum conſtitutionibus*

oſtendit, expoſitaq. illius origine, materiam, formam, ac miniſtrum huius aquæ perſpicue declarat. Poſtremo illius vim, nedum ſanctorum teſtimoniis, quod fecerat, ſed multis exemplis, ac miraculis comprobat, quorum lectione vti quiſq. mirifice oblectabitur, ita vel tepidiſsimus quiſq. ad piũ aquæ huius vſum excitabitur. Sunt enim ad id Sanctorum exempla accommodatiſsima, quæ ex vniuerſa illorum hiſtoria maxima diligentia conquiſiuit, ne quid in ea re deſiderare poſſes. Quæ vero hæretici diuerſis ſæculis commenti ſunt aduerſus ſalutarem hanc inſtitutionem, ita ad originem reuocat, ac deinde apertiſsimis ſacræ ſcripturæ locis, Conciliorum autoritatibus, & antiquiſsimorum Patrum graui teſtimonio refellit, vt illorum dementiam, vel ipſi, niſi vt ſolent dedita opera cæcutire, imo delirare velint, agnoſcere, atq. hanc ſancte receptam conſuetudinem, quam improbare nequeunt, vt de ſacris Eccleſiæ traditionibus, grauiter monet Tertullianus, poſsint & ipſi plane recipere. Illud quoq. non mediocris diligentiæ, & veritati confirmandæ in primis accommodatum fuit, omninm fere nationum, que

quæ Chriſti fidem profitentur exemplo, quæ a ſe conſcripta ſunt comprobare, eorumq. vſum, ritusq. accurate deſcribere. qua in re nec ſumptui nec labori pepercit. Vnde & habebis hic ne dum S. R. E. atq. Occidentis in ſanctificanda hac aqua ritum, ſed & Orientis fere vniuerſi, Syriorum, Chaldæorum, Armeniorum, Æthiopum, atq. ipſorum characteribus adiectis hac de re ritus & conſuetudines, ne quid huic tractationi deeſſet, & veritatis perpetua firmitas vndiq. conſtaret. Quanto autem labore hæc omnia libri autor conquiſierit, intelliget facile quilibet ex ipſa libri lectione, in quo citantur circiter quingenti omnium ſcientiarum ſcriptores, idq. non aliorum relatu, ſed proprio ſtudio, oculisq. fidelibus peruolutatis, & diligenter perlectis libris: & miraberis profecto hominem in paſtorali cura alioqui occupatiſsimum, tam multa non dicam ſcribere, atq. diſponere, ſed legere, ac notare potuiſſe; quæ res & autoris ingenium, & perpetuum de re Chriſtiana benemerendi ſtudium aperte indicabit. Illud vero admonitum te præcipue velim benigne lector, Archiepiſcopum noſtrum neq. doctiſsimis

mis, neque indoctiſsimis (vt ille aiebat) ſua conſcripſiſſe. illi enim cum ij ſint, a quibus alij diſcere debeant, & a quibus Archiepiſcopus libenter addiſcet ſemper, his ſcriptionibus non indigent, neque eorum cauſa operoſus labor ſuſcipiendus erat: hi vero cum non intelligant quæ diſſeruntur, fruſtra in ijs docendis tempus teras. Itaque illis tantum labores communicat ſuos, qui cum pleraq. per ſe intelligant, alienam induſtriam non aſpernantur, omniaq. boni conſulunt, ſpectantes animum, probantesq. omnia, quæ ad animarum ſalutem, Chriſtianamq. fidem augendam, & tutandam eduntur. Cæterum ſciolos quoſdam, ac naſutos, qui ad obganniendum nati alienam diligentiam ſemper carpunt, promunt, aut edunt ipſi nihil vnquam pulſos, & ablegatos a ſui libri lectione cupit. Quis enim adeo erit eruditus, diſertus, elegans, vtilis, ac iucundus liber, qui delicatiſſimis his hominibus ſatisfaciat? Huiuſmodi homines ſcit e veſtigio tractationis huius aliquot, licet alias vtiles, ac iucundas digreſſiones, ſubtiles quaſdam ex Cabala, & ſecretioribus Theologis depromptas diſputationes ex

ex numeris, litteris, & ſyllabis peracute concinnatas, frequentemq. peregrinarum linguarum vſurpationem improbaturos. Sed his contingit quod plerunq. brutis animalibus ſolet, quæ certo tantum cibi genere non alio veſcuntur. At his qui humaniore præditi ſunt ingenio elegantemq. non aſpernantur; rerum varietatem, illud accidere ſolet, quod his accidit, qui in amœniſſimos hortos introducuntur, qui non ſolum fructuum ſapore, ſed pratorum aſpectu, & florum odoribus delectantur, nec ex vna tantum re, veluti ex pomario & vinetis, ſed ex nemoribus, piſcinis, topiarijs, auiarijs, omnibus denique hortorum ornamentis ex varia pulchritudine conflatam atque adeo vberiorem capiunt voluptatem. Poterat ſane autor, neque enim id quiſquam poteſt diffiteri, breuiſſimo compendio, quæ ad aquæ huius inſtitutionem vim atq. vſum ſpectant, explicare: quod & fecere complures, ex quorum ſcriptis, ne ſummis quidem labijs deguſtare rem licet, ne dum ſitim extinguere: quod curari debebat omnino in re tam vetuſta & pia, tamque omnibus obuia, & frequenti cuius, vt

*vt perfecta & abſoluta cognitio haberetur, multa apud diuerſos diſperſa omnino colligenda, multa prætermiſſa iure optimo ſupplenda erant. Quæ omnia ita diligenter collecta, & diſtincte habes hoc libro explicata; vt iam amplius pro haurienda aqua, non diuerticula adeunda, non tibi riuuli ſint conſectandi, hic ſitim explebis omnino, colligesq. ad animæ & corporis morbos dæmonumq. infeſtationes paratiſſima remedia, ſanctorum exemplis comprobata, communiq. totius Chriſtiani orbis vſu recepta. Quæ ſunt Chriſtiano paſtore animarum ſalutis cupidiſſimo plane digna. Hic enim (vt aliquas illius in eo munere obeundo laudes breuiter perſtringam) vt primum Salernitanæ Eccleſiæ curam ſuſcepit, nihil prætermiſit, quod ad môres ſubditorum ad ſacrorum canonum præſcriptum conformandos, catholicam fidem conſeruandam diuinumq. cultũ augendum, animasq. Chriſto lucrandas pertinere poſſe iudicauit. Vix dici poteſt, quanta ſolertia, ac vigilantia curauerit, vt diuina officia ſtatis horis ex præſcripta forma pie & diligenter perſoluerẽtur; Eccleſiarum, altariumq. refectioni, atq. ornatui pro-*

*ſpe-*

*xerit: animabus curandis, Eccleſijsq. parochialibus, ac confeſſionibus audiendis probatos & doctos viros præfecerit: diuini verbi concionatores diſertos & eruditos, non modo in Metropolitana Eccleſia, quin etiam vel in ipſis oppidis & pagis propoſuerit: ad Chriſtianæ fidei rudimenta rudibus declaranda, exponendaq. inuigilauerit: paci, ac concordiæ commiſſæ ſibi plebis ſtuduerit: quanta maturitate, frugalitate, ac integritate uiſitationis munus obierit, quam pius & beneficus erga pauperes extiterit: quanta deniq. cura, labore, & impenſa in recuperandis Eccleſiæ bonis intenderit: quos labores ſuſceperit in tuenda Eccleſiaſtica iuriſdictione, quã aliquãdo in Regno Neapolitano plenius inſtaurandã ad ſacrarum legum, canonumq. normã a PHILIPPI II. Hiſpaniarum Regis Catholici ter maximi pietate nobis pollicemur, præſertim SIXTI V. Pont. ter Opt. Zelo, & autoritate, qui ſuo feliciſſimo tempore, uti rebus omnibus ſanctiſſime proſpicit, ita illam imminui, ac violari non permittet. Percurri hæc breuiter, quæ tamen ſingula longiſſimã exigerent orationem, neq. enim de paſtoralibus cu-*

****** *ris,*

*ris & moleſtijs quiſquam iudicium vere ferre poteſt, niſi in eo grauiſsimo munere diu multũq. verſatus. Nobis interim & agendæ ſunt Deo gratiæ, quod talem præfecerit illi Eccleſiæ paſtorem, & Paſtori ipſi, quod nullam elabi ſinit occaſionem, qua & ouibus ſibi commiſsis, & reip. Chriſtianæ aliqua ex parte ſuis laboribus prodeſſe poſsit. Roganduſq. eſt Deus, vt perpetuam illi incolumitatem, & qui pietatis ſtudium dedit, vires quoq. ad hæc peragenda largiatur. Mihi interim erit a te danda venia, lector beneuole, ſi dum tibi placere, ac conſulere ſtudeo, diutius quam res forſan videbatur exigere, te, quin ad hunc vberrimum fontem ſitim expleturus citius accederes, ſum remoratus. Vale. Romæ, Idib. Quinctilis M D LXXXVI.*

L. DE TORRES.

*Ille, alias, iterum ſitiet, qui biberit vndas,*
*Non ſitit æternum, qui bibit hos latices.*

# M. ANTONIVS MARSILIVS COLVMNA DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISC. SALERNITANVS

Clero & populo Ciuitatis, ac diœceſis ſuæ Salernitanæ Salutem in eo, qui eſt omnium uera ſalus.

*LICET hactenus, Dilectiſsimi, quod noſtri muneris erat in eam curam omnibus animi noſtri viribus intenderimus, quo viſitationibus, ſynodicis conſtitutionibus, edictis, cæteriſq. functionibus ad officium noſtrum paſtorale pertinentibus ea vobis præſtarentur, quibus & animarum veſtrarum ſaluti, & diuino cultui rebusq. ad Chriſtianam religionem ſpectantibus præcipue proſpiceretur: quia tamen ſummopere expetebamus, peculiari aliqua de re ſermonem ad vos aliquãdo habere, cũ*

nobis ſeſe hæc & illa quidem præcipua offerret, quæ & vſu frequens, & ad ſalutem, cæteraq. Chriſtiana munia eſt peropportuna, ſtatuimus vobiſcum de aquæ benedictæ inſtitutione, vſu, atq. præſtantia, multiſq. illius miraculis hac noſtra tractatione loqui. Idq. eo libentius aggredimur, quod compertum habemus huius inſtitutorem fuiſſe glorioſiſſimum Apoſtolum & Euangeliſtam Matthæum, cuius incomparabili theſauro corporis Salernitana inſignitur Eccleſia, ex quo non ſolum perennem illum ſacrumq. recipit liquorem Manna nuncupatum: ſed multa præterea diuini patrocinij adiumẽta ad animarum, corporumq. vtilitatem ſingulari Dei benignitate conſequitur. Futurumq. inde ſperamus, vt maiori quam hactenus & pietate & animi propenſione hoc ſalutari remedio vtamini. præſertim vero in luſtrandis domibus, agris, atque animantibus. quod erat aliqua exparte a vobis intermiſſum. Efficietque vt ſperamus, pietas & religio veſtra, vt grauioribus quidem peccatis ſacramentorum cæleſti virtute expiatis, huius quoq. benedictæ aquæ, quæ inter ſacramentalia numeratur, & a Chriſti ſanguine & paſſione itidem ſalutarem vim accipit pio & deuoto vſu ea omnia aſſequamini, quæ in illius ſanctificatione precatur ſancta mater Eccleſia, vtq. etiã tẽporibus ueſtris, ac in vobis ea videamus hinc accidere miracula, quæ alijs etiã tẽporibus euenere: quæque etiã noſtris euẽtura confidimus, ac certo ſperamus. Quia vero omnibus debitores ſumus, & vt ſinguli habeant quid capiant emolumenti ſcriptionibus his noſtris; ſtuduimus & doctis & cæteris, quantum in Domino potuimus, proſpicere; credimuſq. vt quem tractatio ipſa non mouerit, mouebunt certe tot Sanctorum exempla, quibus abunde quiſque animum ſuum ad huius aquæ frequentem vſum & uenerationem excitare poſſit. Cæterum quo facilior & diſtinctior eſſet tractatio, placuit illam in tres ſectiones partiri. In quarum prima explicantur quæ ad aquam in genere ſpectabant. Deinde, quæ ad illius benedictionem pertinere poterant. Poſtremo vero ea proſecuti ſumus, quæ effectus huius aquæ reſpiciebant, tum & exempla Sanctorum quamplurium adiecta ſunt. Unamquamq. vero ſectionem ſeptem capitibus diſtinximus, qui numerus eſt ad ſacras res aptiſſimus. Reſtat igitur, vt (quod veſtri muneris eſt,

*eſt) hæc noſtra hilari animo ſuſcipientes ea pietate ſeruare curetis, quo & nobis de veſtra ſalute ſollicitis plurimum lætitiæ afferatis, & vobis ipſis æternæ vitæ fructus ex diuinæ miſericordiæ fonte vberrime proueniat.*

M. ANT.

# M. ANTONII MARSILII COLVMNAE BONONIENSIS I. C. ARCHIEPIS. SALERNITANI

## HYDRAGIOLOGIAE

### Sectio Prima.

*In qua de aqua generatim, deq. plerisq. illius ſpeciebus. De nomine item. De dignitate, atq. eius præſtantia in Sacrificijs, iuxta Ethnicorum, & Christianorum ſententiam diſſeritur.*

### ARGVMENTVM.

Quæ ad aquã in vniuerſum pertinent, ac de variis eius generibus.

### *RERVM SVMMAE.*

1 *AQua eſt vnum ex quatuor elementis.*
2 *Naturale corpus nullũ reperitur, quod ex aqua non conſtet.*

 Ele-

3 *Elementa repræſentantur in quatuor vitalibus humoribus.*

4 *Aqua laudabilior cæteris eſt, quia producit phlegma.*

5 *Phlegma cæteris humoribus præſtantior in homine.*

6 *Phlegma eſt quaſi prudentiæ ſinus.*

7 *Puella Theutona duos annos vixit ſine cibo & potu.*

8 *Aqua in mundo elementari eſt commeatio formarum omnium materialium.*

9 *Fluxus & refluxus aquarum eſt ſymbolum omnium formarum.*

10 *Mare vocatur ſubſtantia rerum ſenſibilium.*

11 *Neptunus capitur a Poetis pro virtute generatiua.*

12 *Quatuor elementa repræſentantur a cæleſtibus etiam corporibus.*

13 *Mercurius dominatur aquis.*

14 *Aqua obtinet infimum, & ſupremum locum in mundo.*

15 *Aquæ naturalem motum, & vigorē habent.*

16 *Aquarum multæ ſunt ſpecies.*

17 *Potiſſimum ſunt cæleſtes & terrenæ.*

18 *Aquas cæleſtes humanus intellectus non capit.*





19 *Aquas cæleſtes D. Thomas expoſuit.*

20 *Aquæ terrenæ ſunt nonnullorum generum.*

21 *Aquæ marinæ, quales.*

22 *Aquæ dulces omnes ex mari proueniunt, & illuc redeunt.*

23 *Aquæ reperiūtur quædam in viſceribus terræ.*

24 *Aquæ omnes, quæ ſupra terram ſunt, ad varias ſpecies reducuntur.*

25 *Aquæ pluuiæ plerunq. ſeruantur in locis imis.*

26 *Fontes, qui.*

27 *Fontes poſſunt dici parentes fluminum, & partus montium.*

28 *Lacus, qui.*

29 *Fontes augeri, ac decreſcere ſolent.*

30 *Lacus eandem ſemper magnitudinem ſeruāt.*

31 *Flumina, quæ.*

32 *Paludes, quæ, & an flumina producere poſſint.*

33 *Meotis palus, omnium maxima ad ſeptem pedum altitudinē vix in aliqua parte aſcēdit.*

34 *Paludes quandoq. putreſcunt.*

35 *Lacus nunquam corrumpi ſolent.*

36 *Paludes, & ſtagna aerem inficiunt.*

37 *Ad oſtia fluminum ſunt incolæ parum ſani.*

38 *Paludes, & ſtagna differunt.*

39 *Paludes ex fluminibus generantur.*

40 *Stagna ad maris littora tãtum iacere ſolent.*
41 *Autores multi, qui de aquis loquuntur.*

## CAPVT PRIMVM.

VNVM ex quatuor elementis ad
omnium ſublunarium rerũ crea-
tarum, quæq. generantur, & inte-
reunt compoſitionem concur-
1 rentibus, † aquam eſſe, cum phi-
loſophorum, tum prudentum vi-
rorum omnium conſtans ſem-
per fuit ſententia, & vſu ipſo quotidie experimur; nec
2 enim aliquod huiuſmodi † corpus reperiri videtur,
quod non ſit ex his quatuor elementis, aqua ſcilicet,
igne, aere, & terra compoſitum. Quod quidem collu-
cere in homine ipſo manifeſte apparet. Etenim homi-
3 nis natura † quatuor hæc elementa in vitalibus qua-
tuor humoribus, ignem ſcilicet in bili, aerem in ſan-
guine, terram in melancholia, aquam vero in phleg-
mate miro artificio repræſentat; quod, omnes & philo
ſophi, & medici & teſtantur paſsim, & docent. In his
vero omnibus humoribus, ſi diligenter & accurate
conſideremus, ille videtur magis laudari vt commo-
4 dus, ac vtilis, qui ab aqua proficiſcitur, † nimirũ phleg
5 ma. † Nam & hoc prudentiæ ſinum, ac ad ſuſtentan-
dam, ſeruandamq. hominis vitam, ex Auicennæ ſen-
tẽtia Medici docuere. Quod & refert etiam Cæl. Rho-
digi.



digi. lib. 3. antiq. lectio. cap. 24. & confirmat doctis
argumentis Portius in diſceptatione illa, quam de
7 puella † Theutona conſcripſit, quæ ſine cibo & potu
8 ad biennium vixit, cap. 7. Immo aliquibus † aqua ip-
ſa in mundo elementari omnium formarum mate-
rialium videtur eſſe commeatio, cum Salomon Ec-
cleſ. 1. dicat: *Generatio præterit, generatio aduenit, ter-*
9 *ra autem ſtat*: † quod ex fluxu refluxuq. aquarum con
tinuo ſignificari videtur. Pulchre id quidem doctiſſi-
mus tradit Picus in expoſitione ſex dierũ Gen. cap. 3.
de mundo elementari aſſerens bene dixiſſe Heracli-
10 tum, † quando ſenſibilium rerum ſubſtantiam voca-
uit mare. Poetæ quoq. philoſophiam ipſam, vt ipſe in-
quit, inuolucris fabularum velantes, in diuiſione to-
tius mundi in tres partes, partem hanc elementarem
11 Neptuno aſcribunt, † quem non ſolum maris domi-
num eſſe dixerunt, ſed apud Platonicos pro ea virtute
is accipitur, quæ generationibus præeſt. Subtilis hæc
Pici opinio maxime inde ſuaderi poteſt, quod enim
Græci dicunt ὕλη, id eſt, materia, ex qua omnia conflan
tur, vt bene conſiderat Suidas, apud antiquos Syrios,
aquam ſignificat. Vnde apparet recte aquam, & ma-
teriam hac ſignificatione inter ſe conuenire, vt idem
Picus docet lib. 2. de mundo cæleſti, cap. 2. & Iulius
Cæſar Scalig. vir doctus, & peracutus in exercitat. con
12 tra Cardan. exercitat. 39. † quod ſi in cælo hæc elemẽ
ta quærimus, Terrã ipſam, Lunam eſſe atq. octauam
ſphæram; Aerem, Iouem ac Venerem; Ignem, Solem
ac

ac Martem; Aquam vero ob ipſius frigiditatem, varie-
tatemq. Mercurium & Saturnum dixeris: dicitur
13 enim † Mercurius aquis dominari, ſeu vndarum ar-
biter, vt Picus ibidem ex Lucano docet: quamuis fre-
quentius receptum ſit, Lunam aquis præeſſe; & hoc
ipſum docet etiam Roſar. Buſti. par. 1. ſerm. 4. litera x.
14 † Aquam vero a Deo in ſuperiori, atq. etiam in vlti-
ma orbis parte, quaſi vtriuſq. extremi caput locatam
non dubitamus. Quod & conſiderate Arias Montan.
obſeruat in ſuo apparatu Biblico, tom. 3. ac pluries
Epiſcopus Argolicenſis Hierony. Vielmus, vir quidē
ſpectatæ virtutis, Prædicatorum familiæ inſigne de-
cus, olimque præceptor meus, in ſuo opuſculo de ſex
diebus cond. orb. poſt Baſilium, & Ambroſium in
hexameron. In ſuperiori enim parte, ob concaua, con-
uexaq. cæli, aquæ ipſæ quaſi concameratæ omnia con
tegunt. In inferiori vero aptiſsimæ ſunt ad uitam, &
15 ad creatarum rerum conſeruationem; † hinc eas natu
ralem habere vigorem, motumque videmus, quæ ſub-
ter, intus, ſuperque terram fluentes in altiſſimorum
montium faſtigia ſurgunt, vnde & ſcaturiunt, irri-
gantque mundum, vt poſt alios conſiderat Andreas
16 Baccius in lib. de Tiberi. † Aquarum porro variæ,
diuerſæq; ſunt ſpecies, vt latiſſime præter Hippocra-
tem lib. de aquis, & Oribaſium, atque Pliniū lib. 31.
naturaleſque alios ſcriptores, colligitur ex Roſario
Theologiæ, in verbis, aqua, fons, fluuius, mare, ex di-
ctionario Bercorij, in verbo aqua, Ioan. Reulino in
ſerm.



ſerm. 6. de Epiphania Domini: & in ordin. 54. item
ex autore libri, qui dicitur, Allegoriæ vtriuſque teſta-
mēti, in verbo aqua, ex Ioa. Montolonio in ſuo prom-
ptuario, in verb. aqua. Item Matthia Aquario ex Do-
minicana familia in ſuis ſubtiliſſimis dilucidationi-
bus metaphyſicalibus lib. 5. dilucidatione 3. quos vti
locupletiſſimos teſtes ſufficiat in id citaſſe. Nos autē,
qui de aqua ſummatim diſſerimus hoc loco, dicimus
omiſſis alijs omnibus, quod aqua omnis eſt ad duas
17 potiſſimum ſpecies referenda. † Altera enim cæleſtis
eſt, altera terrena. Illā ſane legimus in Geneſi fuiſſe
a ſummo Deo, ſupra cœlos locatam, quando dixit:
*Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas*
*ab aquis: et fecit Deus firmamentum, diuiſitq. aquas, quæ*
*erant ſub firmamento ab ijs, quæ erant ſuper firmamento.*
Idem in Pſal. 103. *Extendens cælum ſicut pellem, qui tegis*
*aquis ſuperiora eius.* Tres illi pueri in cantico: *Benedi-*
*cite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt Domino.* & alibi
Dauid Pſal. 148. *Aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt lau-*
18 *dent nomen Domini.* † Has quidē ſupercæleſtes aquas
S. Auguſt. in 2. ſuper Geneſ. cap. 5. dicebat, nō poſſe
humano, quæ qualeſve ſint, intellectu comprehendi.
19 † Quamuis poſtea Angelicus doctor Thomas in 1.
par. ſummæ, in q. 68. art. 2. ſubſtantiam, naturamque
earum clare monſtrauerit. De ijs autē ſupercæleſtibus
aquis pręclare loquitur Clictoueus in commētarijs ad
Damaſcenum lib. 2. orthodoxæ fid. cap. 6. de cælo.
20 † Inferiores autem aquæ, quæ & terrenæ appellantur,
dupli-

dupliciter cõſiderari poſſunt. Aliquæ enim ſunt arti-
ficiales, & hæ quidem ad noſtrum argumentum non
ſpectant, vt quæ humano artificio ex igne, aut alias è
frondibus, floribus, radicibus, frumẽtis, & ſimilibus
id genus corporibus exprimuntur. Aliquæ vero a na-
21 tura productæ; † quæ ſane, aut mari coercitæ, & hæ
quidẽ ſalſæ, aut in alijs ipſius terræ partibus reperiun-
tur, & dulces dicuntur. Quæ maris ambitu continen-
tur, omnes vnius generis ſunt, & cuique notiſſimæ.
22 † Dulces vero, & ſi tandem ad mare omnes confluunt,
& inde etiam effluunt, vt Eccleſiaſt. cap. 1. *Ad locum
vnde exeunt flumina reuertuntur*: magni tamen inte-
reſt inter eas, ſuntque valde diſtinctæ. At aquarũ va-
rietates omittentes, ſatis eſſe exiſtimamus demõſtra-
23 re, † aliquas reperiri inter viſcera terræ, quæ nullum
mortalibus, ni ſcaturiant foras, vſum prębeant, vt do-
cuit Alexander Piccolomineus in tractatu de magni-
tudine aquæ, & terræ; & eæ quidem modicæ ſunt quã-
24 titatis reſpectu illarum, quæ terram irrigant. † Iſtæ
ſiquidem in pluuias præſertim fontes, flumina, palu-
des, lacus, ſtagna, puteos, & ciſternas deducuntur.
25 † Aquas è cælo cadẽtes plerumq. ad ima loca coactas,
26 ſeruari per temporum interualla videmus. † Fontes vt
plurimum ſunt viuarum congregationes aquarum, è
quibus cum exoriantur flumina, & perſæpe eæ ad col-
lium montiumq. latera, radicesve proruptæ inuenian
27 tur, † poſſunt & fluminum parentes, & montium par-
28 tus non immerito appellari. † Lacus aquarum copia,
quæ



quæ veluti obſtruſæ è venis terræ, in aliqua loca emer-
29 gentes, a fontibus diſtinguuntur. † Hi nimirum, aut
pluuijs, aut alijs ſuccedentibus aquis augeri, ceſſanti-
30 bus autem decreſcere conſpiciuntur. † Contra, lacus
eamdem perpetuo magnitudinem retinentes, ingen-
tia flumina abſorbent, & ab ijs alia ducunt principiũ;
in quę tamen receptacula tantam aquam concipiant,
31 aut vnde emittant, non apparet. † Flumina aquę ſunt,
quæ ex fontibus ductæ, aut per alueos decurrentes, ad
mare confluunt, aut alia flumina ingredientes, pro-
prium nomen amittunt, vel pigro lapſu in paluſtria,
cœnoſaq. loca fluentes, impeditæ conſiſtunt, & quaſi
32 emoriuntur. † De paludibus autem etſi leguntur ali-
qua exorta flumina; eæ tamen plurimum congrega-
33 tiones aquarum ſunt, non multum profundæ. † Ete-
nim Mæotis palus, aliarum maxima, vix in aliqua ip-
ſius parte, ad ſex pedes (vt naturalium rerum ſcripto-
34 res notauere) alta eſt. † Hæ plerunq. ex fluminum re-
dundationibus coguntur, & interdum putreſcunt:
35 † Lacus vero nunquam corrumpuntur, nec ſolent mul
tas nebulas, vaporesque emittere: qui ſi emittantur,
36 non ſunt peſtiferi, non inficiunt † aerem. Promiſcue
id vero (maxime autem ſtagna) paludes faciunt, ita
37 quidem, vt † ad fluminum oſtia ſoleant incolæ aeris
38 vitio eſſe parum ſani. † Inter paludes tandem, atque
ſtagna, hoc maxime intereſt; illæ ſiquidem, vt dictum
39 eſt, † ex fluminibus generantur. † Hæc ad ſola maris
40 littora iacere, alibi pręterea raro conſpiciuntur. Quæ
B om-

omnia idem tradidit Alexan.loco citato cap.2. & Gilbert.Genebrard.in Pſalm.103. num.12. Præter illa, quæ diuerſa, ac mira leguntur ab aliis obſeruata.

4 1†De quibus pluries,& diffuſe Hippocrates, Oribaſius, Plinius, Seneca lib.3. natural. quæſtio. Nicolaus Perottus in comment.ling.Latin.Hierony.Cardanus de ſanitate tuenda lib.3.cap.85. Iulius Alexandrinus in lib.ſalubrium 17.cap.16.&alij permulti. Quæ cum ad ſpecialem omnium aquarum doctrinam, non ad propoſitum noſtrum pertinere videantur; de ea in genere,& ſummatim dixiſſe ſatis cenſemus. Nunc de ipſius aquę nomine, atq. excellentia aliqua dicamus.

## ARGVMENTVM.

Aquæ nomen vnde deductum ſit, multaq. ex eo nomine huc ſpectantia.

## *RERVM SVMMAE.*

1 *Lympha ſecundum Varronem dicitur a lubrico caſu aquarum.*

2 *Aqua ſecundum Feſtū dicitur,à qua iuuamur.*

3 *Aqua rebus omnibus eſt neceſſaria.*

4 *Aqua dicitur,à qua nata ſunt omnia,quod etymon a Thaletis proficiſcitur ſententia.*

5 *Aqua ſecundum pleroſq. dicitur principium, & generatio rerum.*

Deus



6 *Deus ex aqua formauit cuncta ſecundum Mileſium.*

7 *Ex aqua ſola licet non generentur vniuerſa, ea tamen in rerum generatione manifeſtius apparet: quod Thaletem induxit ad dicendum ex ea cuncta componi.*

8 *Aquæ deriuationes recipi poſſunt,veræq. ſunt.*

9 *Joannes Goropius Becanus nominum perquiſitor egregius.*

10 *Linguam Cimbricam omnium linguarum primam contra communem Patrum ſententiā exiſtimat Becanus.*

11 *Aqua ſecundum Becanum dicitur ab, ac, voce Cimbrica, quæ fontem ſignificat.*

12 *ὕδωρ aqua Græce dicitur ab hud-oor verbo Cimbrico, quod ſignificat, cuſtodiæ origo.*

13 *Omnia per aquam cuſtodiuntur,& conſeruantur in eſſe.*

14 *Aqua commendatur ex Becano.*

15 *Aqua ſecundum Pindarum dicitur bonum.*

16 *Vidit Deus quod erat bonum. Hæc verba non leguntur in Geneſi, niſi poſt creationem aquarum.*

17 *Symbolici ſpeculatores aquam dixerunt ſummum bonum.*

 Et

cua iis,quæ vegetantur, ſentiunt,atq. intelligũt, adeo
demum ſanitati, conſeruationiq. omnium, quæ in-
ſtaurantur confert,vt merito à qua iuuamur,credatur
nuncupata, ideſt à qua non mediocres percipimus vti
litates. Cæterum maioris hanc fecit Thales Mileſius,
vt refert S. Iuſtin. martyr in ſermone exhortator. ad
Gent. & Lactan. cap. 5. lib. 1. Seneca lib. 3. natural.
quæſtio.cap. 12. qui cenſuit ex aqua, tamquam ex ma
teria conſtare omnia, illamq. fuiſſe rerum omnium
principium: vnde Latini etymon conficientes dixe-
4 runt ideo aquam quaſi † à qua nata ſunt omnia, di-
ctam,ex quo, non modo eam productis, creatisq. re-
bus prodeſſe, ſed ad creanda, producendaq. concur-
rere,nec poſſe ſine ea creari quidquam liquido con-
ſtare credidit. Ex hoc igitur digniori, præcipuoq. effe-
5 ctu autumant appellatam. † Ea enim a multis,vt infra
dicetur,autoribus principium, cauſaq. generationis,
licet falſo,credita eſt. Quæ omnia Mileſij opinionem
6 belliſſime exornant † dicentis, ex aqua Deum cuncta
formaſſe. Si quis vero obijciat non videri hanc appel-
lationem recte illi inditam, ſed quod ab ea potiſſimũ
iuuemur, cum illud manifeſtum ſit, ac veriſſimũ, ad
rerum generationem,non ſolam aquam concurrere,
7 reſpondendũ ſane arbitramur. † Quod quamuis am-
bigi non poſſit ea,quæ generantur,ex ſola aqua mini-
me generari:tamẽ in rerum generatione manifeſtius
quodammodo aqua ipſa inſpicitur: ſi enim animan-
tia intueamur,non ne eorum ſemen liquidum, pro-
fluensq.



fluensq. inſtar aquę apparet? quod fuit in cauſa, vt
Thales omnium rerum principium aquam poneret.
Inanimantium vero ſemina, etſi non ita fluant, tamẽ
anteaq̃ aliquid ex eis generetur,corrumpuntur,& ſic
profluentia fiunt, quamdamq. materiam aquę prçſe-
ferunt. Iure igitur aquam quaſi ex qua nata ſint om-
nia appellatam dici poteſt, ex eaq. ſaltem parte, qua
abſque dubio aqua concurrit,recte dictum putamus.
8 † Credendum nihilominus, vtramq. deriuationem
9 eſſe bonam;ex ijs,quę conſiderat † Ioan.Gorop.Beca.
proprietatum, naturęq. nominum perquiſitor egre-
10 gius lib. 6. Hermat. Vbi contendit † linguam Cim-
bricam eſſe primam omnium, cum eius vocabula ta-
lem ſenſum contineant; vt eorũ proprietatem, vimq.
demonſtrent, & ab ea cętere linguę, quamuis aliqua
ex parte corruptę, ducant originem, licet in hac re Pa-
trum omnium ſententię, a quibus diſcedendum om-
11 nino non eſt,contradicat. Dicit ergo Becanus † aquã
ab, ac,quod Cimbrica lingua fontem ſignificat, non
alia de cauſa deriuatã, quam quod ea plurimis rebus
optima ſit,ideoq. aquam latine dictam; quamquam
& Latini antiqua ſcriptura Acam ſcripſerint, ſicut &
loci, pro loqui;coad,pro quoad; & cotidie, pro quoti-
die,vt teſtatur M. Ant. Muret. lib. 4. varia. lectio. cap.
12 14. Quemadmodum ὕδωρ Grçce, Latine aqua, † ab
hud-oor verbo Cimbrico,ideſt cuſtodię origo. Quod
igitur dicatur ὕδωρ cuſtodię origo, ſuccedit interpreta-
tio Feſti,ſcilicet à qua iuuamur, ita creationem rerum
intel-

13 intelligentis,† cum omnia in ſua eſſentia, & ſtatu per aquam cuſtodiantur, vt inquit Becanus. Quatenus autem, ac, ideſt fons, nũcupetur; poterit aliqua ex parte principium generatioq. rerum iuxta Thaletis ſententiam ſignificari. Et ſenſibili quidem ratione aqua appellatur fons, ideſt, ac: eſt enim ea, vt paulo antea indicatum eſt, ad res creatas & creandas quoq. admodum excellens atq. vtilis; ita porro, vt cuiq. id ſit per-
14 ſpicuum. Vt bene conſiderauit Becanus his verbis:† *Quid ſitientibus plantis pluuiæ, quid vel ſolis, vel laboris, vel febris ardore toſtis fontes ſint & gelidi riui, quid coquis, & medicis, & omnibus deniq. hominibus ad diuerſiſſimos vſus aquæ præſtent, qui neſcit, is quid ſcire poſſit ignoro. Quantum commoditatis flumina, quantum maria, quantum reducti ſinus, quantum freta, quantum ingentes lacus mortalibus vtilitatis apportent, qui expendere, & ad calculum vocare velit:*

*Lybici velit æquoris idem*
*Diſcere, quam multa Zephiro turbentur arenæ;*
*Aut, vbi nauigijs violentior incidit Eurus,*
*Noſſe, quot Ionij veniant ad littora fluctus.*

Parum ab hac deriuatione receſſit Pindarus, quãdo
15 ἄριστον μὲν ὕδωρ † ideſt aquam, bonum dixit. Quod & multomagis confirmare videtur Rabbi Salom. ad
16 Gen. aſſerens, nunquam verba illa: † *Vidit Deus quod erat bonum;* nec primo, nec ſecundo die dicta fuiſſe, ſed tertio, poſt opus creationemq. aquarum conſummatam: & ideo Orphici, & Symbolici contemplatores ſum-



17 ſummum† bonum, ſiue omnium bonorum Oceanũ factricem, ſeruatricemq. omnium aquã dixere: quod animaduerterũt illi, quotquot ex eiſdem fontibus bi-
18 berunt, cum, licet craſſe, naturali ſenſu ducti, † ſymbolice aquam Deo tribuerunt, quod ei, quid per aquã
19 ſignificaretur, conueniret. † Et ideo ſicut boni ipſius ea eſt natura, vt ex alto ad ima deſcendat, & ex infimo loco omnia ſurſum educat, & generatim ſe omnibus
20 communicet; ita inter elementa † aqua ex alto deſcendit, & rurſus per halitus attollitur, & in copioſiſſima flumina effunditur, atq. omnibus ſeſe largiſſime communicat. Nec ſolum omni planetarum, atq. animan-
21 tium generi alimenta ſuppeditat, † ſed quodammodo
22 ipſis etiam elementis; † dum craſſeſcens, terra fit; † ra-
23 reſcens, aer: quod Gregorius Niſſenus cap. 4. de elemen. appellauit λεπτωμερέστερον, & in maiorem ſubtilita-
24 tem attenuata, † tranſit in ignem. Sed & volucres ex aqua fuiſſe procreatas, canit Eccleſia in Veſperis fer. v. ex B. Ambroſio.

*Magnæ Deus potentiæ,*
*Qui ex aquis ortum genus*
*Partim remittis gurgiti,*
*Partim leuas in aera.*
*Demerſa, &c.*

Quod & docuit etiam Picus in Heptaplo, lib. 7. cap. 5. Et licet terra gigantes miræ magnitudinis cæteraq. huiuſmodi monſtra proferat: An non aqua vel vnam immanem balenam parit, quæ cætera aquatilia

 con-

contemnit,ſeq. pro maris tyranno gerit? Cuiuſmodi
ſexcentorum pedum longitudinis,& trecentorum ſe-
xaginta latitudinis flumen Arabiæ intraſſe ſcribit
Plin.lib.9.&lib.32.cap.1.quod & adnotauit Gene-
brardus in Pſal.103.num.29. Sed ad ſummam aqua-
rum vtilitatem & neceſſitatem redeuntes, nec herbæ,
nec radices,nec arbores,nec arborum fructus, nec ſe-
minum aliquod genus, abſq. aqua creſcere poteſt,aut
25 nutriri. † Vnde neceſſario colligimus,omnibus ſe
aquam communicare, & citra eius cuſtodiam nihil
ſeruari,aliq. poſſe. Inquit etiam Beca. Aher,Cimbrica
26 lingua, †vas notari, quo aqua hauritur. hinc apud
Græcos ἦχος & ἄκτος & ἀκάπον. Quod etiam Cimbrice,
27 †Ac-hat,ideſt,aquam tenens,quod & ſcapham,naui-
culamq. ſignificat.Ea enim in aquis,& ſe ipſam tenet,
& vectores,& itidem omnia,quæ per aquas portantur.
28 †Hinc Acheloi nomen pro quauis aqua, vt docent
Macrob.& Seruius,qui eum Oceani, & Tethios filiũ
faciunt, poni videtur. Etenim in Cimbrica lingua
29 †Ac-hel hot, ſignificat altum aquæ caput, ſiue excel-
ſum aquarum principem. Quemadmodum ergo
30 † Bacchus pro vino,† Mars pro bello, ita Achelous
31 pro aqua a poetis dicitur,Deo preſide,pro eo,cui præ-
eſt collocato.Hinc,Virg.in Georg.1.

*Poculaq. inuentis Acheloia miſcuit vuis.*

Id enim vel antiquum verbum eſt,vt ſenſit ibidem
Prob. vel primus,qui poſt diluuiũ erupit fluuius,ſic eſt
appellatus, ac propterea fluuiorum princeps; vnde
Ache-



Acheloides Nymphæ, Col.lib.10.

*Hinc vos Pegaſidum comites Acheloides oro.*

32 Eadem itaq. ratione †flumen Aetoliam ab Acar-
nania dirimens, Acheloi nomen accepit, quod illius
terrarum tractus fluuiorum princeps eſſet. Subdit
33 quoq. idem †Beca. ha-ic,idem eſſe, ac ſi dicas,ſi ha-
berem;quod propriũ eſt eius,qui vehementer deſide-
rat.Si quis enim ſitiens caret aqua, habere eam maxi-
mopere cupit. Ideo ha-ic pronunciat, quaſi maximo
34 deſiderio feror,dicere cupiat. †Quo deſiderio Saler-
num nõ ſane æſtuat,nimirum quia præclaro tamquã
ad vitam neceſſario elemento, & eo quidem nitidiſſi-
35 mo ciuitas ipſa copioſiſſime redundat. † Multi præ-
terea aquarum ſymbolo materiam intellexerunt:ideo
36 Homerus(quod & a maioribus accepit) † Oceanum
omnium exordium eſſe dixit,eo quod aqua nec per ſe
37 terminetur, & a calore ſit quammaxime remota, †vt-
pote ſummo frigori obnoxia;& præterea ſubiecta per-
38 petuæ mutationi a rebus externis afferendæ:† quibus
rebus materiam ipſam,quam Philoſophi primam di-
cunt,egregie oculis ſubiecit, nec aliter Thaletis aqua
intelligenda, vt præclare ludit idem Beca.lib.11. Hie
roglyph. quod & ex Pici ſententia ſumptum videtur.
39 †Præterea nomen aquæ ab antiqua quadam voce græ
ca,à qua ſimiliter, & Acheloi nomen eſſe deductum
ex præcitato Virgilij loco, & Probi in eumdem inter-
pretatione aſſerit expreſſe Iul.Cæſ. Scalig.cõtra Card.
40 in exercit.325.cap.11.† vel ſimplicius etiam loquen
C 2 do

do ſecundum Grammaticos, aquam quaſi æquam, aut æqualem dicemus. Ea enim niſi a ventis agitaretur, nihil prorſus ab omni parte eſſet magis æquale.

41 Scribitur † tandem aqua ab Hebræis, vt & hoc obiter moneamus, Maim מַיִם a Chaldæis ܡܝܐ Maià, a Græcis ὕδωρ torrens, ab Hebręis נַחַל 1. Reg. 15. a Chaldęis ܪܓܠܬܐ rghelto, a Græcis χείμαῤῥος gurges aquarum, ab Hebræis שִׁבֹּלֶת Pſalm. 69. a Chaldæis ܫܘܡܪܬܐ Soomarto, a Græcis δίνη ἀμπώτις fons, ab Hebræis מַעְיָן vel עַיִן 3. Reg. vlt. a Chaldæis ܥܝܢ ܕܡܝܐ a Græcis κρήνη. Piſcina, lingua Hebræa בְּרֵכָה 2. Reg. 2. Chaldæa ܦܣܝܢܐ fsuino, vulgo, Conſerua d'acqua, Græca κολυμβήθρα 4. Reg. 18 Aquæductum Hebræi dicunt תְּעָלָה tehalah. Chaldæi ܐܓܘܕ ܡܝܐ agud maià. Gręci ὑδραγωγὸς 4. Reg. 20. Abyſſus, Vorago Hebraice [illegible] Pſa. 69. Chaldaice ܗܘܬܐ Hauto. Græce χάσμα, Luc. 6. Mare, Chaldæi dicunt ܝܡܡܐ Iammi Hebræi יָם Pſal. 83. Græci θάλασσα. Magnum flumen ſcribunt Chaldæi ܚܝܡ ܢܗܪ Haim naor, & aquā haurire ܓܘܒܐ ܕܡܝܐ Giubo: Græci autem ὑδρεύεσθαι. 1. Reg. 7.

Hæc de nominis etymologia: nunc ad dignitatē, & excellentiam aquæ tranſeamus.

AR-



# ARGVMENTVM.

Quænam de aquæ excellentia Ethnici Sapientes ſenſerint.

## *RERVM SVMMAE.*

1 *Semen cuiusq. rei humidum eſt.*

2 *Calido viuimus, humido nutrimur; vulgare dictum.*

3 *Stellas a nubibus Oceani generatas, Poetæ credidere.*

4 *Aqua ſecundum Heſiodum, chaos dicitur.*

5 *Iuramentum validiſſimum per aquas, Poetarum Dij præſtabant.*

6 *Nonnulli Poetarum legerunt libros Moyſi.*

7 *Vulgo creditur, Platonem vidiſſe libros Moyſi: & quid circa hæc ſentiat D. Auguſtinus.*

8 *Quod Moyſes a Deo leges acceperit Iudæis promulgandas, fatetur Diodorus Siculus.*

9 *Animam hominis aquam eſſe dicebat Hippon.*

10 *Aqua nō eſt anima, ſed animæ miniſtrat uires.*

11 *Thales, vnus ex ſeptem Græciæ Sapiētibus primus fuit, qui Sapiens diceretur.*

12 *Thaletis opinionem de aqua catholice interpretantur aliqui.*

13 *Thales Mileſius, quando floruit.*

Aquam

14 *Aquam fuiſſe principium rerum omnium plurimi teſtantur ex ſententia Thaletis.*

15 *Qui tantum aquæ non tribuunt, fatentur tamen illam cæteris rebus præferendam.*

16 *Aquam commendat Vitruuius.*

17 *Aqua optima ſecundum Pindarum.*

18 *Aquam commendat Galenus.*

19 *Aqua ſimpliciſsimum medicamentum.*

20 *Aqua maximi eſt nutrimenti.*

21 *Populi arbores.*

22 *Populi plantæ aquarum amiciſsimæ.*

23 *Aqua confert ad vitam producendam.*

24 *Bracmanos diu vixiſſe, quia aquam bibebant.*

25 *Syrij etiam, & alij plures eadem ratione longæui.*

26 *Abſtemij ad ſtudia, & ad res inueniendas aptiſsimi.*

27 *Noſtra ſapientia vino tabeſcit.*

28 *Inſignes multi viri aquam biberunt.*

29 *Demoſthenes laudatur, quod aquam potaret.*

30 *Aquam bibentes non laborant vertigine.*

31 *Aurum igne nobilius, neutrum vero nobilius aqua.*

32 *Chaos ſecũdum Heſiodum ante omnia extitit.*

33 *Chaos multi aquam interpretantur.*

Illud



34 *Illud altero præſtantius eſt, quo magis vtimur.*

35 *Amicus ille dicendus, cuius animum omni tempore propenſum habemus.*

36 *Ignis ſæpe moleſtus.*

37 *Aquæ vſus omni tempore neceſſarius.*

38 *Defuncti homines* ἀλίβαντας *græce dicũtur, id eſt ſine aqua.*

39 *Præſtantius dicitur id, quod eſt antiquius.*

40 *Aqua naturæ donum.*

41 *Aquæ inuentor incognitus Ethnicis.*

42 *Maioris eſt vtilitatis id quod incommodum, aut detrimentum non affert.*

43 *Id magis prodeſt, quod parabilius eſt.*

44 *Ignis copiam maiorem habent diuites, quam pauperes.*

45 *Id vtilius credendum eſt, quod cum alio copulari poteſt.*

46 *Aquæ natura calida ſalubriores, & ad curationem aptiores.*

47 *Aqua elementum cæteris omnibus imperat.*

48 *Aqua maris quintum elementum ſecundum Plutarchum.*

49 *Mare niſi fuiſſet, homine nihil ferocius eſſet.*

50 *Vinum, fruges, & literæ mari ſunt acceptæ referendæ.*

Mare

51 *Mare quodammodo humanum genus ab imperitia dicitur vindicaſſe.*

52 *Aqua igni præferenda videtur.*

53 *Mare diuinum appellauit Homerus.*

54 *Mare diluere omnia hominum mala, dixit Euripides.*

55 *Mare appellatur diuina ſcriptura, ſecundum S. Ambroſium.*

56 *Poetæ comparant diſciplinas omnes aquis, & fontibus.*

57 *Aqua in ſomnijs myſterium habere ſolebat apud Gentiles.*

58 *Aqua laudanda, quod vinum temperet.*

59 *Quis fuerit primus auctor, aquam vino miſcendi.*

60 *Græcari, Prouerbium.*

61 *Auctor miſcendi aquam cum vino, fuit cognomine vocatus Ceraſus, quæ vox ſignificat, miſceo.*

62 *Declaratur Virgilij carmen:*
Poculaq. inuentis Acheloia miſcuit vuis.

63 *Vinum dilutum, quomodo dicitur à Rabinis.*

64 *Explicatur locus Cant. 7.*

65 *Luna plena quomodo dicitur à Rabinis.*

66 *Pulchritudo veſtis ex rotunditate cenſenda.*

*Nili*



67 ***Nili aqua fuit in theſauris Regum Babyloniorum.***

68 ***Perſarum Rex abſtemius, non bibebat niſi aquam ex flumine Choaſpe.***

69 ***Philadelphus ſecundus Ægypti Rex, Nili aquam maxime venerabatur.***

70 ***Eius filia Berenix aquam Nili ſolam bibebat.***

71 *In templo Clarij Apollinis ſacerdotes, aqua aſſumpta futura prædicebant.*

72 ***Diuerſorum populorum ſacerdotes, aqua epota vaticinabantur.***

73 *Lympholenti, & vinolēti ventura præuident, iuxta Gentilium ſententiam.*

## CAPVT TERTIVM.

AQuæ præſtantiam, atq. excellentiam antiquiſsimi philoſophi adeo intellexerunt, vt propterea Thales Mileſius, vt & ſupra meminimus, vnus è ſeptem, Græcorum ſapientiſsimus, quem Ariſt. lib. 1. Met. dixit principem ſpeculatiuæ philoſophiæ, dixerit, aquā eſſe rerum omnium principium, à quo
1 nata ſunt omnia, † cōſiderans forte ſemen cuiuſq. rei,
vt pote hominis, eſſe humidum, nullumq. poſſe, quod
2 humidum non ſit, nutrimentum reperiri, † ex iam tri-

D to

to illo pronunciato; Calido viuimus, humido nutri-
3 mur. Ideoq. ſtellas, & omnia a nubibus † Oceani di-
xit generata ſecundum Homerum 14. Iliad.
ὠκεανοῦ ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. ideſt, *Oceani, qui generatio omnibus factus eſt.* vel ſecũdum aliorum tranſlationem:

*Oceanus, de quo primum ſunt omnia nata.*

4 Id quod Heſiodus videtur ſenſiſſe; qui † aquam in
ſua Theogonia Chaos vocauit, dicens:
ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ' αὐτὰρ ἔπειτα γαῖ' εὐρύστερνος. quos &
Virg. imitatus eſt in 4. Georg. Oceanum patrem re-
rum. cui Thaletis opinioni adhæret Hippo, ſecundũ
Ariſtot. 1. Met. cap. 1. Quam rem totam præclare S.
Thomas exponit eodem in loco in lect. 4. Dicebant
5 quoque, † ideo a priſcis poetis fingi Deos, cũ ſe quid
ſanctius promittebant ſeruaturos, per ſtygiam palu-
dem iurare: Et quid, ſi dixerimus eos, aut ſecreta Pa-
6 trum traditione, † aut ex libris Moyſi, aut aliquo Sybil
lino oraculo veram rerum creationem cognouiſſe,
vt in Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:*
7 *& producant aquæ reptile animæ viuentis?* † Quod au-
tẽ Plato viderit libros Moyſi, creditur paſſim a vulgo
litteratorum: quamuis S. Auguſtinus ab hac ſenten-
tia 8. de ciuitate Dei, cap. 2. eatenus diſſentiat, quate-
nus vult Platonem libros ipſos Moyſis minime legiſ-
ſe; ſi quidem tunc in Græcam linguam non erant
tranſlati, ſed potius per interpretem, vt Aegyptias ita
8 Hebraicas ſcripturas percepiſſe; & quod † a Deo leges
acce-



acceperit Moſes Iudæis promulgandas, fatetur vel inuitus Diodorus Sicul. lib. 1. cap. 5. ſicut præclare aduertit Guido Fabritius Boderianus in epiſtola præambulari ad tomum quintum Bibliorum Regiorũ.
9 † Animam quoque hominis aquam eſſe dicebat iti-
dem Hippo, vt refert Nemeſius lib. 4. de natura homi
nis, Ariſt. 1. de anima tex. commen. 32. S. Thomas 1.
Met. lect. 4. litera G. cuius quidem ſententia, ſi ad
animam rationalem referatur, omnino improbanda
eſt, Catholicæ enim fidei repugnat, quæ animam, nõ
ex materia præexiſtenti, ſed ex nihilo a Deo cum in-
funditur, creari ex Patrum ſententia docet. Hanc vero
Hipponis opinionem catholice acceptam magis ve-
riſimilem reddere videtur Greg. Niſſenus cap. 1. in
lib. de anima, † cum cenſeat aquam vires hominis
miniſtrare: quod ſi ita intelligamus, nõ omnino Tha-
letis opinio eſt contemnenda, qui non modo vnus è
11 ſeptem, vt dictum eſt ſapientibus Athenarum, † ſed
12 & primus fuit, quem ſapientem dixere; imo † videtur
eam catholice interpretari eodem plane modo Nico-
laus Loridanus philoſophus in libello de reuerſione
animi in cælum, fol. 10. & 11. ſic intelligens illud
Moyſis: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:*
13 † Floruit autem Mileſius Thales, ſi Hebræorum ſup-
putationem ſequamur, anno a mundo cond. 3366.
ſecundum vero Theophilum Alexand. 5035. Olym-
piad. 45. quando iam deſtructa Hieroſolyma Iudæi
Babyloniam ducebantur captiui, vt aſſeuerat Feuar-
D 2 dentius

dentius in additionibus ad Irenæum contra hæreſes
14 lib. 2. cap. 19. De hac vero Thaletis ſententia, † aquã
eſſe rerum principium (quamuis reprehenderetur ab
Ariſt. qui ſymbolicam aquam non cognouit) agunt
Clem. Alexan. lib. 1. Stromat. Tertullia. aduerſ. Mar-
cionem lib. 1. Irenæus aduerſ. hæreſ. lib. 1. cap. 5. Iuſti-
nus martyr in admonit. gent. Euſebius de præparat.
Euangel. lib. 1. cap. 5. Lactantius firmi. lib. 5. cap. 1. &
lib. 2. cap. 10. Gregor. Niſſen. in lib. de elemen. cap. 4.
Auguſt. de ciuit. Dei lib. 8. cap. 2. & ex Ethnicis ſcri-
ptoribus Cic. de natu. Deo. lib. 1. Plutar. de placit. phi-
loſopho lib. 1. cap. 3. (ſi tamẽ Plutarchi liber eſt.) Vitru
uius lib. 2. cap. 2. Galen. in lib. de ſenten. philoſopho-
rum. Auſoni. in ludo ſapien. vbi inquit: *Mileſius Tha-
les aquam, qui principem rebus creandis dixit*. Et
quamuis priſcorum multi, prout & Chriſtianorum
plerique omnes, non ſint plane Thaletis opinionem
15 ſequuti, † aquæ tamen plurimum tribuentes, eam cæ-
teris rebus omnibus præferebant. Vnde Vitruu. lib.
16 8. cap. 4. Nulla, inquit, † ex omnibus rebus, tantas ha
bere videtur ad vſum rerũ neceſſitates, quantas aqua:
ideoque omnium animalium natura, ſi frumenti fru
ctu priuata fuerit, arbuſtiſue, aut carne, aut piſcati, aut
etiam qualibet ex ijs aliquis rebus eſcarum vtendo,
poterit tueri vitam; ſine aqua vero nec corpus anima-
lium, nec vlla cibi virtus poteſt naſci, nec tueri, nec pa
17 rari. † Ideo Pindarus aquam dixit optimam, Ode 1.
Olym. in prin. ἄριστον μὲν ὕδωρ idest, *Optima quidem aqua*.
&



& in Ode 3. Olymp. εἰ δ᾽ ἀριστεύει μὲν ὕδωρ. Aqua enim, vt
præ cæteris, virtute eminet, ſic ad iuuandum eſt admo
dum opportuna (vt ex eiuſdem Pindari ſentẽtia, aſſe-
rit Ariſt. lib. 3. Rhet. Galen. quoque lib. 1. ſimpl. me-
18 dicam. c. 4. in prin. *Aqua, inquit, eſt conuenientiſſima
omnibus hominib. tum ſanis, tum ægrotis, & ad uitam maxi
19 me neceſſaria*. Et in lib. de affect. rerum. † *Id, inquit,
eſt mundanorum, & ſimplicium medicamentorum unum, ex
quibus uniuerſis tota noſtri corporis conſtitutio conflata eſt*.
20 † Maximi nutrimenti aquã eſſe, teſtatur Homer. lib.
17. Odiſſ. vbi dicit ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ αἰγείρων ὑδατοτρεφέων ἦν ἄλσος
Ideſt: *Circum autem populorum aqua victitantium erat
21 lacus*. † Quamquam & Homerum non de humanis
populis dixiſſe, ſed arboribus illis, quæ populi appellã
22 tur, † cum ſit illa planta aquarũ maxime amica, cenſet
pręter aliorũ opinionẽ Tiraq. in lib. de nobilitate, dũ
de aqua loquitur cap. 31. nu. 185. & ante ipſum ob-
ſeruauit Athenęus lib. 2. dipnoſophiſt. cap. 2. in princ.
23 Lucian. quoq. in ſuis Macrob. † *Per aquam, inquit,
24 vitam produci, ac propterea Syrios ad tercentum annos ui
25 xiſſe*: † Bracmanos itidem longiſſime, cum nihil præ-
ter aquam bibant; quod & refert Suid. in verb. Brac-
mani, & alij prolixius: nec alia, niſi quod aquam bi-
26 bant ratione ducuntur. † Solos abſtemios aptos eſſe
ad ſtudia, rerumque inuentionem dicebat Eubolus,
27 † noſtramque ſapientiam vino, ſcribit Athenęus loco
28 iam citato, hebeſcere. Idẽ Plin. lib. 23. cap. 1. † ideoq.
reperti ſunt multi virtutibus inſignes, nihil præter
aquam,

aquam poti, vt Theodoſius Lariſs: referente Philarco
Demoſthenes, Philinus, Glauco, Anchemolus, Mo-
ſcus philoſophi, Lamprus Muſicus Moſchius, Pole-
mon Academicus, Diocles Peparetius, & pleriq. alij.
29 †Demoſthenem vero aliquid compoſiturum in hæc
verba iocari ſolitum legimus: *alios dicere in aqua, De-
moſthenem vero ſcribere in aqua:* Sic Libanium Sophi-
ſtam in Demoſthenis laudem teſtatur: Lucianum
quoque ſcimus aquam bibentem apud Plutar. in lib.
de decem orat. Abſtemium quoque legimus Apol-
lonium Tianæum fuiſſe, qui vt aſſerit Philoſtratus,
30 qui illius vitam cõſcripſit, dicere † ſolitus erat, biben-
tes aquam nunquam vertiginis morbo laborare, ſom-
nique eſſe quam leuis. Nec mihi quidem digna, quæ
prætermittantur hæc præclara Plutarchi verba vi-
dentur in quæſtione illa: *An aqua ſit dignior igne,*
quæ citat etiam Cæl Rodig. lib. 3. antiq. lect. cap. 12.
31 *Pindarus,* inquit, *nihil aqua præſtãtius eſſe cenſuit.* †*Au-
rum vero cum igne conferens, ex contrario poſteriores huic
32 defert: cum illo autẽ eſt, quod ab Heſiodo* †*chaos ante om
nia extitiſſe commemoratur; maxime autem, cum nihil
33 aliud* †*Chaos, quam aquam plurimi interpretati ſint: nam
Chaos, quæ vox diffuſſionem notat, & Græcis eſt Clyſis, eo
quod & fluere, & fundi poſſit, dictũ eſt. Mox vero princi-
34 pio perſpicuum eſſe, & inter omnes conſtare video.* †*illud
altero vtilius, & præſtantius eſſe, quo & plurimum vti-
mur, & continenter atq. perpetuo opus habemus, neq. ca-
rere poſſimus, non aliter ac inſtrumentum, atq. ſupellex.*
Quem-



35 †*Quemadmodum etiam illum amicum nobis eſſe ducimus,
atq. exiſtimamus, cuius animum erga nos omnibus horis,
36 omni tempore propenſum perſpicimus.* † *At ignis ſæpe mole-
ſtus, ſæpe à nobis reijcitur; tantum abeſt, vt continuo accõ-
37 modatus eſſe poſſit. Aquam vero rurſus contemplere* †*hu-
ius vſus non æſtate modo, ſed & hyeme neceſſarius. Ex
hac nõ minus ægri, quã integra valetudine vſum capiunt.
Hæc noctu, hæc interdiu vtilis, nec fere vmquam tempus
38 eſt, quo humana vita carere aquã poſſit.* †*Quapropter vi-
ta functos Græci,* ἀλίβαντας*; quaſi ſine fonte, ſine humore,
quod ſcilicet eo iam priuati, atq. ob id mortui ſunt.* Tum
deinde:

*Atque ſine ignis vſu multa quandoq. fuere, verumta-
men nullum, vt opinor, tempus memoraueris, quo ſine aqua
mortalibus vitam degere licuerit. Nam ab initijs, & ve-
39 lut ab ipſis humani generis radicibus* † *id præſtantius, vti-
liusq. iudicatum eſt, quod reliquis, quæ temporis ordine po
ſterius ſunt inuenta, prius vſurpatum fuit. Porro manife-
40 ſtum eſt,* †*ipſam aquã naturæ donũ eſſe, & quidem neceſſa-
rium: cum interim ignem homini certamina, machinatio-
nesq. præter neceſſitatem omnem reperere. Itaq. neq. Deo-
rum, neq. Heroum veterũ illorum quiſquam inuentionem
41 huius ſibi ſumere poteſt.* † *Quando enim illa apud homines
eſſe cœpit, dicas mihi velim; protinus creatis omnibus, exti-
tit & illa, & vt procreari poſſint omnia, adiumentum at-
tulit.* Et paulo poſt:

*Abſque aqua neque commode, neque omnino viuere
licet. Inferius vero, ſine aqua, neque terreſtre, neque aqua-*
tile

*tile, neque volatile vllum viuere poſſe perſpicuum eſt.*
42 *Tum quoque maiorem afferre vtilitatem id credendum,*
*a quo, neque incommodi, neque detrimenti quicquam acci-*
*pi poteſt. Quo quidem nomine vt ignis propter perniciem*
*peſſime audit, ita aqua plane eſt a culpa iſta remota. Quin*
43 *etiam cum duo nobis proponuntur, nemo †illud magis pro-*
*deſſe, quod parabilius eſt, & ſine apparatu aliquo magno*
*de ſe vſui eſt, inficiatus fuerit. Quod ab igne emolumentum*
44 *expectas, opus eſt impenſa, materia opus eſt. †Quamobrem*
*eius copia maior apud diuites, quam egenos, Reges, quam*
*priuatam degentes vitam. At hac humanitate prædita eſt*
*aqua, quod ob æqualitatem, qui iſtam quærunt, non inſtru-*
*mentis, non machinis indigent. Eſt enim huiuſmodi bonum,*
*quod nullius auxilio, quoad vtilitatem opus eſt. Tandem*
45 *præterea ex duobus, †id quod cum altero conſociari poteſt;*
*prodeſſe magis credendum eſt. At cum humido, igni neque*
*ſocietas eſt, neque ſi eſſet, vtilitatis fructum præbere aliquẽ*
*poſſet. Econtrario aqua etiam cum igne coniuncta vtilita-*
46 *tem habet. Nam † aquæ, quæ natura calent, & ſalutares*
*ſunt, & ad curationem morborũ adhibentur. At huiuſmodi*
*ignem (ni fallor) inueniri non licet.* Hæc omnia Plutar-
chus generatim de aqua, cuius quidem dignitas po-
teſt ex Plinij auctoritate comprehẽdi, cap. *1.* lib. *31.*
47 Vbi inquit: †*Quippe hoc elementum cæteris omnibus impe*
*rat, terras deuorant aquæ, flammas necant, ſcandunt in*
*ſublime, & cælum quoque ſibi vendicant. Quid eſſe mira-*
*bilius poteſt aquis in cælo ſtantibus?* Quem locũ Alex.
Piccol. quoq. in tract. de magnitudine aquæ, & ter-





ræ cap. *1.* & *2.* recenſuit. Quod ſi ſpeciatim de maris
48 aqua tractemus, tanti† eam fuiſſe æſtimatam a Plu-
tarcho ibidem legimus, quod eam quaſi quintum
elementum exiſtimet, dicens: *Eſt id autem mare, &*
*quidem reliquis omnibus, cum aliorum, tum in primis com*
*merciorum gratia haud minus vtile. Nam fuit vita noſtra*
*aliquando agreſtis, & nulla rerum collatione mutua fami-*
*liaris, cum elementum quintum iſtud nos coniunxit, & per-*
*fecta omnia reddidit. Etenim & ſuppeditatione bonorum,*
*& mutua commerciorũ pertractatione, hominum conſocia-*
*tione, communitate, et neceſſitudine recte inſtituit. Heracli*
*ti dictum extat, niſi ſol eſſet, profecto quidem eſſet nox: atq.*
49 *ita nobis dicere conuenit, †niſi fuiſſet mare, nullum omnino*
*eſſet animal, quod cum hominis feritate comparari poſſet.*
50 †*Iam illud ab Indis in Græciam vites, & Græcia frugum*
*vſum his, qui tranſmarinas regiones habitant. Ex Phœni-*
*cia quoque litteras, vt obliuioni per memoriam ſubſidio*
*eſſe poſſent, conuexit. Ita non modo vinum, frugesque com-*
51 *portauit: ſed & ab imperitia, & ruditate genus humanum,*
52 *bona ex parte vindicauit. †Ecquis ergo non præferat vtili*
*tatis ratione igni aquam, cum & ad elementa vnum adie-*
*ciſſe videatur?* Eandẽ maris aquã Paul. Egin. lib. 7. c. 3.
Plin. lib. 31. cap. 6. num. 20. Dioſc. lib. 5. cap. 12. ſum
53 mis laudibus tollũt: ideo Homerus lib. 5. Iliad. †Mare
diuinũ eſſe dixit. Euripides vero, cũ in Aegyptũ cum
Platone naui adueheretur, & in morbũ incidẽs, maris
aqua ſacerdotũ conſilio lotus curaretur, in recuperatæ
valetudinis memoriã, hoc inter cętera carmẽ reliquit;
55 θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ ἀνθρώπων κακά. † *Mare diluit omnia*

*hominum mala,* vt Diog. Laert. in Platone, & Euſtath. interpres Græcus lib. 1. Iliad. referunt. Iam ſanctus Ambroſ. diuinam ſcripturam appellauit mare lib. 7. epiſt. 44. in 3. tomo, eamque velut mare habere ſenſus profundos, altitudine propheticorum ænigmatũ, in quod quidem multa introierunt flumina, nempe ſermones ſancti, qui animos audientium ſpirituali quodam potu irrigant; quibus etiam imbribus affluenter omnes abluimur, quicumque Chriſtianam ſequimur inſtitutionem. Antiquitas demum tota ſcié-
56 tias omnes, pręcipue vero poetarũ, † diſciplinã aquis comparauit. Hinc Pegaſeus, hinc Caſtalius fons, hinc vndę Cæphiſides, hinc Permeſſus, Iliſſus, Termeſſuſq. fluuij dicuntur; totamque, vt ſemel dicam, Aoniam aquis irriguam credidere, vt inquit Pier. Valer. in Hieroglyph. lib. 38. fol. 281. Multoſque ex gentilibus
57 aquã ipſam † in ſomnijs magna habere myſteria, credidiſſe refert Suid. quibuſdam carminibus adductis in ſuis hiſt in verb. ὕδωρ. Nec inter cęteras aquę
58 laudes eſt omittendum, † vinum aqua ideo temperari, quod ſine ea humanæ vitæ vehementer obeſſet.
59 † Primuſque, id apud Græcos dicitur Melampus medicus, (cum antea parum biberent) docuiſſe. Vnde
60 illud eſt † vulgo dictum, Græcari. Licet Polyd. Virg. lib 3 cap. 3. de inuentoribus rerũ, id Staphilo Siſteni filio tribuat. idemque ante eum dixit Plin. lib. 7. cap. 56 anno a Mundo cõd. 2847. ſecũdum Genebrard. in ſua Cronolog. par. 1. lib. 1. fol. 97. Meminit etiam eius



eius Diodor. lib. 5. Sapphus autem primũ temperãdi vini autoré Acheloũ fuiſſe, ſcribit: Hinc illud Virg.

*Poculaq. inuentis Acheloia miſcuit vuis.*

Et quod docuit Macrobius lib 5. Saturnal. cap. 18. & concinne id quidem explicat Natal. in Mytholog. lib. 7. cap. 2. Iulius autem Higin. mixtionis huius autorem facit Oenæum Aetoliæ Regem; qui eam ob
61 cauſam fuit poſtmodum cognomine vocatus † Cera
62 ſus, quoniam vox κεράσω Græce ſignificat miſceo, † quo ſane tendit illud Virg. in præallegato verſu, prout ſentit Alcia. lib. 9. Parerg. ca. 2. quamquam aſſerat Plictonicus eius rei autorem fuiſſe Melampodem, prout Staphilo dicebat. Sic enim intelligit Athenæus dipnoſophiſtar. lib. 2. cap. 2. In hunc ſenſum, cum Hebræi
63 † vinum mixtum יין מזוג ideſt Taim Mazug appellent, vidẽtur rem pulchram, ac perfectam ſignificare, & ſic accipiendum eſt, quod legimus ſcriptum in
64 Cant. cap. 7. † quem locum Loyſius Legion. ordinis S. Auguſtini interpretatur, mixturæ vino, licet alios vertiſſe dicat: Vmbilicus tuus crater Lunæ. In hebræo
65 enim legitur סהר † Lunam vero, quæ toto recreuit orbe, quam nos plenam dicimus, appellant מיהר michda, ideſt ad inſtar plenæ Lunæ rotundus eſt venter tuus: & ita, inquit ipſe, eſt venter tuus ſimilis crate-
66 ri rotundo, ac vini pleno: quoniam † quoad pulchritudinem in ventre hæc ſpectari ſolent, rotunditas, modicuſque ac ſucciplenus tumor. Eundem locum ita exponit Montan. dicens, ideſt: *Vmbilicus tuus ſicut*

 crater

*crater tornatilis, qui nunquam deficit mixtione.* Septua
ginta autem verſio eſt: *non indigens mixtione.* Vulgata
vero, *nunquam indigens poculis.* Vatabli tandem: *qui
non caret temperamento.* Ecce igitur, quanta dignitate
Ethnici aquam præditam exiſtimarunt. Sed & certarũ
aquarum dignitatem quandam innuiſſe videtur ali-
67 quot Regum vſus. Nam Reges Babylonij † aquam
Nili, & Iſtri è longinquis, exteriſque regionibus edu
ctam, in ſuis theſauris perpetuo ſeruabant: imo vero
Herodotus lib. 1. inducit Perſarum Regem Abſte-
68 mium, & quod magis eſt mirandum ait, † illum non
aliam bibiſſe aquam, niſi ex flumine Coaſpe, quod ad
Suſam vrbem fluit: ex quo etiam ſolus ipſe bibit,
quem plurimi currus quatuor rotarum a multis tra-
cti huiuſmodi aquam ferentes in vaſis argenteis ſe-
quebantur. Declarat Cteſias Cnidius, quo aqua hæc
regia ſequebatur: & quo in vaſis poſita argenteis af-
ferebatur? eam leuiſsimam eſſe inquiens, & ſuauiſſi-
mam. Scribit etiam Polybius, quod ſecũdus Aegypti
69 Rex † cognomento Philadelphus, cum filiam ſuam
Berenicem Antiochio Aſſyriæ Regi deſpondiſſet; ma-
gnis impenſis curauit, vti Nili aqua ad eam afferretur
70 quotidie, † vt ſolius huius fluminis aquam filia ſua
biberet. Nec omittendum eſt hoc loco, quod Vectius
prętextatus apud Macrobium refert: eos, ſcilicet, qui-
bus in templo Clarij Apollinis diuina effari permiſ-
ſum erat, aqua prius aſſumpta, rem peregiſſe. Plutar-
chus autem & aqua, & mero teſtatur Antiſtites quoſ
dam



dam apud diuerſos populos ſacra perficere, ac deinde vaticinari: *Vt enim,* inquit, *vinolenti dicuntur prædiuinare, ſic etiam lympholenti.*

Hæc & multa alia poſſunt de nobilitate & præſtantia aquæ, ſecundum celebres, vetuſtiſsimoſque autores conſiderari, qui quidem Ethnici fere omnes fuerunt, & abſque fidei lumine. De quibus latiſſime Athenæus, & accurate ſcribit, qui lib 2. Dipnoſophiſtarũ, cap. 2. ex profeſſo tractat de aquis, de quibus iam quid Chriſtiani ſentiant, videamus.

## ARGVMENTVM.

Quæ item ſancti Patres, atque cæteri Chriſtiani autores de aquæ præſtantia docuerint.

### *RERVM SVMMÆ.*

1 *Compunctio peccatorum aquis aſsimilatur in ſacris litteris.*
2 *Aquæ ſeptem præcipuas proprietates habent.*
3 *Aqua delet maculas.*
4 *Leæna cum adulterium committit, non redit ad leonem, niſi lauerit prius.*
5 *Ciconia poſt coitum ſe lauat.*
6 *Cygnus poſt coitum non capit cibum, niſi ſe prius lauerit.*
7 *Elephas ſingulis pleniluniјs flumina quærit*
ad

*ad ſe lauandum, eundemq. morē filios docet.*
8 *Aqua præbet viuendi vim.*
9 *Aqua fœcundiſsima.*
10 *Ægyptus ſine aqua ſterilißima eſt.*
11 *Siccitas per Eliam tollitur.*
12 *Aqua reſtaurat, & recreat animalia.*
13 *Cerui flumen ingreſsi velociores fiunt.*
14 *Aqua reſtituit languentibus ſanitatem.*
15 *Medici ſolent ſæpe bibendi licentiam ægrotis concedere.*
16 *Aqua extinguit ignem.*
17 *Aqua plurimum valet ad Ciuitates communiendas.*
18 *Babylonia munitiſsima ex fluminibus dicebatur.*
19 *Bethulia aquis abundans, munita & ipſa cenſebatur.*
20 *Autores multi recenſentur, qui aquas laudauerunt.*
21 *Aqua dicitur mirabilis ſecundum S. Thomā.*
22 *Aqua ſapore caret, vt per eam ſapores cognoſci poſsint.*
23 *Aqua facit, vt pauperes melioris conditionis exiſtant, quam diuites.*
24 *Aqua vino præſtantior.*

Pa-



25 *Patriarchæ longæui inter cæteras cauſas, quia, vino caruerunt.*
26 *Noe vineam plantauit, & poſt eum non tam diu vixere mortales.*
27 *Firmamentum quid ſit.*
28 *Aqua non fuit vnquam a Deo maledicta, ſicut alia fuerunt.*
29 *Animalia fuerunt maledicta.*
30 *Christus ſaluator poſt Reſurrectionem non comedit ex animalibus terreſtribus, ſed tantum de aquatilibus.*
*Chriſtus aquas ſanctificauit.*
31 *Aqua laudatur a beato Clemente.*
32 *Aquam laudat Card. de Cuſa.*
33 *Terra eſt aquæ großities.*
34 *Aqua vtiliſsimum elementorum.*
35 *Aquila renouatur in aquis, & quomodo.*
36 *Lachrymis renouari debemus.*
37 *Aquila ſagaciſsima dum iuuētutem renouat.*
38 *Aquila inter alas pullorum coaleſcit.*
39 *Aquila viuit ex præda pullorū, cū renouatur.*
40 *Ceruus etiam renouatur, ad exemplū Aquilæ.*
41 *Serpens renouatur ieiunio mediante.*
42 *Columbæ ex aquis proſpiciunt venientem accipitrem.*

Aquam

43 *Aquam celebrat Tiraquellus.*
44 *Aqua plurimũ commẽdatur in ſacris litteris.*
45 *Dei opera magna ex parte circa aquas, aut in aquis facta leguntur.*
46 *Primum opus Dei ſuper aquis.*
47 *Poſt cõditam lucem ad aquas diuertit Deus.*
48 *Aquæ paradiſum terreſtrem irrigant.*
49 *Flumina quatuor irrigant paradiſum, & quæ ſunt.*
50 *Patriarcharum connubia, vt plurimum prope aquas.*
51 *Aqua licet creata non legatur a Deo,*
52 *Non eſt tamen credendum, quod Deus aquam non creauerit.*
53 *Hæreſis eſt tenere, quod aqua fuerit Deo coæterna.*
54 *Directorium Inquiſitorum laudatur.*
55 *Franciſcus Pegna vir doctiſſ. & diſſertiſſ.*
*Quæ terrarum orbis partes per aquas immutatæ.*
56 *Portæ duodecim ſunt in cæleſti Hieruſalem.*
57 *Portas decem habuit terreſtris Hieruſalem.*
58 *Portæ ciuitatis Hieruſalem, quomodo appellarentur.*
59 *Porta vna cæli dicitur in mari eſſe.*





60 *Porta Capena Romæ celebris propter aquam*
61 *Aqua Mercurij Romæ fuit antiquitus.*
*Nundina Dea quæ apud Romanos.*
62 *Aquæ nomen tam in bonam, quam in malam partem accipitur in ſacris litteris.*
63 *Aqua refertur interdum ad diuinam ſcripturam.*
64 *Mara, ideſt amaritudo ſcripturarum.*
65 *Aqua ſignificat quandoque mortem, aut eius periculum.*
66 *Moſes propheta eximius ex aqua nomen accepit.*
67 *Mois apud Ægyptios aqua dicitur.*
68 *Moſis nomen debet ſcribi, & pronunciari biſſyllabum.*
69 *Haurire aquam quid ſignificet in ſcriptura.*
70 *Aqua pro populis accipitur in ſcriptura.*
71 *Princeps debet paſcere populum cibis, & aquis optimis.*
72 *Aquæ claræ ſignificant, homines virtute præditos.*
73 *Cameli aquas limpidas turbant, ne propriam turpitudinem videant.*
74 *Aqua ſignificat affluentiam bonorum, & gratiarum.*

75 *Aquæ amaræ dulces ſiunt propter petram.*
76 *Populi ſunt a Deo geniti.*
77 *Aquæ, ſonitum, & ſtrepitum ſignificant.*
78 *Aquæ ſacræ ex latere dextro templi.*
79 *Aquæ doctrinam Saluatoris ſignificant.*
80 *Aqua oblata per Chriſtum Samaritanæ, quæ fuerit.*
81 *Aqua ſapientia, ſecũdum Poetam Florentinũ.*
82 *Apoſtoli appellantur nubes.*
83 *Prophetiæ, et oracula difficillimæ explicatiõis.*
84 *Aqua verbum Dei.*
85 *Aqua dicitur gratia Spiritus ſancti.*
86 *Aqua pro virtutibus capitur in ſcriptura.*
87 *Hypocritarum quæ uidentur uirtutes, nõ ſunt perennes.*
88 *Multa in ſacris litteris capiuntur in bonam, & in malam partem.*
89 *Sephira, in Deo.*
90 *Cohemah, ſapiẽtia, miſericordia, pietas, gratia.*
91 *Ionas ingreditur aquas.*
92 *Ionas re, & nomine columba.*
93 *Mare Tharſis ſecundum Hieronymum.*
94 *Iuſtitia diuina, peccatum abire non permittit impune.*
95 *Ieſus mare Chocmah perambulauit.*

Puteus



96 *Puteus ſuperior Berſebah, puteus ſeptem.*
97 *Tempus quoddam in cælis ab hoc noſtro diuerſum.*
98 *Millenarius annorum numerus, vnus dies.*
99 *Rachel intelligitur vita contemplatiua.*
100 *Lia intelligitur vita actiua.*
101 *Mare Beracha, ideſt benedictio.*
102 *Nomen ſanctiſsimum Iehouah, & Adonai.*
103 *Mare Malchuth, ideſt, congeries aquarum, & materia rerum.*
*Piſcina Chesbon.*
*Sponſa plena influxionum omnium.*

## CAPVT QVARTVM.

INter cætera, quæ occulta quadam ſacrorum ratione Theologi, ſanctique Doctores conſiderant circa aquas, illud ſane videtur eſſe præcipuum, quod
1 † peccatoris compunctionem in ſacra ſcriptura aquis viuis comparare videntur: nec alia quidẽ
2 cauſa, niſi quod in aqua ipſa † ſeptem, in quibus iacta ſunt metaphoræ fundamenta, proprietates reperian-
3 tur. Prima aquæ proprietas eſt † vt maculas deleat, ſordesque tollat; hinc pannos, & omnia aqua purgari, mundaque fieri quotidie videmus: vnde in Iob cap. 9. *Si lotus fuero aquis viuis, & fulſerint velut mundiſſimæ*

F 2 manus

*manus meæ.* &c. in Leuit.cap. 11. *Congregatio aquarum*
*omnis munda eſt.* & Exod.cap. 19. Mandauit Deus, vt
veſtimentorum ſordes aqua abluerentur, quando le-
4 gem dare voluit.†Leænam (vt & in brutis aliqua eiuſce
modi adnotemus) legimus, ſi cum Pardo adulterium
commiſerit, obſcœni facti conſciam, nõ prius ad Leo-
5 nem redire, quam aqua lauetur. †Ciconiam quoque,
6 ſi cum alio concubuerit, itidem factitare. † Cygnus tã
candidus, ſi vel cum propria femina coierit, triſtis,
nullum, dum ſe fonte non abluerit, cibum ſumit.
7 †Elephantem vero an non ſingulis quibusque menſi-
bus, in plenilunio quærentem flumina, & mundari,
ſuosque filios, quo paternos videant addiſcantque
mores, præmittentem accepimus? Vnde in Ezech.
cap. 16. *non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lo*
*ta in ſalutem.* Per aquas igitur quamlibet purificatio
nem videmus myſtice intelligi. Ioa. c. 3. *Erat Ioannes*
*baptizans in Aenon iuxta Selim, quia aquæ multæ erant*
*ibi, & venientes baptizabantur.* Et in actibus Apoſt.
ca. 8. *Dum iret per viam, uenerunt ad quandam aquam,*
*& ait Eunuchus, Ecce aqua, quis me prohibet baptizari?*
8 †Secunda proprietas eſt, quod per aquam omnia, vi
uunt, iuxta illud, Eccleſ. 29. *Initium vitæ hominis panis*
*& aqua,* ideo arbores, herbæ, ac plantæ hyberno tem
pore ex defectu humiditatis internæ quaſi emoriun-
tur: aſcendente autem humore reuiuiſcunt. Vnde
9 Iſa. cap. 50. *Computreſcunt piſces ſine aqua.* † Tertia
vero quod omnia fœcundet & vegetet. terra enim
arida,



arida, ſecundum philoſophos, ſemen non recipit,
receptum non permittit erumpere, nec germinare:
madefacta autem lætior fit, & ad producendos fru-
ctus longe fertilior: ac propterea ex eius irrigatione
terram fructus ſuos daturam ſæpius ſacris litteris ex-
10 primitur, Leuit. 26. Deuter. 2. 3. Reg. 18. †ideo in
Aegypto cum imbribus careant incolæ, & agrorum
ſterilitas, & immenſa rerum penuria (Nilo non inun
11 dante) videtur. † Temporibus Eliæ, præ ſiccitate om
nia aruerunt; Deus tamen eius precibus exoratus, ma-
gnam imbrium frugumque fecit copiã; vnde in Iob
cap. 12. ſi continuerit aquas, omnia ſiccabũtur; aqua
vero adueniente omnia reuireſcunt, Ierem. 17.
12 Pſalm. 1. † Quarta autem quod & ſitim ſedet, & laſ-
ſa ac debilia animalium membra recreet, atque inſtau
ret: æſtate enim dum maxime æſtuant, ſi flumen ali-
quod ingrediuntur, egreſſa ſe excutiunt, auidiuſque
13 reſumptis viribus paſcuntur. † Cerui etiam a canibus
fatigati, ſi ad optatum fontem peruenerint, velociores
effecti ſiluas petunt, & venatores, canesque contem-
nunt; remiſſos ac fere perditos ſpiritus inſtaurat, vt
in Iſmaele Gen. 21. Sicut & Samſoni nimiũ feſſo dũ
inimicum viciſſet ex Aſini dente aquam conceſſit
14 Deus, Iudic. 15 †Mox quinta eſt quod ſanitatem lan
15 guentibus affert. † ideo ſolertes, & oculati medici ſo
lent cum neceſſarium ducunt, liberam ſitientibus in-
firmis bibendæ aquæ puræ facultatem concedere, vt
16 conualeſcant. † Sexta quidem proprietas eſt, quod
quem-

quemlibet extinguit ignem, Eccleſiaſt. cap. 3. *Ignem*
*ardentem extinguit aqua*. Septima quod in ea cõſeruan-
tur, & creantur ex omni animalium ſpecie, Gen. 1. &
17 9. Zach. 97. Eſtq. tandem, cæteris omiſſis, † ad com-
muniendas ciuitates quam aptiſſima: pleræque enim
facile in inimicorum prędam fierent, ſi aliquo alluente flu-
18 mine, haud vallarentur. † Hinc Babylonia non tam
quod fortiſſimis muris, quã quod fluminibus, quibus
vallabatur iudicabatur munitiſſima. Patet id quidem
19 in Bethulia. † Etenim parum abfuit, quin ea ciui-
tas ab hoſtibus diriperetur, nulla ſane armorum vi, ſed
impeditis, auerſiſque tantum aquis, quibus illa ceu va-
lidiſſimo propugnaculo communiebatur; ſic legitur
Iudit. cap. 7. Exod. quoque cap. 14. ſcribitur ad ſignifi-
candam hanc munitionem, quæ diuinitus tranſeunti
populo præſtabatur. Erat aqua quaſi murus a dextra
eorum, & lęua. Omnes autem aquarum laudes, quas
20 referunt Chriſtiani † autores, recenſere non videtur
hoc loco neceſſarium. Videre poterit quiſque apud S.
Thomam in 3. par. q. 66. art. 3. in corpore. q. 69. art. 2.
ad 2. & art. 4. ad 1. & alias multifariam illam allegorice
commendat ſuper Iſa. cap. 12. in fin. cap. 42. in fine, &
43. circa medium. Itidem ſuper pſal. 31. circa medium,
21 & rurſus in 1. par. q. 18. art. 1. ad 3. † Dixit quoque
mirabilem eſſe aquã ſuper pſal 32. in verb. *Congregans*
*ſicut in vtre aquas maris*. Multa etiã copioſe ſcripta re-
periuntur de aqua per Ioan. Mõtelonium in ſuo prõ-
ptuar. in verb. aqua. Illud ſane minime videtur igno-
bile,



bile, quod ex philoſophorum ſententia aquę tribuit
22 Damaſcenus lib. 2. orthod. fid. cap. 18. de ſenſu, † di-
cens, quod aqua eſt omnis ſaporis expers, cuius rei ra-
tionem reddit ibidem Clictoueus in commentarijs,
quia aqueus humor eſt ad diſcernendos omnes ſapo-
res apprime neceſſarius: quippe cum ſine eo, carere-
mus omnino ſenſu guſtandi, quem idcirco debemus
aquæ acceptum ferre. S. Io. Chryſoſtomus hom. 5. de
oratione Annæ tom. 1. non pluris diuitem, quam pau-
23 perem facit, † imo meliorem eſſe pauperis conditio-
nem exiſtimat, dicens: *Diues habet thaſium, & alios*
*multos fictitios potus, & ad voluptatem conditos: at fontes*
*aquarum omnibus pariter ſunt propoſiti, tam pauperibus,*
*quam diuitibus. Ridebis forte*, ſubdit, *audiens hanc æ-*
24 *qualitatem.* † *Audi igitur quanto præſtantior ſit quouis*
*vino aquæ natura, magisq. neceſſaria, & vtilis; nam vi-*
*no quidem ſublato non magnum fuerit detrimentum, præ-*
*terquam infirmis ſolis: ſi quis autem fontes ſuſtulerit & a-*
*quarum elementum, vitam omnem noſtram ſubuerterit,*
*et omnes perdiderit artes, ac ne biduum quidem durare po-*
*terimus, ſed ſtatim moriemur morte quadam miſerabili,*
*atque grauiſſima. Tum quoque videmus multos diuites*
*propter delitias valetudinarios, vt plurimum aquæ potu*
*abſtinere, pauper autem per omnem vitam his fluentis li-*
*bere fruitur, & tanquam ad mellis fontes, ſic ad aquarum*
*currens riuulos, ſinceram inde & puram percipit volu-*
*ptatem.*

Illud vero apud Patres, ſacroſque interpretes omni-
no con-

25 no conſtat,†primos Patriarchas,maioreſque noſtros
ea inter alias cauſa, quod aquam bibiſſent, ad octin-
gentos, nōgentoſque etiam annos vitam produxiſſe.
26 †Poſt Noe vero, qui plantandæ vineę premendæque
vuæ autor inuentorque fuit, non tamdiu. Ad aquæ
etiam præſtantiam pertinet, quod ex ſacris litteris, ac
pſalmis Eccleſia frequenter canit: *Benedictus es Do-*
27 *mine in firmamento cæli.* †Firmamentum enim hoc
loco nuncupari non quidem ipſam cęlorum maſſam,
aut id cœlum, in quo ſtellæ ſitæ ſunt; ſed ſolum aeris
elementum, vbi generantur aquæ, ſentiunt Rabbi
Abrahã, Aben Ezra, Aug. Steuchus, & doctiſs. Hiero.
Vielmus Epiſcopus Argolicen. in lect. 14. ad Geneſ.
Vnde Dauid Pſal. 142. cum multũ miſeriarum vellet
exprimere, dixit: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*
Quin & has ob cauſas Prophetæ grande hoc opus Dei
ſæpenumero extollũt. Hier. c. 10. *Ad vocem ſuam dat,*
*multitudinem aquarum in cælo, & eleuat nebulas ab ex-*
*tremitatibus terræ.* Amos cap. 9. *Qui vocat aquas ma-*
*ris, & effundit eas ſuper faciem terræ, dominus nomen illi*
Iob. cap. 37. *Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter, qui*
*præcipit niui, vt deſcendat in terram, & hyemis pluuijs, &*
*imbri fortitudinis ſuæ.* Et pſal. 145. *Qui operit cœlum nu-*
*bibus, & parat terræ pluuiam.* Fuit nimirum aqua præ
cæteris elementis a Deo admodum decorata, cũ nun-
quam maledicta fuiſſet, quia primi parentes noſtri in
ea non peccauerunt. ideo tantummodo dictum fuit:
Maledicta terra in opere tuo. Vt perbelle docet Roſa-
rium



rium Theologiæ in verb. benedictio. §. 2. & 3. cui qui-
29 dem maledictioni obnoxia etiam ea ipſa † animalia
fuere, quæ de maledictæ terræ fructibus comederunt,
30 non autem aquatilia: ideo † Saluatorem noſtrum
Chriſtum, cum è mortuis reſurrexiſſet, non aliud le-
gimus ex animalibus comediſſe, quam piſcem, vt pul-
chre notat S. Auguſt. lib. 1. de mirab. ſacr. ſcrip. cap. 4.
cuius verba ſunt hæc: *Aquatilia maledicto vindictæ*
*non ſuccumbunt, quia in maledictionis participatione non*
*ſunt, ac per hoc & Dominus, cum mortis humanæ maledi-*
*ctum reſurgendo depoſuerat, non terreſtrium, ſed aquati-*
*lium carnem animalium comedebat, cum ad confirmatio-*
*nem reſurrectionis coram diſcipulis ſuis piſcis aſſi partem,*
*& fauum mellis accipiens manducauit.* Hęc ille.

Illud quoque dignum videtur, vt hoc loco dicatur,
quod per Ieſum Chriſtum aquæ ſanctificatæ ſunt,
cum primum in eis voluit baptizari, vt docuerunt Ori-
gen. homil. 7. in Luc. S. Gregorius Nazian. homil.
in Epiphan. S. Io. Chryſoſt. hom. 10. in Matt. S. Hilar.
in 2. cap. Matt. S. Ambroſ. in Epiphania ſerm. 4. S.
Hierony. in 3. cap. Matt. Petr. Caniſ. de corruptelis ver
bi Dei, cap. 6. lib. 1. Porro aquę vim, atque pręſtantiam,
ſi ſpiritum illi addamus, elegantiſsime expreſſit B. Cle
31 mens † Rom. lib. recognitionum 8. his verbis:
*An non & in hoc pleniſsimum demonſtratur opus diuinæ*
*prouidentiæ, vbi ex terra & aqua ad vitam hominum ſe-*
*mina iacta reparantur? Quæ cum terræ fuerint mandata,*
*voluntate Dei humorem, quem ſuſceperit gleba, velut vbe-*


ribus

*ribus ſuis ſeminibus immulget: aquis ineſt quædam vis ſpiritus a Deo dati ex initio: cuius opere, habitus futuri corporis, in ipſo ſtatim ſemine formari incipit: et per culmum ſpicamque reſtitui: turgefacto etenim ex humore ſeminum grano, per anguſtos quoſdam venarum meatus, vis illa ſpiritus, quæ ineſſe aquis data eſt, vtpote incorporea tranſcurrens, ad incrementum ſemina ſuſcitat, & creſcentium ſpecies format. Miniſterio igitur humidi elementi, cui vitalis ille ſpiritus inſitus ſemper & ingenitus eſt, efficitur, vt non ſolum reparetur, ſed vt per omnia ſimilis ſpecies, & forma his quæ iacta fuerint ſeminibus redeat. Quæ ratio, cui vel breuem ſenſum habenti, per irrationabilem naturam, & non per diuinam ſapientiam conſtare videbitur? Denique etiam hæc ad ſimilitudinem humanæ natiuitatis formata ſunt: videtur enim terra vuluæ locum tenere, cui ſemen iniectum, per aquæ & ſpiritus vim, ſicut ſupra diximus, & formatur, & alitur: ſed et in hoc admiranda eſt diuina prouidentia, quod videre nos quidem & agnoſcere fecit quæ fiunt: quomodo autem & qualiter fiant, in ſecreto poſuit, et in occulto, vt non indignis ad agnitionem ſubiaceant: ſed dignis & fidelibus, cum meruerint, pateſiant.*

*Vt autem rebus ipſis & exemplis probemus, nihil omnino ex terrena ſubſtantia ſeminibus dari, ſed totum ex elemento aquæ & ſpiritus, qui ineſt ei, virtute conſtare: pone mihi, verbi gratia, in cratere aliquo, ampliſſimæ magnitudinis, iniici terræ talenta centum, & ſeminentur in eo diuerſæ ſpecies ſeminum, vel olerum, vel etiam virgultorũ, his præbeatur ad rigandum aqua ſufficiens, & per annos*

plu-



*plures adhibeatur iſta diligentia; congregentur autem ſemina, quæ collecta fuerint, verbi gratia frumenti, uel hordei, aliarumque ſpecierum per ſingulos annos ſeorſim, donec unus cuiuſque ſeminis aceruus ad centum talentorum pondus aſcendat, tum etiam arbores auulſæ radicitus adpendantur, & his omnibus, & creaturæ ſumptis, ſi adpendatur terra, cẽtum ſua nihilominus talenta ſalua reſtituet. Vnde ergo dicemus omne illud pondus, omnemque quantitatem ſeminum diuerſorum, atque arborum ſurrexiſſe? nonne euidenter apparet, quod ex aquis? Terra enim quod ſuũ eſt, integrum tenet; aqua vero, quæ per ſingula iniecta eſt, nuſquam prorſus eſt, ob potentem diuinæ conditionis virtutem, quæ per vnam aquæ ſpeciem tantorum ſeminum uirgultorumque, & ſubſtantias reparat, & ſpecies format, & genus fœnore multiplicato cuſtodit. Ex quibus omnibus ſatis abundeque patere puto, artifici ſenſu, & non irrationabili naturæ opera cuncta effici, & vi vniuerſa conſtare.* hactenus Clemens.

Horum vero librorum a Ruffino translatorum fidem, pluribus Patrum autoritatibus defendit Lambertus Gruterus in præfatio. ad lib. B. Clem. Aquam
32 etiam ſummis tollebat. laudibus † Nicolaus de Cuſa Card. lib. 9. Excitat. cap. Quodcunque dixerit vobis, dicens: *Aqua eſt quædam claritas ſpecularis, in ſe capiens figuras, & intra ipſam claritatem eſt quædam vis vniuerſalis, quæ conuerti poteſt ad omnem ſenſibilem formam, ſcilicet mineralem, vegetabilem, & ſenſibilem, ita vt ipſa aqua ſit quodammodo omnis ſenſibilis potentiæ for-*

 ma,

*ma, potentia, cui omnes ſenſibiles formæ inſunt. Nam ſi tol-*
*litur de mundo aqua, nulla eſt arbor, nulla diſpoſitio, nullus*
*ornatus, nulla figura, et nec aſtra erũt, deficientibus aquis,*
33 *quæ ſupra cælos ſunt.* † *Quid erit terra, quę eſt aquæ groſſi*
*ti es? quid aer? quid eius uapor? quid ignis, qui aeris ſubtili*
*tas, ſeu ſpiritus?* Sed cõcludamus, cum S. Baſilio in He
xameron, homil. 3. quem etiam refert Bercor. in re-
34 duct. lib. 8. cap. 1. † Aquam eſſe valde vtile ac neceſ-
ſarium elementum inter cætera: cælum enim tempe-
rat, terram irrigat & fœcundat, aerem ſuis vaporibus
incorporat & condenſat, ſcandit in ſublime, & cælum
ſibi vendicat: Et ſunt aquæ cauſa omnium terræ naſcẽ
tium, quia fruges gignunt, arbores & plantas produ-
35 cunt, ſordes detergunt, peccata abluunt. † Obſeruant
quoque ſacri interpretes, Aquilam innouari, iunio-
remque fieri, cum plumas excutiens in aquam ſe
36 immerſerit. † Ex quo notandum, nos quoque pæ-
nitentiæ lachrymis innouandos, vt nouo ſpiritu,
& corde Domino viuamus: vt Ezech. cap. 12.
*Spiritum nouum tribue in viſceribus eorum.* Et Pſal. 50.
*Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua*
*in viſceribus meis.* Eam vero renouationem Aquilæ,
de qua ſcriptum eſt Pſal. 102. *Renouabitur vt Aquilæ*
*iuuentus:* in hunc modum fieri referũt Philoſophus,
& Papias Hieron. ad Præſidium Diac. & Alber. Ma-
gnus, qui præcipue renouationem iſtam deſcripſit
in lib. 34. de animalibus, dicens: *Ioannes & Adelinus*
37 *ſcribunt,* † *Aquilam quando ſeneſcit (tunc enim pulli eius*
grandes



*grandes facti venari poſſunt) cõſiderare limpidum fontem,*
*& ſuper eum in altum extolli vſque ad tertium aeris in-*
*terſtitium; & cum ibi incaluerit, ſubito demiſſis, ac retra-*
*ctis alis, ruit in fontis frigiditatem, vt ex frigido exterius*
*reſtringente calorem, intrinſecus in medullis ille multiplice-*
38 *tur. Mox exurgit è fonte, & ad nidum conuolat,* † *ac inter*
*alas pullorum tecta reſoluitur in ſudorem, & ſic exuit an-*
*tiquitatis habitum, & veteribus pennis depoſitis, no-*
39 *uas induit,* † *atque interim ſuſtentatur præda pullorum.*
Cum etiam ex ſenectute, pennæ illi, & oculi gra-
uantur, fontem quærere dicitur, in eoque ſe ter im-
mergere, ſicque oculis ſanari, vt teſtatur Ariſtot. de
hiſtor. animal. & Richardus Dinothus in ſuo aduer-
ſariorum libro, quinquagenaria 2. vbi de animalibus
agit. Quæ etiam deinde explicuit Ludouicus Viual-
dus de Monte regali, in tractatu de veritate contrit. &
40 † idem fere de Ceruo renouante ſe ipſum: † nec non
41 de Serpente ibidem docuit, quem dicit quadraginta
diebus ac noctibus ieiunare, & poſt ſe totum in aquas
immergere. Quæ omnia breui compendio proſecu-
tus eſt etiam Ottomarus Luſcinius Argentinus ſuper
pſal. 102. in verb. *Aquilæ iuuentus:* qui inſertus eſt col-
lectioni allegoriarũ vtriuſq. teſtamenti, quam edidit
Godefridus Tilman. Carthuſienſis, & Thomas Tru-
xillus in Theſau. concionato fer. 5. poſt paſſionem in
Euang. currẽti ſuper ver. Lacrymoſum: ante quos hęc
omnia docuit Epiphanius in lib. qui Phiſologus, ſiue
de animalib. 1. ſcribitur. Sed & illud inter aquæ lau-
des

42 des recenſeri debet, † quod columbæ prope aquas ni
tidas libenter victitant, quia ex illis, quaſi ex ſpeculo,
venientem ex alto accipitrem vident, ſicque eius in-
curſionem præmature cauent, ſicut eleganter ſcribi-
43 tur in Antidotario animæ tracta. 11. cap 3. † Ad hęc
latiſſime, ex multorum ſententia, hoc elementum ce-
44 lebrat Tiraquell. in tracta. de nobilit. cap. 31. † Nos
vero plurimas eius prærogatiuas è ſacræ ſcripturæ fon
tibus aliqua ex parte haurientes, dicimus in primis
45 † Deum magna ex parte in aquis, aut circa aquas plu
ra operatum fuiſſe. Volens enim ſe, vt ſummum bo-
num omnibus communicare & diffundere, creatio-
46 nem rerum exorſus † primum opus diuina Maieſtas
inſtituit ſuper aquis. *Spiritus Domini ferebatur ſuper*
47 *aquas*. Primo cōditi orbis die, producta luce † ad aquas
diuertit: *Fiat firmamentum in m dio aquarum*. Gen. 1.
Mox omnes aquas verbo cohibēs, dixit: *Congregentur
aquæ in locum vnum*. Creatum hominē ſiſtit in Paradi
48 ſo terreſtri, † quem irrigant aquæ. Inde enim quatuor
49 illa ingentia emanāt † flumina, Nilus, Tygris, Euphra
tes, & Phyſon: quorum fluminum quibus tota ter-
ra irrigatur deſcriptionem docte proſequitur Canta-
petrenſ. lib. 7. hypotipoſ. cap. 1. And. de Burgono. in
dogmat. lib. Andreas Bacc. de therm. lib. 6. Sed & pol
lutum deinde grauioribus peccatis orbem aqua pur-
gat Gen. 7. percutiens Aegyptum primam plagam a-
qua inflixit. Exod. 7. Hebręos ex Aegypto per aquas
liberat Exod. 14 Probat ad aquas eos viros, quos voluit
pergere



pergere cum Gedeone, Iud. 7. vbi dicitur: *Adhuc
populus multus eſt; deduc eos ad aquas, & ibi probabo illos.*
Incarnatū verbum baptizatur in aqua, Matt. 3. Aquā
Chriſtus in vinum vertit, primumque in aquis opera-
tur miraculum, Io. 2. Primos Apoſtolos apud aquas
vocauit, Matt. 4. Moriens in Cruce è latere emiſit a-
quam, Ioan. 17. A mortuis reſurgens ſe ſinit vidēdum
in aqua, Ioan. 12. Ad fontem aquæ Samaritanæ con-
uerſio contingit, Ioan. 4. Ad aquas languidum curat,
Ioan. 5. Cæcum natum præcipit aqua lauandum, Io.
9. Apoſtolorum pedes abluit aqua, Io. 13. Vaſaquæ
fuit in ſignū, vbi Paſcha cum diſcipulis ſuis erat cele-
50 braturus, Marc 14 Patriarcharum † connubia legi-
mus in veteri teſtamento interdum apud aquas inita;
etenim Iſaac Rebeccā iuxta aquas duxit vxorē, Gen.
24. Moſes vero Sophiam. Exod. 20. ſimiliter iuxta a-
51 quas Iacob capitur amore Rachelis, Gen. 29. † Nun-
quam legimus aquam fuiſſe creatam, ſed quod Spiri-
52 tus Domini ferebatur ſuper eam. † Nec tamen cre-
dēdum eſt, aquam a Deo creatam non eſſe, vt inquit,
Aug. in lib. vno de Geneſi ad literam imperfecto, to-
mo. 3. qui & ſubdit eam iam fuiſſe, antequam ille ali-
quid conſtituiſſet. Cum vero terra incompoſita, &
abyſſus carens luce crearetur, propter operandi facili-
tatem, & motum faciliorem, velut ſubiecta materies
artifici, aqua vocata eſt. Erat igitur aqua in rebus om-
nibus, aquæ tamen nomine perfecta opera tantum
(vt eius aptitudo demonſtretur) ſunt appellata: ideo
Spiri-

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Falſiſſima au-
53 tem fuit eorum† aſſertio, qui dixerunt, aquam a Deo
creatam non eſſe, ſed ei coæternam extitiſſe; quia im-
pie cōtradicit pſalmo 88. dum ait: *Aquilonem et ma re tu creaſti.* & cōtra tex. in cap. 1. de ſum. trinit. & fid. ca-
tho. vbi omnium viſibilium, & inuiſibilium dicitur
creator Deus. Itidem contra cap. fin. 24. q. 3. vt docet
Anton. in 4. par. ſummæ, tit. 11. ca. 7. Turrecremata
in ſumma lib. 4. cap. 34. Sebaſt. Med. in ſumma hæ-
reſum, in verb. aqua 10. poſt Alphonſ. de Caſtro, &
reprehenditur expreſſim ab Eymerico in Directorio
54 Inquiſitorum par. 2. q. 6. nu. 70. † Quod ſane opus
cum per ſe vtiliſſimum eſt, tum vero nouiſſime reddi-
55 tum eſt vtilius opera & Commentarijs † Franciſci
Pegñæ viri doctiſſimi & diſertiſſimi, ac de catholica
religione optime meriti. Si qua vero velimus mira,
quæ ex aquis circa orbis terrarum ſitum Deus effecit,
referre; conſtat Euboeam abſorptis terræ faucibus
Bœotiæ per mare ademiſſe Siciliā Italiæ, Hyberniam
Britanniæ, terram iunctam Acarnaniæ, in ſinum co-
rinthiacum commutaſſe, magnam partem Hollan-
diæ, Selandiæ, Batauiæ in pelagus Flandricum, vt illæ
orę proinde hodie aggeribus contra eius impetum
56 muniantur. † Præterea duodecim habere portas dici-
tur cæleſtis Hieruſalem in Apocalyp. cap. 21. & apud
57 Auguſt. quoque legitur ad pſal. 86. quamuis † terrena
58 non habuerit amplius quam decē: † quarū aliquæ ab
aquis nomē duxere, & ſunt hęc, videlicet, שַׁעַר הַצֹּאן Sa-

har



har Hazon, ideſt porta gregis, qua greges exibant &
ingrediebantur, Eſdræ lib. 2. cap. 3. שַׁעַר הַדָּגִים Sahar
Hadaim, ideſt, porta piſcium. שַׁעַר הַיְשָׁנָה Sahar Haieſ-
ſana, ideſt porta vetus, aut veteris piſcinæ, de qua Eſa.
22. Alia Sahar Hagai, ideſt porta vallis Ioſaphat. Sahar
Hahaſphot ideſt Sterquilinij. שַׁעַר־עַיִן Sahar Hain, ideſt
porta fontis. שַׁעַר הַמַּיִם Sahar Hammaim, ideſt porta
aquarum, quæ erat verſus oriētem. Sahar Haſuſſim, id-
eſt porta equorum. Sahar Hamiphcat, ideſt viſitatio-
59 nis, & iuxta aliorum tranſlationem, iudicij. † Aliqui
vero dicunt, vnam ex portis Cæli, quartam ſcilicet eſ-
ſe in mari, vt aſſerit Nouoburgenſis in concluſ. cabal.
fol. 189. Ad hæc accedit, quod Hieronymus Roma-
nus ſcribit in 2. par. rerum publicarum, quas hiſpani-
ca lingua conſcripſit lib. 1. cap. vltimo. Quod antiqui-
60 tus Romæ erat † porta Capena, quæ deinceps Appia
dicta eſt; apud quam erat piſcina quædam, ſeu lacus,
61 qui vocabatur † aqua Mercurij, ex qua etiam ſtultus
populus aſpergebatur cum lauri ramo, credebatque
ſic de commiſſis ſceleribus expurgari, Mercurio id
permittente. licet autem hæc, quæ a Romano ſcribun-
tur, non videantur ſatis probari: illud tamen certum
eſt, apud Romanos fuiſſe vſu receptum, vt ante ædes
ſacras aquæ extarent, quibus ingreſſuri expiarentur,
vt teſtatur Aſconius verb. Delubrū. Donatus in Hea-
utontimor. Terentij, Iulius Pollux in Onomaſtico,
qui ait, ante templi veſtibulum fuiſſe vaſa ſacra, quæ
aquæ minaria, ſiue περιῤῥαντήριον dicebantur. Ex qui-

H bus

bus intrantes templum aſpergebantur. Sed & Nundinam Deam colebant,cuius cultus eo referebatur, vt nono a natali die infantes aqua & igne luſtrarent, illiſque nomen imponerent, qui & luſtrici appellabantur dies,vt ex Macrob.lib. 1. Saturnal.cap. 16. obſeruat Bongus de myſter.numero. cap.de nu.9. Aquã præterea maximi momenti eſſe, hinc comprehendi
62 poteſt,quod eius nomen † quandoque bonum ſignificet, quandoque vero malum portendat. Ecce enim in malam partem accipitur apud Hieremiam cap.2. *Quid vobis,& vice Aegypti, vt bibatis de aquis Geon?* Quæ quidem dicuntur turbidæ,& cænoſæ, & cap. 9.contra hæreticos.*Dabo eis potum aquam fellis,in qua Draco regnat Aegyptius.* Dauid inter maximas ærumnas dixit Pſal. 68. *Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Et alibi: *Libera me de profundis aquarum.* Et rurſus: *Non me demergat tempeſtas aquæ*. Et pſal. 123. *Cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aquæ abſorbuiſſent nos*. Iterum Pſal. 63. *Circumdederunt me aquæ.* Tum quoque: *torrentem pertranſiuit anima noſtra, & aquam intolerabilem.* Deinde,*Contribulaſti capita Draconis in aquis.*Et Pſal. 73. *Tranſtuliſti illos per mare rubrum, & traduxiſti illos per aquam nimiam.* Sapien. 10. *Inimicos eorum demerſit mare*. Tandem: *Cum tranſieris per aquam tecum ero.* Iſai. 43. & in Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, & flumina non demergent eam*. Cuius bonæ & malæ ſignificationis aquarum meminit





nit etiam S. Auguſt.de vnit.eccl.lib.vn.cap.23.tom.7.
63 Aquam præterea myſtice interdum † diuinam
64 ſcripturam dicunt, & ea appellatur † Mara, ideſt, amaritudo,quæ dulcis quidem,ſi ſanctę crucis lignum in ea ponatur continuo euadit. Amariſſima ſecundũ exteriorem ſenſum Iudęorum, erat lex Moſis, vt dens pro dente,oculus pro oculo erueretur: ita & fornicatio in Thamar. Oſee quoque cum meretrice copulatus, & fornicaria Moſis vxor Aethiopiſſa. Num. 12. Occiſio Aegyptiorum Exod. 2. multaque alia, quæ quidem ſecundum literam,quę occidit,dura nimis,& amara videntur: at ſi ſpiritu, qui viuificat intelligan-
65 tur, dulcia fiunt † Mortem quoque extremumque ſępe eius periculũ aqua ſignificat: ideo legimus in Exo.
66 cap. 2. † Moſen prophetarum principem,præclarum ſane,& glorioſum per ſæcula,ita cum ex aquis ereptus fuerit, appellatum. *Vocauitque*, inquit, *nomen eius,*
67 *Moyſes,dicens,quia de aqua tuli eum* † Moys,enim Aegyptij aquã dicunt,referente id Prierio Valer. in Hie-
68 roglyph. lib. 38. † Et credunt aliqui debere hoc nomen, Moſes,pronunciari biſſyllabum, vt ait Clictoueus in Commentar.ad Damaſcen.lib. 2. orthod. fid. cap. 6. de cęlo. At vero ſępiſſime quoque bonam in partem ad bona ſignificandum accipitur Aquæ no-
69 men in ſacris ſcripturis. † Vt ſi dixerimus haurire aquam,ideſt,gratiam exorare. Vnde Eli Ezer ſeruus Abraham, cum Rebeccam pro hominibus & Camelis aquam e fonte haurientem vidiſſet, dedit ei armillas

brachiorum & inaures, eam filio domini ſui deſpon-
dens, Gen. 24. & ita haurire aquam pro hominibus,
& Camelis, eſt è fonte diuinæ gratię pro iuſtis &
peccatoribus gratiam impetrare. Ita & Eſaiæ 12.
*Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Ioa. 4
*Aqua, quam ego dabo, fiet ei fons aquæ ſalientis in vitam*
*æternam.* Quo loco recte notat Cyrillus Spiritus ſan-
cti gratiam ſignificari, Apocalyp. 21. *Ego ſitienti dabo*
70 *de fonte aquæ vitæ gratis.* Interdum † aqua pro populis
accipitur, Pſal. 28. *Vox Domini ſuper aquas.* Et, *Domi-*
*nus ſuper aquas multas.* & Ezech. 32. *Conturbabis aquas,*
ideſt populos. & Apocaly. 17. *Aquæ, quas vidiſti, populi*
*ſunt, gentes & linguæ.* Quod explicat etiam S. Auguſt.
lib. 2. contra epiſt. Parmeni. cap. 10. tom. 7. & alibi ſæ-
pe. Hinc Hector Pintus d. cap. 32. Ezech. pulcherrime
71 Principem inſtituens, docet, ab illo † populum opti-
mis cibis paſcendum, aquiſque claris & ſalubribus
eſſe potādum, de quibus Eccleſiaſt. 15. *Aqua ſapientiæ*
*ſalutaris potabit illum.* Et Pſalm. 22. *Super aquam refe*
72 *ctionis educauit me.* † Per claras tamen aquas, homines
virtutibus claros, & pios intelligere debemus, quos
plerunque homines praui perturbant, ne per compa-
rationem magis reluceat eorum nequitia, nō ſecus ac
73 ſoleant † Cameli limpidas aquas, ne turpem eorum
imaginem proſpiciant, conculcatione turbare, vt ſcri-
74 bit Plinius lib. 8. cap. 18. † Affluentiam quoque gra-
tiarum, & cuiuſque boni aquā dixit, Ezech. 36. & 47.
*Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini.*
Et



Et ideo Eſa. loco ſopracitato, dicit: *Haurietis aquas,*
non aquā, *de fontibus,* non de fonte. Dominus quo-
que dixit Eſa. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas.*
Quibus gratiis, & donis copioſe effluentibus gau-
det Eccleſia, vt in Cant. 4. *Impetu currunt de Libano.*
Et Pſal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.*
Eſa. 13. *In die illa erit fons patens domus Dauid.* Ioel. 3.
*Per omnes riuos Iuda ibunt aquæ, & fons de Domino*
75 *egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* † Aquæ
amaræ dulces quidem factæ ſunt, & ex petra exortæ,
Exo. 17. Petra autē erat Chriſtus, Ad Cor. 1. cap. 10.
76 Populos vero, quos per aquas ſignificari diximus, † a
Deo genitos eſſe, & habere poteſtatem filios Dei fieri
dixit Ioan. cap. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*
Et paulo inferius: *Ex Deo nati ſunt.* De his loquitur, &
Eſa. 32. *Beati qui ſeminant ſuper aquas.* Ezech. 43.
*Super aquas Deus maieſtatis intonuit,* vt docte ibi in-
77 terpretatur Pintus † ſonitū quoque, ac murmur aquæ
ſignificant, vt in Ezech. 43. *Vox erat ei quaſi uox aqua*
*rum multarum.* Et cap. 1. *Audiebam ſonum alarum quaſi*
*ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei.*
Licet apud Septuaginta interpretes reperiatur: *Vox*
*quaſi geminantium multorum.* Hieron. etiam ad Ezech.
78 47. † declarat, aquas ſacras eſſe illas, quæ oriuntur ex
79 latere dextro templi ad meridiem, † quæ Saluatoris
noſtri doctrinam ſignificant, iuxta illud Eſa. 2.
*Repleta ſunt omnia ſcientia Domini, ſicut aqua multa ope*
*riens mare.* de quibus Zach. 14. *In die illa egredietur*
*aqua*

*aqua viuens de Hieruſalem, & medium eius in mare pri-*
80 *mum & medium eius in mare nouiſsimũ.* De † hac aqua
loquebatur Ieſus cum Samaritana, Ioan. 4. *Si ſcires*
*quis eſt, qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forſitan petijſſes*
*ab eo, & dediſſet tibi aquam viuentem.* Et paulo poſt:
*Omnis, qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui autem bi*
*berit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.*
Septimo autem capite: *Si quis ſitit, veniat ad me, &*
*bibat.* Deinde vero: *Qui credit in me, flumina de ventre*
81 *eius fluẽt aquæ viuæ* † Quod bene expreſsit Poeta Flo
rentinus in Purgatorij cantu. 21. his carminibus:

*La ſete natural, che non ſi ſatia*
*Se non con l'acqua, onde la feminetta*
*Samaritana dimandò la gratia.*

Quæ nos ita latine expreſsimus:

*Naturæ ſitis extingui, nullaque leuari*
*Arte poteſt, ipſis niſi fontibus; vnde petenti*
*Samaritana ingens mulier tibi gratia fluxit.*

De hac aqua etiam in Pſal. 92. *Eleuauerunt flumina voces ſuas a fluctibus aquarum multarum.* & Eſaiæ cap. 12. *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.* Et Pſal. 67. *Benedicite Domino de fontibus Iſrael.* Eſa. 55. *Qui ſititis ite ad aquam.* Hier. 2. *Duo mala fecit populus meus me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſter nas: ciſternas diſsipatas, quæ continere non valent aquas.*
Sed generatim doctrinam aqua ſignificat, Deut. 32.
*Creſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium*
82 *meum.* Vnde † Apoſtoli nubes appellãtur. Eſa. cap. 5.
*Nubibus*



*Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Et Pſal.
17. *Tenebroſa aqua in nubibus aeris.* Qui locus eſt
83 ſane intelligendus, † vt prophetias & oracula eſſe
difficilia ſignificet, quæ quiſque interpretetur.
84 † Aqua vocatur verbum Dei quandoque, cum nos
in æſtu perſecutionis & afflictionis, quæ vel a car-
ne, vel a diabolo, vel a mundo conſurgit, refrigeret,
vt bene explicat Michael Medina lib. 3. de recta in
85 Deum fide cap. 2. † Aqua etiã pro maxima alicuius
rei copia accipi ſolet, pſal. 78. *Effuderunt ſanguinem ip-*
*ſorum tanquam aquam.* Ita vt aliqui in ſingulos anni
dies numerent triginta millia martyrum, vt ibidem
86 notat Genebrard. num. 4. † Tandem aqua pro virtu-
tibus accipitur, Eſa. 73. *Aquæ eius fideles ſunt, & pe-*
87 *rennes:* non fictis virtutibus alludens, † nam quæ hy-
pocritarum eſſe dicuntur, nõ ſunt perennes, ſed Solis
feruore exiccantur, ſicut faciunt quandoque torren-
tes. Docet præterea luculenter, ac diffuſe Cantapetrẽ-
ſis, quid aqua in bonam partem ſignificet lib. 7.
88 Hypotypos. cap. 2. vbi porro demonſtrat, † mare, flu-
mina, torrentes, & alia multa in ſacris litteris in bonã
& in malam partem plerunque accipi, vt ſuperius &
nos meminimus. Sed vt profundius quidem philoſo-
phemur in propoſitis aquarum encomijs, conſiderã-
dum quoque videtur in Deo, ſecundum Dionyſium
89 Areopagitam, † Sephiram, ſiue menſuram, locumq.
ineſſe, qui dicitur mare, ſiue collectio aquarum, & ſe-
cundum ſecretiores Theologos, meridionalis plaga
eſt

90 eſt † Chocmach appellata, ideſt, ſapientia, aqua miſe-
ricordiæ, clementiæ, pietatis, & gratiæ. Eſt enim hic
peculiaris locus filij Dei, de quo Pater, pſalm. 88.
*Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexte-
ram eius: ipſe inuocabit me, pater meus es tu: et ego primo-
genitum ponam illum excelſum præ Regibus terræ.* Hoc
91 mare ingreſſus eſt Ionas, † quando futuram Niniui-
tis ſubuerſionem prædixit, ipſe enim, vt pius: & mi-
92 ſericors, † quaſi & re & nomine colũba, ne deterreret
eos ad hoc mare peruenit, quod (vt Diuus Hieronym.
93 credit) † Tharſi nomine ſignificatur, miſericordiam
Niniuitis, ac veniam impetraturus, Ion. 1. Quod e-
quidem fecit, eorum ſcelera aſſumens, vt diuinæ iuſti-
94 tiæ, † quæ aliquod peccatum abire non permittit im
pune, ſatisfaceret. ideo dixit illis: *Ecce mittite me in ma
re hoc agitatum, & ceſſabunt fluctus.* Quod quidẽ per-
gratum Deo, vt magnæ charitatis iudicium ſane fuit,
licet populus ipſe omni ſtudio prædicationi Ionæ ob-
95 temperaret, & ideo ſeruatur illæſus. † Hoc etiam ma
re perambulauit Ieſus, gratiam nobis, atque indul-
gentiam exoraturus, idq. tanto cumulo effecit, quod
ad abluendas omnium culpas (etſi mille terrarum or
bes reperirentur) ſatis fuiſſet. Ideo gratis aquam per-
inde in templo cuique hominum, ac Samaritanę prę
ſertim offerebat. Mox autem diuinæ ſatisfacturus iu-
ſtitiæ, quę ob noſtra omnium crimina, vindictę ma
ximopere intenta erat, ſe magnis pelagi huius flucti-
bus exagitãdum ſponte præbuit, vt in pſal. 87. *Omnes*





*fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Appellatur porro id ma
96 re Puteus ſuperior בְּרשֶׁבַע Beerſebah † puteus, videlicet,
ſeptem. Quo refertur illud in Gen. ca 29. ſcriptum de
Iacob, qui ꝑ Rachele ſeruiuit ſeptẽ annos, & ij quidẽ
pauci ei viſi ſunt, dum reſpiceret ad ſupremũ ſeptena-
97 rium, qui dicitur Beerſebah puteus ſeptem. † Etenim
in cæleſtibus etiam Regnis quoddam tempus eſt, non
ſane diuiſibile vt noſtrum, ſed per quandam Analo-
98 giam. Vnde Petrus epiſt. 2. cap. 3. dicebat, quod † mil-
lenarius annorum correſpondet vni diei ſupremo:
Propterea exponebat Zoar, Iacob ſeruiuiſſe ſeptem
annos pro Rachele, ratione habita ad ſuperiorem ſe-
ptenarium, præ amoris magnitudine; pro Lia vero ſer-
uiuit, habito reſpectu ad ſeptenarium inferiorem; &
quia ſuperior numerus ab vnitate non differt, viſum
99 tempus breue eſt: † Tum Rachelem vitam contem-
platiuam eſſe interpretantur, cui ſeruitur in ſpiritu,
qui eſt ſolutus tempore, niſi quatenus tempori eſt de-
uinctus, ſeruiturque mente abſorpta in illo vno, de
quo Saluator ait: *Porro vnum eſt neceſſarium.* quod vnũ
eſt penitus abſolutum a tempore: quo quidem fruun-
tur beati, qui temporum vices Deum æterno æuo, &
100 ſemper contemplantes, non cognoſcunt. † Liam
vero vitam actiuam, in qua hominem oportet per di-
ſtincta tempora operari; quibus & nos, & cuncta no-
ſtra opera metiũtur. Vocatur autem mare hoc hebrai-
101 ce etiam בְּרָכָה † Beracha, ideſt benedictio, & etiam
בְּרֵכָה Berecha, ideſt, fons, piſcina, ſeu ciſterna, mare

maius, ſeu ſuperius, vnde flumina & riui deriuantur omnes, ex quo gratiæ cunctæ fluunt, quæ fundũtur in omnia. Quo ſenſu etiam Deus appellatur בְּרֵכָה Berecha, hoc eſt, piſcina benedictionum a בְּרָכָה Beracha, ideſt, benedictio. Dicitur etiam torrens נָהָר Nahar, ideſt torrens, imo & profundus torrens hebraice נָהָר גָּדוֹל Nahar gadol, Ezech. 47. *Quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſuadari.* Et torrens fortis, Amos 5. Sic & mare magnũ יָם הַגָּדוֹל pſal. 102. Mare rubrum. Sic etiam appellatur † nomen
102 ſanctiſſimum אֲדֹנָי quod a ſecretioribus Theologis per numerum, & Arithmeticã alias dicitur הֵיכַל יהוה Hechal Adonai, quod interpretatur templũ ſuperius Domini, ex quo in noſtras influit actiones. Quandoquidem nomen ſanctiſſimum Adonai refert numerum 65. quantum valet Hechal. Et Hebræi quidem congruentius vti videntur nomine Adonai pro nomine Iehoua, quam quibuſdam videatur, vt perpendit Abbas Ioachimus in introductorio in Apocalypſim tex. 2. ſuper illis verbis: *Ego ſum α, & ω*, quo loco etiam pulchre meditatur mirabilem virtutem nominis, Ie-
103 houa. Vocatur etiam † mare illud (de quo dudum egimus) Malchud enſoph, hoc eſt, regnum infinitum: quam vocem myſtici Theologi tribuunt materiæ, & ſignificat aquarum omnium congeriem, quæ ſunt rerum omnium ideæ. Quamobrem etiam vocatur
104 † piſcina Chesbon, ideſt, cogitationum. Vnde dicitur in Cãt. c. 5. *Oculi tui ſicut piſcinæ Chesbon.* ex quo ſignifica-



105 catur, † ſpõſam plenam eſſe influxionum omnium, ſicque plenam oculis, & rerum omnium cogitationibus, etiam ante quam fiant. Sicut exponebat idem a Burgo nouo in Dogmat. fol. 123. & 147.

Cæterum, vt ad puteum Berſebah redeamus (qui ad aquæ tractationem cum ſpectet, ex eius interpretatione multa ſeptenarij numeri myſteria mox exponemus) dicitur hebraice בְּאֵרשָׁבַע quod puteum iuramẽti ſignificat ex voce שָׁבַע. Quæ & mutatis punctis בְּאֵרשֶׁבַע puteum ſeptem ſignificat. Primo ſenſu capitur Geneſ. 21. verſ. 15. 16. & ſequentibus duobus. Secundo vero Geneſ. 26. ad fin. Fœdus ſane iuramento interpoſito inierant Abraham & Abimelech, ne alterutrum offenderent, inq. vindicem puteum illum, iuramenti, ac ſeptem vocauerunt, Deum ſcilicet opt. max. qui puteus eſt ſeptem, quia ſcilicet ſacer, & infinitus, vt numerus indicat. cuius quidem fœderis percuſſio, ſeptem agnis adhibitis figura fuit Saluatoris noſtri, qui per puteum etiam ſeptem ſacramentorum hominibus erat fœdere quodam iungendus. Vnde Iſa. 43. *Vere vos teſtes mei dicit Dominus, vt ſciatis & credatis: quia ego ipſe ſum, & glorificabitur in me beſtia agri, Dracones & Struthiones, quia dedi in deſerto aquas, & flumina in inuio, ut darem potũ populo electo meo.* Et Pſal. 104. *Potabunt omnes beſtiæ agri, & onagri in ſiti ſua.* Huius vero ſeptenarij numeri myſteria hinc aliquantulum diuertentes ſequenti capite explicabimus, id quod etiam a ſeptem aquæ præcipuis pro-

 prie-

proprietatibus ſuperius explicatis admoniti, proſequemur.

## ARGVMENTVM.

Ex putei Berſebah, qui, ſeptem, interpretatur occaſione accepta multa de ſeptenarij numeri myſterio non inutilia explicantur.

## *RERVM SVMMÆ.*

1 *Aqua benedicta ſeptenarij myſterio conficitur.*
2 *Numerorum vis & natura admirabilis apud omnes.*
3 *Canticum graduum quale.*
4 *Circa numeros errant Ethnici, dum ipſis vim tribuunt.*
5 *Omnis numerorum virtus a Deo.*
6 *Numerus per ſe nihil aliud, quam qualitas, & menſura.*
7 *Numerus naturæ rationalis ordinem indicat, quamuis in eum ſeuerius agat Ariſtot.*
8 *Numerus non debet vnquam ad dæmones referri, nec ad ſortes, aut turpes combinationes.*
9 *Deus omnia numero, pondere, & menſura conſtituit.*

Nume-



10 *Numerandi rationem ſoli naturæ intellectuali innatam.*
11 *Numeros eatenus exiſtimare oportet, quatenus referuntur ad Deum.*
12 *Principum electiones non ſemper ex virtute proueniunt.*
13 *Electio mala non cadit in Deum.*
14 *Numeris Deus non alligatur.*
15 *Multa continent in ſe numeri myſteria, ad quæ non aduertimus.*
16 *In numeris debemus imaginem, & omnipotentiam Dei reuereri.*
17 *Alphabetum ſanctiſſimæ Trinitatis continet myſteria.*
18 *Ex alphabeti medullis, oratio Dominica perquiritur.*
19 *Linguarum numerus cruci affixus, myſterio non caret.*
20 *Hebræa lingua triplex.*
21 *Lingua Græca triplex.*
22 *Lingua Romana, quæ & Latina dicitur, triplex eſt.*
23 *Scribendi modus, apud gẽtes varias diuerſus.*
24 *Hebræi ab oriente in occidentem ſcribunt, id eſt, a dextra ad ſiniſtram.*

Græci,

25 *Græci & Latini ſcribunt a ſiniſtra in dexteram partem.*

26 *Dextera & ſiniſtra ſecundum Varronem aliter, quam vulgo credatur.*

27 *Syrij ſcribunt per lineas ductas verſus pectus.*

28 *Euãgelium Matthæi antographum, iuxta quorundam ſententiam.*

29 *Hebraicæ linguæ vſus, Iudæis primum in Caldaicum, mox in Syriacũ ſermonem degenerauit.*

30 *Numeris quibuſdam tribuit Deus, vt referant eſſentiam & vim diuinam.*

31 *Vnum eſt ipſe Deus.*

32 *Duo, materiam, & formam ſignificant.*

33 *Tria, ad Deum trinum pertinent.*

34 *Quatuor, ad elementa rerum pertinent.*

35 *Senarius numerus hominis perfectionem reſpicit.*

36 *Numerus quandoque conſtat ex aliquotis, & perfectus eſt, & qui aliquotus numerus ſit.*

37 *Septenarius numerus nõ conſtat ex aliquotis, ſed tamen plenus eſt myſterijs.*

38 *Septenarius numerus producit numerum 28. perfectiſſimum.*

39 *Gratia naturam non deſtruit, ſed perficit.*

Vnitas



40 *Vnitas per ſe non eſt numerus.*

41 *Numerus primus eſt ternarius.*

42 *Binarius non eſt perfectus, quinimo non videtur numerus pluribus ex cauſis.*

43 *Binarius ſeparat vnitatem.*

44 *Vidit Deus, quod erat bonum, non legitur in ſecundo die Geneſis.*

45 *Binarius numerus infauſtus dicitur, & infelix.*

46 *Septenarius dicitur in virtute denarius.*

47 *In denario numero ineſt perfectio diuinæ legis.*

48 *Pythagoras quaternarium venerabatur.*

49 *Iuramentum Pythagoricorum quale.*

50 *Quaternarium uenerabatur, quia ſanctiſſimũ nomen Tetragrammaton denotabat.*

51 *Pythagoras in ſuam philoſophiam tranſtulit multa ex lege Moſaica.*

*Pythagoram audiuiſſe Hieremiam prophetam innuit Ludouicus Viues.*

52 *Ternarius & quaternarius numerus rerum terrenarum ſymbolum.*

53 *Septenarius eſt rerum nodus, ſecundum Ciceronem.*

54 *Septenarius obſeruatur frequentiſſime in ſcri*

ptura,

*ptura.*

55 *Autores multi ſeptenarium extollunt.*

56 *Per ſeptenarium omnia indicantur habere eſſe ob participationem diuinæ eſſentiæ.*

57 *Septenarium venerabantur plurimum Hebræi.*

58 *Sabbathum quid ſignificet.*

59 *Septimus dies non legitur a Deo creatus.*

60 *Septimus dies gerit typum Chriſti Domini noſtri.*

61 *Sabbathum honor dierum dicitur.*

62 *Septenarius numerus multifariam exemplificatur.*

63 *Animalia ſequuntur numerum quaternariũ.*

64 *Septem diebus expectata fuit columba.*

65 *Septimus annus ſabbatarius.*

66 *Septem dicuntur inſignia Chriſti.*

67 *Septem ſunt difficultates, ſeu obſcuritates ſacræ ſcripturæ.*

68 *Septẽ vulneribus infirmatur humanũ genus.*

69 *Septem ſunt hominum diuerſitates.*

70 *Septem ſeptenarijs figurata ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti.*

71 *Septem Pſalmi Pœnitẽtiales cur ſelecti ab Eccleſia.*

Oratio



72 *Oratio Dominicalis ſeptem petitiones, & verba 49. continet.*

73 *Leproſus ſepties lauabatur.*

74 *Septenarij duæ ſunt partes, quæ ad inuicem quadratæ reddunt 12.*

75 *Ex partibus ſeptenarij homo perficitur.*

76 *Septenarius multifariam diuiditur, & myſterium habet.*

77 *Septenarius ex partibus ſuis aggregatis conficit numerum perfectiſsimum: In monadibus, & etiam in decadibus.*

78 *Septenarius dicitur origo.*

79 *Septenarij numerus dicitur Virgo.*

80 *Septenarius numerus græce Heptas dicitur non ab re.*

81 *Septimus dies, ſeptima hebdomada, ſeptimus menſis, ſeptimus annus ſacrati.*

82 *Quinquagenarius ex ſeptenario cõficitur, vno addito.*

83 *Septimus annus remiſsionis erat.*

84 *Iubileum conficiunt annorum ſeptimanæ.*

85 *Septenarius eandem habet vim in decadibus, quam in monadibus.*

86 *Septenarium numerum ſacratum dicit S. Benedictus.*

K Se-

87 *Septenarius numerus mũdus eſt, & ideo Deo gratus.*

88 *In Arcam bina immunda, & ſeptena munda ingrediuntur.*

89 *Septenarius numerus vniuerſitatẽ deſignat: Eſtque rerum generator apud Græcos.*

90 *Nomen Dei pronunciatum in ſcriptura poſt ter ſeptem verba: multaq. de diuinis nominibus, & attributis.*

91 *Peccatũ Caim ſepties uindicatur: Lamech autem ſcelus ſeptuagies ſepties; & quamobrem.*

92 *Septem ſunt generationes a Caim vſque ad diluuium.*

93 *Septenario comprehenditur vita omnium, & finis.*

94 *Septies legitur in Euang. repetitum, Modicũ.*

95 *Lucernæ ſeptem in templo Salomonis, & earum nomina.*

96 *Scelera tria & quatuor.*

97 *Requies Dei non habet veſperam.*

98 *Septimo die febres iudicantur.*

99 *Regnum Dei dicitur puteus ſeptenariæ benedictionis.*

100 *Philo ſeptenarium numerum ingenitum ap-*





*pellauit.*

101 *Septimus homo Enoch translatus.*

102 *Vigeſimus primus Patriarcha Abraham.*

103 *Ieſus Chriſtus ſeptuageſimus ſeptimus a primo Adamo.*

104 *Septima ſpeculatio pluuiarum.*

105 *Septenarius numerus edendis miraculis adhibetur.*

106 *Sixtus Papa V. conſtitutione quadam numeri ſeptenarij myſticam ſignificationem prudenter conſiderauit.*

## CAPVT QVINTVM.

QVoniam vero incidit nobis de aqua ſcri-
bẽtibus, ſermo de puteo Iacob, qui Beer
ſebah appellatus, ſeptem ſignificat. Po-
terit fortaſſe non omnino ab inſtituti
noſtri ratione alienum videri, ſi aliqua,
de numeri ſeptenarij vi, ac myſterijs breuiter dixeri-
mus, quando etiam aquæ benedicendæ preces, ac ora-
1 tiones adhibẽdæ, † hoc numero videantur pręſcriptę.
Quod ſi aliqua ex parte a propoſitę tractationis ſcopo
diuerterimus, non minorẽ tamen fructum forſan, qui
legent, erunt conſecuturi. Mirifica, ac magnifica qui-
dem eſſe ſeptenarij numeri ſacramenta, ſeu myſteria,
conſtans eſt Theologorum omnium cum Hebræo-
rum, tum Chriſtianorum, ac Gẽtilium etiam omniũ

ſententia, vt diſerte tradit Innocent. tertius Rom. Pont. in procem. ad ſeptem Pſalmos pænitētiales. Neque oportet mirari quenquam, quod in ſacris, profaniſque ſcripturis frequens ſit, atque exactiſſima ſeptenarij numeri obſeruatio. Quandoquidem † ipſa nu-
2 merorum vis & natura fuit ſemper omnibus admirabilis, Pythagoræ præſertim, Proclo & Platoni, vt videre licet dial. 7. & 10. de repub. cæteriſq. huius claſſis autoribus, qui fortaſſe cum notitiam aliquam numerorum, vel pertenuem certe famam accepiſſent a ſacerdotibus Phrygij ſermonis peritis, vel ab Abari Hyperboreo mirifice ſe in numeris exercuerunt; vt adnotat Becanus Hieroglyph. lib. 16. quibus etiam forte contigit, vt plerique ſentiunt, quod libros Moſis omnium quotquot extiterint, vetuſtiſſimos legerēt: quod fuſius proſequitur Auguſtinus Steucus de perenni philoſophia. Cum enim Dei opt. max. rerum omnium autoris opera cuncta, certis prope ſub numeris exarata proſpicerent, non temere videntur, numerorum quorundam perpendiſſe diuinitatem. Etenim mundi totius creatio ſex primum fuit completa diebus, atque die ſexto, hominis omnium nobiliſſimi fuit abſoluta compago. Septimū deinde diem elegit Deus ad quieſcendum; quę quidem omnia non videbantur magnis quibuſdam myſterijs caruiſſe. Cenſuerunt itaque viri doctiſſimi numeris quandam deberi reuerentiam, & in illis ſemper aliquid latere numinis, vt dicit Ioa. Bunder. in compendio concertationis huius ſæculi ſapien-tum



tum devenerat. Sanctorum, tit. 24. art. 5. Sed & in vniuerſum numeros extollunt plerique magnæ auctoritatis viri, præſertim vero S. Chryſoſtom. hom. 47. in Matthæ. B. Cyrill. lib. 16. in Leuit. S. Hieronym. in 1. ca. Aggæi, & in Ezechiel. cap. 11. & 29. & in 3. cap. Eſa. & 32. Hierem. S. Auguſtin. de ciuitat. Dei lib. 20. cap. 7. & de Geneſ. ad liter. lib. 4. & in pſal. 49. & epiſt. 119. cap. 13. Eucher. in form. ſpirit. cap. 11. de num.
3 Nicol. Londan. in canti. graduum, † quos vocat ipſe quindecim gradus aſcenſuum David. Scaliger. contra Cardanū de ſubtilit. exercitat. 365. c. 1. Bñdictus Arias Montan. vir doctiſſi. in ſacror. Biblior. apparatu, tom. 3. cap. 14. Martin. Cantapetren. vir multæ eruditionis lib. 10. hypotypos. reg. 47. quo loco numerorum ſcientiam Theologo neceſſariam eſſe docet Pet. Bongus in lib. quem nuper edidit de myſtica num. ſignificat. Ricard. Dynoth. aduerſar. hiſtorico. Decuria. 20. Qua quidem in re fieri potuit, vt vel errore, vel malitia vete-
4 res Philoſophi laberentur. † Errore quidē, ſi numeris
5 ipſis vim, ſeu diuinitatem tribuerent, † neſciētes Deo
6 ſummo tribuendam potius fuiſſe, cum † numerus ipſe per ſe nihil ſit aliud, quam menſura quæpiam, & qualitas, quæ rebus accidit, ſub cuius termino voluit Deus cuncta diſponere. Sunt enim numeri non rerum cauſæ, ſed notæ cauſarum, & eorum, quæ ab illis efficiuntur ordinem naturæ rationalis indicantes:
7 † quamuis in hoc ſeuerius agere Ariſtotelem aduertit Becanus Hieroglyph. lib. 16. Malitia vero, ſi ſcientes pruden-

prudenteſque maluerint vim totam ad numeros ipſos
referre; deteſtabilius autem peccauerunt quicunque
8 † ad dæmones ipſos eam retulerunt, inhærentes ſorti-
bus, vaniſque punctorum combinationibus, quas ex
numeris, alioqui optimis, ipſi dæmones nefaria ſu-
perſtitione adſtruere ſunt conati. Cęterum, ſi quis ob-
ſeruet, ac magnifaciat connatam illam numeris virtu-
tem, quam Deus ipſe voluit illis tribuere, cum ſubli-
mia ſecundum eos opera fecerit, cumque nos expreſſe
9 monuerit in libro Sap. cap. 11. † ſe omnia pondere,
10 menſura, ac numero condidiſſe. † Cum denique ſoli
naturę intellectuali contulerit numerandi rationē, vt
ex Pythagora, Platone, Ariſtotele teſtatur Ang. Pietin.
ordinis Prædicatorum in libello de Iubileo, lib. 2. cap.
7. non videbitur vſque adeo reprehendendus quaſi
pernicioſus obſeruator illorum. Etenim recte conue-
11 niunt in hoc omnes ſacri autores, † eatenus oportere
numeros magnifacere, quatenus ad Deum opt. max.
omnem illorum excellentiam referamus. Non ſecus,
ac magni apud nos eſſet pretij quicunque ardua Prin
cipis negotia perageret, cuiuſque opera Princeps ipſe
12 familiariter vteretur: † quamuis non eæ ſint ſemper
Principum electiones, quales eſſe deberent, & nō tam
ex virtute, quam ex vitio prouenire poſſint. Non igi-
tur paruifaciendi ſunt numeri; quibus vſus eſt ſæpe
13 Deus, in quo † mala non cadit electio, dum res maxi-
mas egit, operaque illa permagna, atque eximia perfe
14 cit, quin potius debemus † in ipſis numeris Deum ip-
ſum,



15 ſum, eiuſque omnipotentiæ imaginem reuereri, † cum
alligatus ipſis non ſit, ſed illis excellentiam contulerit,
16 ac dignitatem: imo vero multa ſunt, † quæ ex con-
ſuetudine nobis in conſiderationem non veniunt, &
tamen ſunt plena myſterijs, ſi pia mente perſpician-
17 tur. Ecce enim † alphabetum ipſum ſanctiſſimam
Trinitatem, ac infinita prope abſcondita retinere my-
ſteria, dixit Becan. Hieroglyphicorum lib. 15. Herma
ten. lib. 9. pręter alia multa, quæ prius lib. 10. & 11. ex-
piſcatur. Multa itidem Alex. Farra in ſuo ſeptenario, S.
18 Hieron. quoque ex † alphabeti medullis Dominicam
orationem venatur: ac inſuper orandi modum, & ſa-
crarum ſcripturarum vim in proœmio Lament. Hie-
rem. ad Euſeb. tom. 4. Itidem numeros exacte perpen
dit in præfat. lib. Reg. epiſt. 106. & iterum epiſt. 155.
ad Paulam Vrbicam, tomo 3. fol. 1. Sed & linguarum
19 † numerus, qui ſanctiſſimę Cruci fuit inſcriptus, haud
caret myſterio. Hebraica ſi quidem fuit, Græca, & La-
tina; quæ ſingulæ in tres alias ſubinde diuiſæ ſunt,
20 quaſi arbores quædam in ramos: † Hebraica enim in
Babylonicam ſiue Caldaicam, in Syriacam ſiue Hie-
roſolymitanam, & in Arabicam, quam Iudæi vocāt
21 linguam Iſmael. † Rurſus & Græca in Atticam, Do-
22 ricam, Eolicam. Romana † denique, quæ etiam Lati-
na dicitur, in Italicam, Hiſpanicam, & Francicam de-
ductę ſunt: Vt in ijs linguis, quemadmodum in alijs
pleriſque mundi rebus, quæ vel intelligentia perci-
piuntur, vel ſub ſenſum oculorum cadunt, diuina illa,
&

& adoranda Trinitas,potentiæ, ſapientiæ, ac boni-
tatis infinitæ reluceat. Præterea, ( vt & hinc paulo di-
23 grediamur)quis nō miretur ex † modo,formaque ſcri
bendi,qua diuerſæ gentes vtuntur,Crucis ſignum ma
nifeſte formari,per quam totus ipſe mundus fuit a Sal
24 uatore redemptus? Ecce enim Hebręi, † Babylonij,&
Arabes primæ ſphæræ motum imitantes ab oriente
in occidentem, hoc eſt, a dextra ſiniſtram verſus ſcri-
25 bunt. Græci, & Latini contra,† Planetarum ſecuti
motum,ab occidente in orientem, ideſt, a ſiniſtra in
dextram ſuos depingūt characteres. Quamuis quoad
26 ſitus iſtos aliter videatur Varroni, † qui orientem ſi-
niſtram,occidentem dextrā,ſemptentrionē poſticam,
anticam,meridiem faciebat, vt refert Becanus Hiero-
glyph.lib.3.fol.36.Quamuis Abbas Ioachimus non
credit imitatos illos ſphæræ motum, ſed potius exi-
ſtimat illud contineri myſteriū,quod vbi ipſi finiunt,
nos Chriſtiani principium habuimus: & ideo diuer-
ſus eſt,& contrarius inter nos & Hebræos ſcribendi
modus, ſicut docet lib.1.ſuper pſalt.10.chordarum di
ſtint.4.Deniq. primi illi Chriſtiani,ne quid cum alijs
haberent commune,mediam in ſcribēdo viam ſequi-
27 maluerunt Syrij inquam illi,† qui Dominum no-
ſtrum viderant, & libenter audierant, relictis chara-
cteribus Hebręorū, quibus a captiuitate Babylonica
ſemper vſi fuerant,litteras lineatim inter ſe connexas,
& colligatas verſus pectus ducere maluerunt. Dum
igitur orientales hinc, occidentales inde calamum
ducunt,



ducunt,Syrij autem inter vtroſque medium tenent,
& tranſuerſam lineam deſcribunt, quæ Geographis
ὑποτείνουσα dicitur;ſalutiferę crucis formam,myſticam-
28 que figuram effingunt, & complent. † eamque ob
cauſam Euangelium Matthæi antographum fuiſſe
apud Ebionitas inuentum, quod ſcilicet ipſi eo ſcri-
bendi genere vterentur: opinatur vir apprime doctus
Guido Fabricius Boderianus in præambulari epiſtola
ad nouum teſtamentum Syriace ſcriptum in Biblio-
rum Regiorum tomo 5. licet frequentius receptum
ſit Hebræorum lingua conſcriptum in ſepulchro B.
Barnabæ inuentum tempore Zenonis Imp. quod &
nos vti verius ſecuti ſumus in libello, quem de vita &
29 geſtis B. Matthæi conſcripſimus. † Quod autem Iu-
dæis Hebraicæ linguæ vſus (vt & hoc obiter annote-
mus) in Caldaicum primum ſermonem; mox ex ca-
ptiuitate in patriam reſtitutis in Syriacum degenera-
uerit,& omnibus palam eſt, qui Hebræorū hiſtorias
legerint:& aperte tradit Frāc. Rapheleng.in apparatu
Reg. Biblio. tomo 3. in epiſt. ad Caldaicæ linguæ
30 ſtudioſos.Sed vt ad numeros redeamus,† illud etiam
videtur Deus opt.max.numeris tribuiſſe quibuſdam,
qui ſunt cæteris digniores, vt vel diuinam eſſentiā vel
eius attributa referant, vel ſanctiſſimæ Trinitatis my-
31 ſterium repręſentent.Vt ecce,† vnum eſt ipſe Deus,ſi
enim quęratur,quis omnia fecit? dicendum eſt,quod
vnus Deus. Itidem ex quo ſunt omnia compoſita?
32 † ex materia & forma, quæ ſunt duo, quibus medijs,

ex participatione primi entis ſumus id quod ſumus.
33 † Si rurſus de duobus ipſis quæratur, quis ea creauerit, dicendum, quod vnus, ideſt ipſe Deus Trinus, qui eſt vnus in principio, vnus in fine, vnus in medio.
34 † Quis fecit quatuor, ſcilicet quatuor elementa, ſeu principia rerum? Vnus, ſcilicet Deus ipſe; additus au-
35 tem illis, fiunt quinque. Quis creauit ſex, † in quibus eſt perfectio hominis, niſi vnus Deus, ex quo ſumuntur ſeptem? Et ſic poteſt de ſingulis dici numeris: ac de ſenario præclare multa refert, atque docet Simon de Caſſ. lib. 2. cap. 1. & lib. 11. cap. 1. Porro autem illud cō-
36 ſiderare oportet, numeros † quandoq. ſecundum Arithmeticam formalem conſtare ex numeris aliquotis, ideſt ex his numeris, quorum partes numerales multoties ſumptæ, ſuum totum præciſe reddunt; & tunc eſſe perfectos, quia conſtituunt figuras cubas, & varias proportiones duplare & quadruplare ſolent, vt per Philos. ſuper 1. Poſter. Ariſt. tex com. 36. & 58. & quā-
37 uis numerus † ſeptenarius hoc modo non videatur perfectus, quia non conſtat ex partibus aliquotis; non tamen iſtud caret myſterio, ſi quidem cum verſetur circa ſignificationem horum inferiorum imperfectorum, debebat interuenire vnitas creatrix omniū, quę complet numerum ſeptenarium: & hoc ſpeciali fauore meretur, vt non hanc fluxilem Arithmeticam reſpiciat, ſed cæleſtem harmoniam. Verumenimuero
38 valde mirū videtur, quod hic numerus, † licet eo modo imperfectus exiſtat, producit tamen numerū valde





39 perfectum 28. ſi in ſe quater ducatur. † Ex quo liquet quod gratia naturam non deſtruit, ſed perficit; & ſic Deus ipſe, qui totus gratia eſt, conſtituit ſeptenarium, ex quo deinceps perfectiſſimus ille numerus generatur; ſiquidem quater ductus, pertingit ad 28. quia gratia ſeptiformis, duplicato in duplici ſtola denario, qui reddetur in vinea laborantibus, ad beatæ reſurrectionis perducit octauam, vt ait Inno. III. in proœmio ad ſeptem pſal. pœnit. & quod ita generet numerus ille perfectiſſimus 28. præclare obſeruat etiam Nicæta ad Nazianz. in orat. de Pentecoſt. & hoc ipſum adnotauit Glo. in ꝓœmio Sexti, in verb. Senarius, & in verb. Perfectus. Sunt ergo numeri plures, qui pleni dicuntur atque perfecti, & præcipue ſeptenarius numerus creditur alijs quibuſdam rationibus omnium perfectiſſi-
40 mus, vt ſtatim dicemus. † Vnitas enim per ſe non eſt numerus, ſed principium, & quaſi creator omnium numerorum, ac ſignificat ab vno Deo manare cun-
41 cta quæ ſunt. † Primus, ac perfectus numerus terna-
42 rius eſt, binarius enim nequaquam perfectus † eſt, ſi quidē quę talia ſunt ex Ariſtotelis ſentētia 1. Cęli, tex. com. 2. principio, medio, ac fine conſtant, quæ iuncta in binario, minime reperiri palam eſt. Pſellus etiam in lib. de Arithmetica, nec numerum appellandum binarium cenſuit, quandoquidem eos tantum vere numeros arbitratur, qui Deum ipſum quodammodo repræſentent. Id autem binarius repręſentare nequit, cum tantum referat materiam formamq. caducam,

horumque ſymbolum cenſeatur,quibus omnibus pe-
nitus expers eſt diuina natura. Quod & alia ratione
43 confirmat S.Hieronym.contra Iouin. ſcilicet,† quod
binarius ſeparat quodammodo vnitatem. Ex quo fa-
44 ctum eſt, quod in † creatione orbis dicitur in Geneſ.
*Vidit Deus quod erat bonum.* Primo quidem, ter-
tio,quarto & quinto die,non autem ſecundo,vt etiam
animaduertit Iunil. Epiſc. Afric. in Gen.Ideo S.Hie
45 ronym.loco citato,† binarium numerum infauſtum,
atque infelicem;ſeptenarium vero feliciſſimum dixit.
Primus igitur numerus impar ternarius eſt,par autem
quaternarius; & is quidem myſterijs plenus,vt notat
46 Hect.Pint.in 1. lament.Hierem. † quem numerum
in virtute etiam decimum appellat,poſtquam 1.2.3.
47 & 4. decem conficiunt.† In quibus diuinæ legis in-
eſt perfectio, quæ decem præceptis, & quatuor Euan-
gelijs continetur.Vnde ſcribit Macrob. in ſomn. Sci-
4 pio. † Pythagoram ſolitum per numerum quaterna-
rium iurare : ſed reuera non ipſe iurabat, ſed diſcipuli
eius, eo quod eorum magiſter numerum quater-
narium veneraretur, per ipſum iurare ſolebant, vt ex
ijs carminibus conſtat:

καὶ μὰ τον ἡμετερα ψύχα πραδόντα
τετρακτὺν πηγὰν ἀεννάς φύσεος.

Quæ ſic vertebat Nicætæ interpres apud Nazian-
zenum de Pentecoſte:

49 † *Teſtor eum numeri nobis arcana quaterni,*
*Qui tribuit rerum cauſa,fontiſq. perennis.*

Quod



50 † Quod autem numerum illum veneraretur, ratio
erat forte illa verior,quod quatuor illæ vnitates, qua-
tuor litteras ſanctiſſimi nominis Tetragrammaton
denotabant.Nec id mirum:Hermippus enim philoſo
51 phus (vt refert Picus in præfat.ad Gen.)credidit, † Py-
thagoram de Moſaica lege plurima in ſuam philoſo-
phiam tranſtuliſſe, quanquam Ludouicus Viues in
commentario ſuper lib. S. Auguſtini de ciuit. Dei lib.
8. cap. 11. arbitrari videtur,Pythagoram Hieremiam
Prophetam audiuiſſe, ex eoque quamplurima veteris
52 legis myſteria percepiſſe. † ſunt præterea ternarius, &
quaternarius numerus terrenarum rerum ſymbolū,
quæ duobus medijs compoſitæ ſunt ſimul, poſtquam
terra & ignis elementa inter ſeſe altercantia,cum duo-
bus alijs, aqua ſcilicet, atque aere, vt animaduertit
Plato in Timæo,pariter connectuntur. Ex his autem
duobus numeris, ideſt, quaternario, & elementari,&
ſcopo animalium, & ternario, vt ſuperiore & diuino
53 fit ſeptenarius,† quem Cic.in 6.de Rep. omnium re-
rum nodum appellat. Macrob.quoque inquit,aliorū
nullum eſſe adeo tam varia maieſtate fœcundum.
54 † De quo ſeptenario multa quidē obſeruari poſſent,
ſi ſacras litteras peruolueremus, quæ profundius ali-
quid habent,quam quod prima fronte prætexunt. Et
quidem celebratum fuiſſe ſcimus à ſcriptoribus mul-
tis tam Ethnicis,quam Catholicis,vt ideo mirum nō
ſit, ſi myſterio multiplici videatur vndique plenus.
55 † Etenim,vt multos prætaream,extollit hunc numerū
S. Gre-

S.Gregor. Nazianzenus in oratione de ſancta Pentecoſte,& ibidem luculentius Nicæta in commentariis Innocen ſumm.Pont. preclariſsime in procem ad ſeptem Pſalm. pæniten. Hierony. Paphius in ſepté Pſal. Ioan. Ludouicus Viualdus de Mõte regali in ſuo opere, de veritate contrit.ſub tit.Septem ſacramenta. Abbas Ioachimus in Introductorio in Apocalypſim, ca. 18.&in lib. 1.cap. 1.ſuper pſalt.decem chordarum;& in alio libro,vbi agit de plenitudine intelligẽtiarum, quæ in ternario,quinario,& ſeptenario continentur. Item de hoc numero ſeptenario agit præclare Ludo. Granata concionator eximius ordinis Dominicani in 2.tom.cõcion. concio.4.in quarta Dominica Quadrag. Angelus Pientinus de Iubileo lib.2.cap.7. necnon alij complures auctoritatis minime contemnendæ;ſed nobis omnes recenſere non vacat, qui potiſſimum ſatagimus exempla, locosque colligere,præſertim ex ſacris autoribus, vbi ſeptenarius numerus my-
56 ſticum quid præſeferat;†& in primis ob participationem diuinæ eſſentiæ,& ſanctiſſimæ Trinitatis per hũc præcipue numerum (cuius opera,vt ſacri Theologi dicunt,ab extra dicuntur eſſe indiuiſa) omnia indicãtur
57 habere eſſe. Numerum iſtum † habuerunt magno in honore Hebræi ex legis Moſaicæ præſcripto; quia ſciebant ſex dierum ſpatio Deum opt. max. materiã produxiſſe & informaſſe, eamque omnigenis ſpeciebus commixtionibusque decoraſſe. Mundum hunc, quem cernimus, condidiſſe, ſeptimo denique die, quie-



58 quieuiſſe, ac ob eam cauſam † ſabbathi meruiſſe nomen; quod quidem hebraica lingua quietem ſignificat. Vnde in ſacro Decalogo dicebatur: *Sabbatha ſanctifices.* Immo vero non ſolum ad ſeptimi huius diei venerationem illud conſiderabant, quod ipſum Deus quieſcendo ſanctificauit: ſed non deſunt etiam qui
59 conſiderant, † diem hunc ſeptimum a Deo creatum non fuiſſe,ſed genitum;neque enim accidentali dono bonum fecit illum Deus,ſed eſſentiali bonitate bonũ ſemper habuit. Et vere non legitur in primo Gene. *Factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus.* Ex quo videtur Moſes indicaſſe hunc diem abſque principio fuiſſe,cum nullam de illius creatione mentionem faciat,imo cæterorum eſſe principium probat, dum ait: *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creatæ ſunt in die, quo fecit Deus cœlum & terram.* Ita expreſſe meditatur Hierony. Paphius in ſeptem pſalm. pæniten.in exordio. Vbi etiam interpretatur hunc diẽ
60 ſeptimum † diuina preſcientia dici Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum;& forte non alia ratione dicitur dies feſtus Dei,ipſique potiſſimum conſeruatur propter numerum ſeptenarium, eiusque præſtantiam.
61 † Ex qua etiam meruit dierum honor appellari ſab-
62 bathum † S. Auguſt. lib. 1. quæſt. in Gene. quæſt. 89. tom. 4. & in eiſdem quæſtionibus S.Hierony tom.3. obſeruant ſeptem diebus nuptias celebrari cõſueuiſſe, vt Geneſ.29. *Imple hebdomadam dierum huius copulæ,* ideſt,tranſeant ſeptem dies feſti Liç: quo loco & illud docuit

docuit S. Hierony. male quoſdam exiſtimare, poſt ſeptem annos alios, Iacob accepiſſe vxorem Rachel, cum eam poſt ſeptem dies nuptiarum primæ vxoris acceperit. Sic & Iudic. 14. Samſon fecit potum ſeptem diebus. Dies remiſſionis, ſiue Iubilei, vt mox dicemus, ſeptem hebdomadæ erant. Ad ſeptenarij ſanctificationé illud quoque pertinet, quod ſancti ſpiritus dona ſeptem ſunt, de quibus Eſa. 11. & Ioan. in Apoc. 5. *Vidi agnum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei*. De quibus Eſai. 11. loquens de Chriſto, dicebat: *Requieuerunt ſuper eum ſpiritus ſeptem*. Huc tendunt ſeptem illi oculi ſuper lapidem, de quibus Zach. 3. ſeptem columnæ, de quibus legitur Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domũ, & excidit columnas ſeptem. Septem boues, qui videbantur aſcendere de fluuio,* Geneſ. 41. *Septem ſpicæ, quæ pullulabant in culmo vno*. ibidem. *Septem ſignacula in libro vno*. Apocalip. 5. *Septem ſportæ repletæ fragmentis*. Matt. 15. Septem buccinæ, quarum erat vſus in Iubileo. Ioſue. 6. *Filius hominis in medio ſeptem candelabrorum habens in dextera ſeptem ſtellas*. Apocalyp. 2. Septem Eccleſijs ſcribit Ioannes. Septem ſunt Angeli earum, Apocalyp. 1. Apoſtoli viros ſeptem in Diaconos elegerunt, Act. 6. Iob ſeptem filios habuit, Iob. 1. Beatitudines in ſermone Domini ſeptem fuerunt; nam octaua redit ad caput, ſicut octaua dies redit ad principium hebdomadæ. Septem apud Hebræos



licet [illegible] Petrus Galatinus de arcan. cath. verit. lib. 2. cap. 14. In viſione Ezech. cap. 40. ſepté graduum erat aſcenſus atrij. Sterilis ſeptem filios parit. Eliſeus in purificando Naaman dixit: *Lauare ſepties in Iordane*, 4. *Reg. cap.* 5. ſcilicet, vt purificetur impurum per preces ad Deum, & mediantibus operibus. Item ſeptena animalia fuerunt in Arcam immiſſa per Noe,
63 Gen. 7. propter ſacrum quoddam myſterium: † quia licet animalia ſequantur numerum quaternarium elementarem; tamen, vt munda ſint, debent de ternario ſupercæleſti, ac diuino participare, vt bene aduertit Franc. Georg. tom. 1. problem. ſect. 2. de Noe & diluuio, probl. 87. Itidem Noe arcanorum peritiſſimus, cũ
64 emiſiſſet de arca columbam, † expectauit eam ſeptem diebus, & iterum poſt eius reditum cum oliua virenti expectauit iterum ſepté alios dies, vt alio ſubſequenti ſeptenario plenius pax firmaretur, Gen. 8. vt per eundé in probl. 93. Anno ſeptimo indicta legitur quies, non tam hominibus, ſed cæteris etiam rebus. Sic etiam die ſeptimo, & millenario ſeptimo, vt quibuſdam placuit, de quo apud B. Ioan. Apoc. 20. vt per Georg. ſect. 6. de præcep. primæ tabulæ, probl. 318. Septimo menſe, quem Hebræi Iom hachippurim יום הכפורים vocant, inſtitutus fuit dies remiſſionis, Leuit. 23. My-
65 ſteriũ ſcilicet ſpiritus ſancti. † Annus ſeptimus dicebatur Sabbatharius, ſcilicet requiei, apud eũd. Georg. probl. 315. 325. 326. vt perpendit etiã Nauar. de Iubi

ſeptimus dies feſtus Dei fuit,ipſique potiſſimum con-
ſeruatus; cum in eo poſt opera illa eximia quieuerit.
66 † Septem dicuntur inſignia Chriſti,ſcilicet,virtus,di-
uinitas,ſapientia,fortitudo,honor,gloria,benedictio.
Quo quidem laudum catalogo omnia continentur
quæcunque dicuntur de Agno, ſecundum Cælium
Pannon. in collect. in Apoc. cap. 5. ſect. 3. puncto 2.
Hugo Card. refert ſeptẽ ſigilla lib. de quibus in Apoc.
67 ad ſeptẽ obſcuritates ſacræ ſcripturæ,videlicet, †ad ꝓ-
funditatem ſentẽtiarũ, multiplicitatem intelligentia-
rum, velamen figurarum,incomprehenſibilitatem re
rum,obſcuritatem myſteriorum,dulcedinem tropolo
giarum,& ineffabilem veritatẽ omnium ſcripturarũ,
vt idem Cælius refert ſect. 1. puncto. 1. Ad hæc inſtitu-
ta fuerunt à Domino ſeptem ſacramenta propter ſe-
68 ptem † vulnera,quibus infirmatur humanum genus,
quæ ſunt ſeptem gentes,quas eiecit Deus de terra pro-
miſſionis; & ſeptem dæmonia,quę eiecit a Maria: aut
certe fuerunt hoc numero inſtituta ea ſacramẽta pro-
69 pter ſeptem hominum † diuerſitates,nempe intran-
tium,pro quibus Baptiſmus;pugnantium,pro quibus
confirmatio;vires reſumentium,pro quibus pæniten-
tia;proficientium,pro quibus Euchariſtia; miniſtran-
tium, pro quibus ſacer ordo; exeuntium, pro quibus
extrema vnctio; nouos milites introducentium, pro
quibus matrimoniũ fuit inductũ. Itidem ſeptẽ viden
tur ſeptenaria,quæ figurant hæc eadem ſeptẽ ſacramẽ
70 ta,videlicet,† primo per ſeptem lucernas ardentes ſu-
per can-



per candelabro tabernaculi,Num. 8. Secundo per ſe-
ptem buccinas, Ioſue 5. Tertio per ſeptem lotiones Na
aman. 4. Reg. 4. Quarto per ſeptem aſpirationes Eli-
ſei ſuper puerum, 4. Reg. 4 Quinto per ſeptem colu-
mnas templi, Prouerb. 9. Sexto per ſeptem ſtellas, ſe-
ptemque candelabra, Apoc. 2. Septimo, & vltimo per
ſeptem lampades ardentes, Apoc. 4. ſicut pie medita-
tur Io. Ludouicus Viuald. de verit. contrit. fol. 128. ſub
tit. Septem ſacram. &c. Ad eiuſdem numeri ſanctitatẽ
videntur referri ſeptẽ illa gaudia beatiſſimæ Virginis,
& ſeptẽ opera miſericordiæ. Septem quoq. horę cano-
nicę,quibus impletur illud Dauidicũ, *Septies in die lau
dem dixi tibi*, in pſal. 118. Septenario numero reſpõdet
71 etiã pari dierũ numero, antiqua fermẽti ſublatio, † ſe
ptem Pſal. pæniten. ideo ſunt per Eccleſiã ſelecti, quia
ſicut peccata capitalia hoc numero contenta ꝑuarican
do cõmittimus, ita ſub eodẽ numero debemus ea pæ-
72 nitendo delere. † Oratio Dominicalis ſeptem cõtinet
petitiones,primæ tres pertinent ad vitã futuram, tres
vltimæ ad præſentem, media vero ad vtranque ſecun-
dum Inno. loco ſupra citato, & ex dictionibus 49. con-
ficitur, vt aduertit Antidotar. animæ, tractat. 11. cap.
4. Quamuis Picus in eiuſdem orationis explicatione,
exiſtimet ſex tantum petitiones eſſe. Viſio beati Ioan.
in Apoc. fuit vnius agni habentis cornua ſeptem, & ſe-
ptem oculos, audiuitque ſeptem Angelorum ſanctifi-
73 cationes. Leproſus † mundandus ſepties aſpergebatur
ſanguine paſſeris, ſecundum F. Georg: de harm. mun-
M 2 di

di,tom.6.cant.1.cap.16.qui a radice numeri ſeptena-
rij decimum metiebatur in cant.3.tomo 8. cap.2.&
iterum cant.1.tom.7.cap.16.&tomo 8.cap.18. dicit
74 quod huius numeri duæ ſunt partes, † quæ ad inuicē
quadratæ reddunt duodecim:quo numero deſignan-
tur duodecim præſidentes orbis, & duodecim ma-
gni nominis reuolutiones: ſed & Innocen. Pont.
75 dicebat, quod † ex partibus ſeptenarij perficitur ho-
mo, ſcilicet ternario quantum ad animam, qua-
ternario quantum ad corpus, hoc eſt ex tribus ani-
mæ potentijs, & quatuor elementis. Eodem quo-
que modo ſignificat tres catholicas, & quatuor
76 principales, ſeu cardinales virtutes, † prout aliter etiā
diuiſus, deſignat vnum baptiſmum, & ſex opera pieta-
tis, ſicut etiam duos denarios ſtabularij, & quinque
corporis ſenſus; cum itidem conſtet ex quinario, & bi-
nario, necnon ex ſenario & vnitate, perſpicue indicat,
quod homo perfectus ex anima & corpore, duplicatis
duobus, & quinque talentis per exercitium pietatis,
de labore tranſeat ad quietem. Nō ſolum autem qua-
ter ductus conficit perfectiſſimum numerum 28. vt
77 ſupra tetigimus, † ſed etiam ex ſuis partibus aggregatis
eundē cōficit in monadibus, videlicet, 1.2.3.4.5.6.7.
ac etiam in decadibus conficiet eundem primum per-
fectum, ſi per alteram ſuarum partium multiplicetur.
Quæ omnia ſcite & pie admodum conſiderat Inno.
Pont. in loco præallegato. Solus prçterea numerus iſte
ex omnibus, qui ſunt denario minores, nec ab alio gi-
gnitur



gnitur, nec alium gignit; vnde dicitur ab Arithmeti-
78 cis, † Origo: & alij etiam propterea † illum virginem
79 appellarunt. Macrob. vero lib. 1. cap. 6. Saturnal. ſcri
80 bit numerum iſtum vocari † Heptas, antiquato vide-
licet vſu primæ litteræ, cum apud veteres Septas voci-
taretur, quo grçco nomine teſtabantur venerationem
81 huic numero debitam. † Hanc ob cauſam ſeptimus
dies, ſeptima hebdomada, ſeptimus menſis, ſeptimus
annus, ſacrati erant in lege. Etenim non ſolum ſepti-
mus dies Sabbathū eſt, vt diximus, ſed etiam ſummus
veteris legis ſacerdos ſeptem diebus conſecratur. Se-
ptem quoque diebus purgatur leproſus, totidemque
dedicatur templum, in veteri ſcriptura. Septem heb-
domadæ, hoc eſt ſeptimus ſeptenarius dierum Pente-
coſten parit. Septenarius enim in ſeipſum ductus
82 † quinquagenarium gignit, vno die excepto, quem ex
futuro ſæculo aſſumimus ab eo, qui vere vnus eſt, &
velut imaginem, atque figuram illius adijcimus, ſicq;
83 ſacra Pentecoſtes ſolemnitas celebratur. † Septimus
itidem annus, dicebatur annus remiſſionis, & honor
annorum: ideoque legitur Exod. 12. *Septimo quoque
anno remiſſionem facies, remittes omne priuatū debitum,
quo tibi obſtrictus eſt proximus tuus.* Et iterum cap. 15.
*Si frater tuus tibi venditus fuerit, ſex annis tibi ſeruiet.
Septimo liberum ante ipſum remittes, & viatico inſtrues.*
84 † Annorum quoque ſeptimanę cōficiunt Iubileum,
qui noſtra etiam lingua remiſſionem, iubilationemq;
ſignificat. De quo in Leuit. cap. 25. legitur. *Numerabis
tibi*

*tibi ſeptem requies annorũ, nouem et quadraginta anni, & ſanctificabis annum quinquageſimum, & proclamabis remiſſionem in terra.* Septuageſimo etiam anno populus
85 ex Babylonica captiuitate reducitur, † vt quam vim in vnitatibus habet hic numerus, eandem quoque in decadibus habeat, ac perfectiori numero ſeptenarij
86 myſterium. † Sacratum etiam hunc numerum dicit S. Bened. in ſua reg. cap. 1. relatus a Gratiano in cap. presbyter. 91. diſt. vbi Card. Turrecrem. multa meditatur, & Burcard. etiam lib. 2. cap. 105. & Iuo par. 6.
87 ca. 182. Dicitur etiam † numerus iſte mundus, & ob id Deo gratus, quia eſt impar, vt docet S. Hierony. lib. 1. cont. Iouin. quamuis Gratianus citet Ambroſium, vt hodie animaduerſum eſt in nouiſſima impreſſione
88 ſedis Apoſtolicæ auctoritate edita. & ſubdit ibi. † *Bina enim ingrediuntur immunda, & ſeptem quæ munda ſunt, vt haberet Noe poſt diluuium, quod de impari numero ſtatim Deo poſſet offere,* vt refertur in c. nuptiæ. 32. q. 2.
89 in fine. † Et quod ſeptenarius numerus vniuerſitatem ſignificet, dixit S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. ad 5. Præterea ipſum oceanum mare cum creſcit ſeptem hunc horarum numerum ſeruat, magnamque ſeptenarium habere vim in corporis humani compagine intra materna viſcera, ſentiebant Hippoc. in lib. de nat. puer. Straton. Peripat. & Diocles Cariſtius. Sic & ſeptimo menſe confici partum hominis, vnde ceu generator rerum apud Græcos ſeptenarius dicitur ζωογόνος, ſic & iuxta Aſtronomorum ſentẽtiam ſeptem ſunt circuli,

in



in quos cœlum diuiditur: ſeptem ſtellę, quę dicuntur
90 errantes. Vrſam item ſeptem ſtellis notam. † Obſeruatum fuiſſe in Commentarijs Hebræorum, lib. Iud. nunquam Moſen pronunciaſſe nomen Dei, niſi poſt ter ſeptem verba, notat Epiſcopus Nebienſ. in pſalm. 131. *Domine non eſt exaltatum cor meum.* verſ. *Hæc eſt requies mea.* Illud certe nos reperimus (quod ad ſeptenarij noſtri propoſitum facit, ſi ter in ſe ducatur, indeque numerus vnius, & viginti conſtituatur) Rabbinos ſcilicet antiquiſſimos, accurate ac religioſe admodum obſeruaſſe: qua primum vice nomen Dei diuino iuſſu populo Hebræo promulgandum fuit, nomen illud ſcilicet אהיה אשר אהיה eheie aſcer eheie. Hoc eſt, ego ſum, qui ſum: & verba, & per multas ex ipſis litteris, maximo non vacaſſe myſterio. Verba quidem dum vnũ, & viginti fuiſſe reperiuntur (vt mox ſubijciemus) duo monſtrant, & nomen eheie aſcer eheie, quod apud eos viginti & vnius numerum refert. Et quod erat ex illis verſibus mox pronunciandum, omnipotẽtis Dei clemẽtiam, ac miſericordiam, quę in eo pręcipua eſt, ex vi triplicati ſeptenarij eius ſymboli indicant. Litteræ quin etiam peculiares, quæ ſunt numero viginti & vna, atque ab Aleph incipiunt, myſteriũ maximum continere videntur, cum totidem Dei attributa ex illis colligantur. Verſus autem ſunt Exo. c. 3. verſ. 13. & 14.
ואמרו־לי מה־שמו מה אמר אלהם: ויאמר אלהים אל־משה
אהיה אשר אהיה ויאמר כה תאמר לבני ישראל אהיה שלחני
אליכם:, *Et ſi dixerint mihi quod eſt nomen eius? quid di-*

*cam*

*cam eis? Dixit Dominus ad Moſen: Ego ſum, qui ſum, ait; ſic dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos.* Attributa vero, quę ex eis colliguntur hæc ſunt:

| | | |
|---|---|---|
| ideſt, Pater. Theſaurus. Dominus Dominorum | 15 | אָב אוֹצָר אֲדֹנֵי אֲדֹנִים |
| Ignis. Charitas. Tardus ad iram. | 13 | אֵשׁ אַהֲבָה אֶרֶךְ אַפַּיִם |
| Tu. Fortis. Lux lucis | 15 | אַתָּה אַבִּיר אוֹר אוֹרִים |
| Signum. Vnitas. Vnus. terribilis | 13 | אוֹת אָלֶף אֶחָד אַדִּיר |
| Deus fortis. veritas. Ego ſum qui ſum. | 16 | אֵל אֱמֶת אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה |
| | 72 | |

Ex litteris demum, quibus hæc attributa, vt vides, explicantur, dum duo ac ſeptuaginta ſunt, quot recenſentur, & Dei opt. max. præcipue quædam inſigneſq. proprietates, totidem colliguntur attributa. Illud vero eodem in loco eſt magnopere admirandum, quod auguſtiſſimum nomen, Iehoua, verbis illis inſertũ fuit; quamuis non plane expreſſum; quippe cum alibi dixerat Deus, *Nomen meum Iehoua non indicaui eis*. Exod. 6. inſertum autem deprehendes, ſi a verbo vlo 'וְאָמְרוּ־לִי Et ſi dixerint mihi vſque ad verbum מַה־ conſideres: in prima enim dictione, eiuſq. vltima littera adeſt, ' in 2 ה in 3. ו in 4. rurſus ה quæ ſimul iunctæ faciunt יְהוָה Iehoua. Nec pariter myſterio caruit duo hæc ſimul nomina iuncta fuiſſe, cum præ cæteris hæc ipſa duo puriſſimam Dei eſſentiam ſignificent. Nec itidem illud, quod nomẽ, Iehoua, præpoſitum fuerit nomini



mini eheie, cum nomen hoc eheie a nomine Iehoua influxum (vt Rabbini dicunt) recipiat. Quod ea plane ratione ipſi oſtendunt: nam ſi nomen Iehoua, & eheie extenſe eſſet ſcribendum, octo litteræ requirerentur, quot nempe eorum nomina conſtituunt: ſicut & in cæteris nominibus euenit. At nomina hæc inſimul ſex tantum litteris ſcribũtur, videlicet אהיהוה Nomen hoc eheie ſecretiores Theologi כֶּתֶר cheter coronam ſcilicet, appellarunt; cuius compendium, atque breuiarium dixerunt eſſe אֱמֶת 441. Emeth, hoc eſt, veritas: nam eheie, reddit numerum viginti & vnius, qui ductus in ſeipſum reddit 442. quantum valet emeth, eo nomine computato, ac itidem, quantum valet el Nangharaz אֵל נַעֲרָץ hoc eſt, Deus fortis, & terribilis, vt appellat Dauid pſal. 89. qui incipit: *Miſericordias Domini in æternũ cantabo*. Hac ſane mira myſtici cuiuſdã ordinis ſerie & maieſtate, ac proprietatum diuinarum fulgẽtiſſimorum veluti ſiderũ corona ornatũ nomen illud diuinum eheie Hebræis primum fuerat declarandum; neque ſane abſque alio myſterio: nam, cũ viginti & vnius numero conſtet, qui circularis eſt, ex quinque & decem cõflatus, ſcilicet, א. & ה. quinque enim in ſe ducta decem, decem vero in ſe itidem ducta centum efficiũt; inde licet intelligere Deum omnium productorem, omnia ad ſe veluti circulo quodam multiplicatione trahere. vnde quanta ſit ſeptenarij eiuſdemque triplicati numeri maieſtas, atque amplitudo ſatis ſuperque conſtat. Quæ omnia diuinorum



rum

rum myſteriorum, ac nominum ſuauitate allecti, his adſcribenda duximus, longiori forſan, quam par erat, oratione digreſſi. Numerum ſeptenarium Epiſcopus Nebienſis ſupra citatus rurſus vniuerſitatem, perfe-ctamque conſummationẽ ſignificare dicit in pſalm. 79. verſ. *Et redde vicinis noſtris ſeptuplum.* De ſceleratis etiam vicinis illud accipitur, quod ſcriptum eſt: *Eos ſeptuplum in ſinum eorum recipere.* Quemadmodũ alibi in pſalm. 11. *Eloquia Domini ſeptuplo purgata dicuntur.* ſimili quoque modo pro vniuerſitate, ſeu infirmitate accipitur, quod ſcriptum eſt: *Peccator non ſepties tantum, ſed ſeptuagies ſepties liberatur a noxa.*

91 † Ex aduerſo etiam facinus Cain ſepties vindicatur: Scelus autem Lamech ſeptuagies ſepties, nempe quod lege iam promulgata perpetrauit cædem. Sic etiã accipitur illud: *Iuſtus de neceſſitatibus ſexies liberatur, ſeptimo autem, ne leuiter quidem percutitur.* Ad hæc Ieſus Dominus, quinque panibus, duobusque piſcibus millia quinque hominum aluit in deſerto, ac rurſus ſeptẽ panibus quatuor millia, expletaque populi fame reliquiæ collectæ ſunt illic duodecim cophini; hic vero ſeptem ſportæ, neutrum ſane ſine myſterio factum; vt apud Nazianzenum in orat. de Pentecoſte, latius exponit Nicæta in commentarijs. Obſeruatur etiam

92 de eodem ſeptenario numero † quod a Cain vſque ad diluuium ſeptem fluxerunt generationes, tum vero terræ ſupplicium inductum eſt, quia longe, lateq. fuſum erat peccatum. Itidem ſapiens eſt piger in oculis



lis ſuis, plusquã ſeptem reſpõdentes rationem, Prou. 26. Eodemque ſeptenario hominis mutatur vita, & quæuis terminatur, atq. euoluitur ætas. Septem enim

93 quique dies hebdomadam faciunt. † Ideo hoc numero & tota vita, & omnium rerum comprehenditur finis. Vnde Virg.

--- *O terque quaterque beati,*

Et quoniam tota hominis vita ſomnus breuis eſt,

94 Ioan. 16. † Septies in Euang. Dom. 3. poſt Paſ. Modicum, repeti notat Pint. in Ezech. 3. interpretans illa verba: *Et manſit ibi ſeptem dies mœrens.* Vbi etiam inquit, nos debere ſeptem diebus immolare Deo, idest;

95 dum vixerimus. † Septem fuerunt in Salomonis templo lucernæ, quæ his ſane nominibus ſunt appellatæ: 1. pacifica, 2. ſanitatis, 3. vitæ, 4. ſplendor, 5. ſeminatrix gratię, 6. expellẽs aduerſarios, 7. deſtrũctrix carnalium cogitationum, vt deducit Raphael Aquil. in ſuo tract. de ligno Crucis. Septenarius numerus (vt Theophilactus inquit) vniuerſale quoddam, & ęternitatem ſignificat, in Luc. 17. *Si ſepties in die peccauerit in te frater tuus, & ſepties in die conuerſus fuerit, dimitte illũ.* Et cap. 8. a Magdalenã ſeptem ſpiritus eiecit; & 11. *Ducit ſeptem ſpiritus nequiores ſe.* Sic conſiderat S. Ioan. Chryſ. in Gen. 19. *Donec ſterilis peperit ſeptem.* Amos

96 quoque 1. *Super † tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eos.* Quæ verba identidem de Gaza, de Tyro, de Edom, & de Moab repetita ſunt: quibus omnibus ea de cauſa, exitium & vaſtitatẽ Dominus

minus comminatur per illa verba, quia diuturna peccandi conſuetudine tenebantur; tria enim & quatuor ſcelera numerum faciunt ſeptenarium; qui apud Hebræos præſertim, vt dicebamus, infinitam multitudinem deſignat, prout obſeruat Ludouicus Granat. in concionum ſuarum tomo 2. concione 4. in 4. Domiminica Quadrag. *Si ſemel, aut bis deliquiſſent, eis pepercissem*. Ita in Exod. cap. 5. *Viſitans iniquitates patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem*. & Euthimius in pſal. 78. inquit, quod ſeptuplum Hebræorum more ponitur pro multiplici, vt ibi: *Redde vicinis noſtris ſeptuplum*. S. Auguſt. quoque lib. 11. de ciuit. Dei cap. 31. quod in ſeptimo die requies commendatur, in qua primum ſanctificatio ſonat, & Deus noluit iſtum diem vllis ſuis operibus ſanctificare,

97 † ſed requie ſua, quę non habet veſperam. Galen. quoque ſcripſit ternos libros περὶ κρισέων καὶ τῶν κριτικῶν ἡμέρων, magnam ſeptenarij numeri vim, atque potentiam de-

98 monſtrans, dixit † ardentiſſimas febres ſeptimo ſolui die, aut ſi tanta humoris noxij, aut pituitæ in eum magnitudo ſit, vt prima hebdomadis nequaquã tremore conſumpta ſit, ſecundæ hebdomadis vltimus expectatur dies, & eſt decimus quartus, qui ſi hunc (vt hippocratice dicamus) ἡ νόσος non vicerit, tranſit ad vigeſimum primum diem, hoc eſt ad finem tertiæ hebdomadis. Iuſtinianus Imper. in ſeptem partes, & quinquaginta libros, quæ numerum ſeptenarium perfe-

99 ctiſſimum conficiunt, ſuas pandectas diuiſit. † Regnum



gnum Dei appellant myſtici Theologi puteum ſeptenariæ benedictionis, vt in præcedenti capite dicebamus, in quem influunt ſeptem menſuræ, vel ſephirot, ſeu proprietates ex ſeptem nominibus Dei. Sed & Philo Iudęorum diſertiſſimus in libro de mũdi opificio,

100 † ſeptenarium numerum appellauit ingenitum, immortalem, ſymbolum victoriæ, perpetuo virginem, & Deum ipſum. Qui & hos refert Solonis Athenienſium legis latoris, venuſtiſſimos Elegiacos.

*Impubes pueri ſeptem voluentibus annis*
*Claudunt enatis dentibus eloquium.*
*Poſt alios totidem, diuorum numine dextro,*
*Occultum pubis naſcitur indicium.*
*Annis ter ſeptem prima lanugine malas*
*Veſtiet, ætatis robore conſpicuus.*
*Quartus id augebit iam ſeptenarius, iſque*
*Optima virtutis proferet indicia.*
*Adde alios totidem, feſtinans ocyus ætas*
*Coniugio monuit quærere progeniem.*
*Sexta ætas animo ſi quid deeſt addet, eaque*
*Diſces quid deceat, quid quoq. dedeceat.*
*At quæ ſuccedunt per proxima ter duo luſtra,*
*Ornabunt linguam dulcibus eloquijs.*
*Nona ætas languet, tum frigida membra retardant*
*Virtutem non vnquam interituram animi.*
*At quiſquis decimam poterit contingere metam,*
*Iam tempeſtiuo funere conciderit.*

At ve-

At vero, ſi veteres hiſtorias ſacras expendimus, no-
biliora quædam de numero ſeptenario meditari poſ-
ſumus. Videmus enim ſeptimum inter primæuos ho-
101 mines † Enoch fuiſſe tranſlationis honore honeſta-
tum a Deo. Perſpicimus etiam vigeſimumprimum
102 † Abraham decoratũ eſſe Patriarchatu, videlicet, my-
ſterij cuiuſdã acceſſione maiori; ſeptenarius enim ter
in ſe ductus hunc numerum efficit, quaſi ſanctiſſimæ
Trinitatis imaginem præſeferens. Audebit autem for
taſſe quiſpiam iuuenili animi impetu feruens ad no-
uum quoque Adam venire, vt Nazianzenus ait, hoc
eſt ad Deum, & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,
103 † qui iuxta S. Lucæ deſcriptionem, a veteri Adamo
ſeptuageſimus ſeptimus numeratur. Eiuſdem quoq.
generis eſt & alia ſpeculatio: quod cum ſiccitatis vin-
104 culum ſoluendum eſſet, imperauit † Elias puero ſuo,
vt ſepties ſpecularetur, an nubes aliqua appareret, &
ille inſpectione demum ſeptima nubem paruam vi-
dit, quaſi veſtigium viri aquam aduehentis, & confe-
ſtim pluuia in terram fuſa eſt, ſed & puer mortuus ab
Eliſeo ſuſcitatus, ſepties oſcitauit antequam viuus ap
pareret. 4 Reg. 4. Septem item gradus in fonte baptiſ-
mali formabatur Spiritus ſancti myſterio, tres in de-
ſcenſu & tres in aſcenſu, ſeptimus vero is erat, qui &
quartus, id eſt, ſimilis filio hominis, extinguens forna-
cem ignis, ſtabilimentum pedum, fundamentum
aquæ, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporali-
ter, vt docet B. Iſidorus lib. 15. Originum, cap. 4. cu-
iuſ-



iuſmodi fontis ſtructuram videmus in baptiſterio La
teranenſi, in quem per tres gradus deſcẽdimus, & per
totidem iterum ad fontem baptiſmatis aſcendimus,
vt plenitudinem omnium virtutum aſſequamur, &
ſeptuplum accenſam peccatorum fornacẽ extingua-
mus. S. Hieronym. quoque hunc numerum obſeruat
atque perpendit in epiſtola ad Damaſum 125. q. 1.
105 tom. 3. fol. 24. † Hunc numerum edendis miraculis
adhiberi dicit Arias Montan. in tomo 3. Biblici appa
ratus, cap. 14. vbi etiam addit, quod rem non caſu, ſed
conſulto euenire cõfirmat. Sacerdotes etiam Ezechię
tempore poſt templi expiationem ſeptuaginta boues
mactarunt: Aſa vero ſeptuaginta boues, & pecudum
ſeptem millia immolauit. De hoc ipſo numero ſepte-
nario præter eos, quos ſuperius citauimus, ſcribit S. Cy
prianus lib. de exhortatione martyrum, cap. 11 &
lib. 1. teſtimonij aduerſus Iudæos, cap. 20. illiusque
perfectionem demonſtrat S. Auguſt. q. in Deuter. 42.
& latius lib. 11. de ciuita. Dei, cap. 30. S. Hilarius in
præfat. pſalm. & in pſal. 118. ſuper verſ. *Septies in
die, &c.* S. Baſilius in homil. 11. Hexamer. S. Hiero-
ny. in Zacch. 4. Matth. 15. S. Gregor. 1. moral. cap. 7
Alexan. Farra in procem. ſui ſeptenar. & in Zoroaſtro.
ſiue de Regno Dei, & Carol. Zanocar. in vita Caroli
Quinti; atque alia pleraq. obſeruat de hoc numero
Marſil. Ficin. in Platonem argum. dialo. 10. de repub.
ſiue iuſto. Franciſcus Alũnus Ferrarienſis in ſua mun-
di Fabrica ſuper 9. lib. quantitatis, in verb. ſeptem, &
ante

ante illos Macrob. in ſomniũ Scipionis, & Aul.Gell. lib 3.noct. Attic.cap. 10.ac tandem plura de hoc numero diſerte notat Martin. Cantapetrenſ. in hypotypos.lib.6.cap.vlt.

106 Huius denique myſticam numeri ſignificationẽ circa ſeptem Vrbis præcipuas ſanctioresque Baſilicas conſiderauit Sixtus V. Pontifex. Max. ſumma doctrina præſtantiſſimus, nouella quadã conſtitutione, incipien. *Egregia populi Romani*. quam de renouatione Pontificalium Capellarum tempore Aduentus, & Quadrageſimæ edidit Romæ Anno ab incarnatione M. D. LXXXV. Idibus Februarij, pontificatus ſui anno primo.

Ecce igitur quo iure, quantaue cauſa puteus ille, puteus ſeptem dicatur, ideſt, ſanctiſſimus, indeficiẽs, & perennis, infinitam Dei miſericordiam, atque gratiam continens. Digreſsi ſumus hactenus ad totam hanc diuinæ ſephiræ, & ſeptenarij numeri explicationem: quia dum de dignitate & excellentia aquæ ſecundum catholicos ageremus, qui de mari illo, & myſtico puteo loquuti ſunt, videbatur ꝓpoſita diſputatio hanc digreſſionem non abhorrere, ea igitur ſit iam abſoluta; nunc reliqua conſideremus, quæ ad aquæ ipſius prȩſtantiam pertinere videntur.

AR-



## ARGVMENTVM.

Ethnicos, Hebræosque item Sacerdotes aqua vſos in ſacrificijs; Pluraque etiam ad aquas geſta, ac in veteri teſtamento relata.

## *RERVM SVMMÆ.*

*1 Sacerdotes gentilium & templa ornabant, & aqua aſpergebantur.*

*2 Aqua chernips.*

*3 Dijs inferioribus, dum ſacra fiebant, aſpergebantur tantũ Sacerdotes; dum vero ſuperioribus, etiam lauabantur.*

*4 Aqua corpoream labem tollit, iuxta Ciceronis ſententiam.*

*5 Aquã in ſacrificijs effundi, vel in terram decidere, piaculum erat apud gentiles.*

*6 Futile Vas in ſacrificijs quale fuerit.*

*7 Camilli Patrimi, ac Matrimi.*

*8 Ethnici agros & campos aqua luſtrabant.*

*9 Turcæ lauantur aqua, priuſquã locum orationis ingrediantur.*

*10 Elephantes lauantur, & mox ſalutant ſidera.*

*11 Sacerdos Hebræorum debebat aqua & cinere aſpergi, priuſquam diuinum faceret.*

*12 Vitula rubra, & abſque macula in ſacris faciendis*

O

*ciendis.*

*13 In quolibet ſacrificio beneficia petuntur a Deo.*

*14 Beneficia multa contulit Deus hominibus iuxta aquas.*

*15 Agar ancilla Abrahæ figura ſynagogæ.*

*16 Nuptiæ Iſaac Chriſti genus effecturæ, fiunt ad aquas.*

*17 Per aquam Baptiſmi apertus eſt Paradiſus.*

## CAPVT SEXTVM.

GEntium olim Sacerdotes in peragendis ſacrificiјs, cultuque diuino conſeruando, ne dum tẽpla donis, ſimulachriſq.
1 † ornabant, pompaſque ſumptuoſiſſimas & venuſtiſſimas celebrabant, vt teſtatur Plato ĩ Alcibiade 2. ſiue De voto. Sed aqua ſolitos ſe ipſos expiare legimus, vbi fax, qua vſi eſſent in ſa
2 cris, fuiſſet extincta. † Hæc autem aqua appellabatur chernips, vt declarat Seruius in 4. Aeneid. ac referunt etiam Cælius Rhodig. lib. 12. lect. antiq. ca. 1. & Lil. Gyraldus de Dijs gent. Syntagm. 17. Cum vero ſacra
3 † inferioribus Dijs faciebant, aſpergebantur ſolum, nec lauabantur. In quam ſententiam Virgil. lib. 6. Aeneid. dum Miſenum ſepeliri refert, ſic cecinit:

*Idem ter ſocios pura circumtulit vnda*
*Spargens rore leui,*

Et alibi eod. libro:

*Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti*
*Spargit aqua,*

Sic cum 2. libro Aeneam fingit, Anchiſen patrem ſic alloquentem:

*Tu genitor cape ſacra manu, patriosque penates*
*Me bello e tanto digreſſum, & cæde recenti*
*Attrectare nefas, donec me flumine viuo*
*Abluero.*

Quem locum bene interpretatur Lãdinus. Et alibi in 4. Aeneid. ſub finem:

*Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha:*
*Et pecudes ſecum, & monſtrata piacula ducat.*

Multa refert Macrob. lib. 3. cap. 1. & 3. relata tamen a Iuba, Varrone, & Plutar. in quęſt. Roman. cap. 4. Vnde Perſius:

*Hæc ſancte vt poſcas, Tyberino in gurgite mergis*
*Mane caput bis, terq. & noctem in flumine purgas.*

Huc & illud Liuij ſpectat lib. 1. Deca. 5. *Viuo*, inquit, *perfunderis flumine*; quaſi ſcilicet Deos aditurus is eſſet. Erat enim lege xij. tabularum cautum in hæc verba: *Ad diuos caſte adeunto.* Sic Cicero lib. 1. de leg. ait,
4 aſperſione † aquæ corpoream labem tolli, caſtimoniamque præſtari. Sed & Proclus in lib. de ſacrif. & magia in fine docet, Sacerdotes in purificationibus ſolitos inter cætera aquę marinæ ablutione vti. Quod videtur Ariſtophanes ſenſiſſe quando dixit:

πρᾶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θαλάτταν κἴζομεν ἔπειτ᾽ ἐλοῦμεν.



O 2 *Primo*

*Primo quidē ad mare ipſū ꝑduximus, moxq. lauimus.*

Meminit Procop. in lib. 2. de bello Perſico, Choſroē Perſarum Regem Soli, alijſque Dijs ſacra facturum, aqua marina primum fuiſſe expurgatum. Hinc in tan
5 ta apud antiquos veneratione † aqua erat, vt ſi forte ea, cum ſacra fierent, decidiſſet, aut eſſet humi depoſita, ſacrilegium putaretur, malumque portendere videbatur. Ideo quandam fictilis formam excogitauerunt
6 † quod futile appellabant, vt refert Donatus, dicens: *Futile vas eſt lato ore, fundo anguſto, quo vtebantur in ſacris Deæ Veſtæ, quia aqua ad ſacra in terra non ponebatur: quod ſi factum eſſet, piaculum erat. Vnde excogitatum eſt Vas, quod ſtare non poteſt; ſed ſi poſitum eſſet, ſtatim aqua funderetur, illud quoque manibus tenere oportebat.*

Tenebāt autem vas ipſum in manibus Flaminum, Veſtaliumque famulæ, interdum quoque Flaminum
7 ſerui, quos † Camillos, Patrimoſque, ac Matrimos dixerunt, & coronis redimiti, aquam ipſam ſacrificulis exhibebāt. Cuius quidem ritus, vt ſcilicet ſacerdotes, antequam ſacra adirent, aqua expurgarentur, meminit Arnob. qui in lib. 2. cōtra gent. Ethnicorum Deos irridēs inquit: *Lauatio Deūm matris eſt hodie: ſordeſcunt enim diui, & ad ſordes eluendas lauantibus aquis opus eſt, atque adiuncta cineris fricatione.* Quem etiam videtur reſpexiſſe Statius lib. 8. Thebaidos ad finem:

*— rectique ante ora Ceraſtæ,*
*Velauere Deam; fugit auerſata iacentem,*
*Nec prius aſtra ſubit, quam myſtica lampas; & inſons*

*Eliſos*



*Eliſos multa purgauit lumina lympha.*

Et hunc locū voluit citare Lil. Gyrald. de Dijs gent Syntag. 17. tit. de ſupplicatio. non procul a fine, vbi Lactātium citat pro Statio. Quinimo, & apud ipſos Ethnicos vſus expiandarum domorum, atque camporū erat, vt Tertullianus Apoſtolorum temporibus proximus refert: qui de baptiſmo & laudibus aquæ, & myſterijs loquēs initio fere libri ait: *Igitur medicatis quodammodo aquis per Angeli interuentum, & ſpiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eiſdem ſpiritualiter mundatur. Sed enim nationes extraneas ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum eadem efficacia idolis ſuis ſubminiſtrarunt; ſed viduis aquis ſibi mentiuntur: nam ſacris quibuſdam per lauacrum initiantur, Iſidis alicuius, aut Mithræ ipſos etiam Deos lauationibus efferunt. Cęterum villas, domos, templa, totaſque villas aſpergine circumlatæ aquæ expiant paſſim.* Hæc Tertullianus: qui eas vocat aquas viduas (vt id obiter moneamus) quas non fo
8 uet, nec illis incubat Spiritus Domini. † Turcæ etiam, vt ſcribit Bart. Georgius in proœ. hiſt. de Turc. lauantur aqua, antequam eo ingrediantur, vbi orant. Ter enim caput aqua aſpergunt, dicentes *Elhemdū Lillahi*, ideſt, *Gloria Deo meo.* Sed & bruta etiam ſe purificandi morem aliquem ex aqua videntur habere, quadam religionis ſpecie, vt de elephantibus refert Plinius lib. 8. cap. 1. *Auctores ſunt*, inquit, *in Mauritanię ſaltibus ad quendam amnem, cui nomen eſt Anulo, niteſcente Luna noua, greges eorum deſcendere, ibique ſe purificantes ſo-*

*lemniter*

*lemniter aqua circumſpergi,atq. ita ſalutato ſidere in ſil-*
*uas reuerti.* At vero per aquas ſe purgandi morẽ apud
Hebræos fuiſſe frequentem, narrat Philo in lib. de
9 ſomn.fol.385. Statutum ſane erat,† ſacerdotem diui-
nis operam daturum,aqua in primis, ac cinere, vt ſui
ipſius memor fieret,eſſe mundandum. Dicebat enim
ſe terram & cinerem magnus ille ſapiens Abraham,
cum ad Deum preces fundere vellet: De quo quidem
Hebrçorum ritu, docet Paulus Apoſtolus ad Hebr.9.
10 illos ſacra facturos,† vitulam rubeam abſq. macula,
& quæ iugum non portaſſet integram comburere,cu-
ius cinere & aqua Sacerdotem ſanctificabant, quem
ita expurgatum habilem ſane quo tabernaculum in-
gredi is potuiſſet, aptumque reddebant. Nec ſane id
11 mirum:† in quouis enim ſacrificio ea præcipua cura
eſt, vt aliqua a Deo beneficia expetantur, quorum
12 †multa iuxta aquas reperiuntur collata. Ideo in ſa-
cris faciendis, ac precibus Deo offerendis,gratiisque
obtinendis pro myſterio habitum eſt,aquam interue-
13 nire. Ecce enim † Agar ancilla Abrahæ (de qua Pau-
lus Apoſt.ad Galat.4.) a domo dimiſſa,ex quo nõ con
uenerat cum Sarra vxore domini ſui, & ſecum habens
quem lactauerat Iſmaelem;eo miſeriarum redacta eſt,
vt nec aquã in vtribus haberet, ſed ei ab Angelo aquæ
viuæ fons commõſtratur,quem cum guſtaſſet, Iſmael
eximitur omni periculo,Geneſ.cap.21.Id autem figu-
ra fuit miſeræ ſynagogæ, de qua quidem, niſi verum
aquæ viuæ fontem Chriſtum ſuſcipiat, ſacrique ba-
ptiſmatis



ptiſmatis myſterijs initietur,& eſt, & erit actum de il-
14 la.Sic item,cum ducturus eſſet vxorem † Iſaac,(Iſma-
ele,eiusque matre è paternis laribus expulſis) Abrahã
miſit Eliezer ſeruum ſuum, qui vxorem Iſaac reperi-
ret,eamque illi deſponderet:inuenit autem eam Elie-
zer iuxta fontem,quæ fuit Rebecca, Gen.24.Ideo,in-
quit Gregor.Niſſen.in orat.ſancti baptiſ. *Nuptiæ quæ*
*Chriſti genus effecturæ erant,ad aquas initium,ac primã*
*pactionem conuentionemque habuerunt.* Ibat Iacob ſpon
ſalia facturus, cum de improuiſo factus eſt obuiam
Racheli ad fontem, Gen.28. Liquet igitur aquas ma-
gna ex parte diuinis rebus vbique gentium interue-
15 niſſe. † Tandem per aquam, ideſt, ſacrum baptiſma
Paradiſi portæ nobis patet.quod venuſte dixit S. Am-
bro.lib.1.& 2.de ſacramen. & Irenæus lib.3.cap.19.
*Nos aridi non poteramus compingi Deo, niſi ros Spiritus*
*ſancti ſurſum defluens, mortalitatem noſtram proluiſſet.*
Et pulchre Tertullianus de pænitentia: *Primis*,inquit,
*aquis præceptum eſt,animas proferre,primus liquor quod*
*viueret edidit,ne mirum ſit in baptiſmo,ſi aquæ animare*
*nouerunt.* Aqua vero non ſolum ad ſacrificia ſemper
extitit opportuna, ſed ab Ethnicis, conſpicitur adora-
ta,vt inferius latius explicabimus.

AR-

# ARGVMENTVM.

Ethnicorum multos aquam adoraſſe, quaue id de cauſa: Tum & de certis quibuſdam ex ſacris Sanctorum corporibus, ſepulchrisue manantibus liquoribus, & Salernitanæ ciuitatis laudes nonnullæ.

## *RERVM SVMMÆ.*

1 *Aqua ad diuina ſigna fuit ſemper aptiſſima. Flumina apud gentiles pro Dijs habita & nu. 6. & 7.*

2 *Aquarum alteratio mirabilior, quam ſiderum.*

3 *Aqua cæleſtium corporum ſimplicitatem & puritatem imitatur.*

4 *Mirantur Apoſtoli, cum Ieſus imperat ventis, & mari.*

5 *Quamuis ſciuerint Dominum eſſe Chriſtum, cum mari imperat, tamen admirantur.*

6 *Nilus Aegypti Iuppiter creditus.*

7 *Aqua dum ferebatur ad templũ ab Ægyptijs, flexis genibus adorabatur, & quomodo ſacerdotes, dum eam adorabant, ſignificabant eſſe cauſam generationis omnium rerum.*

8 *Agricultura miſerrima ſine aqua.*

*Alemani*



9 *Alemani aquam fluminum adorarunt.*

10 *Perſæ quoque aquas adorauerunt, easque tangere nolebant:*

11 *Indiæ populi quidam aquas adorant; quaſi eis vitam impartiatur.*

12 *Sampſæi hæretici aquam adorabant ſicut & Ebionitæ.*

13 *Deus fons eſt.*

14 *Fontes aut mare adorare, hæreſis eſt.*

15 *Vana & impia cura mortalium Deos ſibi fingentium.*

16 *Homo primus omnium errauit in cognoſcendo Deum, cum debuiſſet errare minus.*

17 *Sixtus Quintus Pontifex Maximus fons pietatis & iuſtitiæ.*

18 *Deo gratiæ agendæ quod aquis fruimur.*

19 *Salernum aquis abundat ex Dei munere.*

20 *Multis rationibus Salernum laudatur.*

21 *Salerni ſitus egregius; & Territoriũ elegans.*

22 *Salernum Metropolis duarum Prouinciarũ, etiam in ſpiritualibus & temporalibus.*

23 *Gymnaſium Salernitanum.*

24 *Ioannes Bolognettus Profeſſor Iuris ciuilis.*

25 *Cardinalis Bolognettus Salerni profeſſus eſt. Io. Angelus Papius Salernitanus laudatus.*

P *Cardi-*

*Cardinalis de Montealto laudatus.*

*26 Salernitana Eccleſia multa corpora ſanctorum habet.*

*27 Corpus S. Matthæi Apoſtoli Salerni aſſeruatur.*

*28 Templum Salernitanum.*

*29 Nundinæ Salernitanæ priuatæ, & generales.*

*30 Aquæ Salerni non ſunt frigidæ ex permiſſione diuina.*

*31 Salerni Ciuitas inuitatur ad opera bona.*

*32 Annona Salerni fertiliſſima.*

*33 Salerni adeſt aqua ſupranaturalis, hoc eſt manna D. Matthæi, apud Amalphitanos B. Andreæ, apud Epheſum B. Ioannis.*

*34 Liquor terræ circa ſepulchrũ B. Iulittæ. Item B. Demetrij, S. Euphemiæ, S. Ermionis, B. Concordij, B. Euſtochiæ, B. Nicolai, B. Barnabæ, S. Laurentij Nouariæ.*

*Cæſar Baronus laudatus.*

*35 Mulieres et viri debent æqualiter Deum laudare, & vitijs reſiſtere.*

*36 Aqua ſancta dicitur ſanctificata, ſecundum Dionyſium.*

*37 Aquæ ſanctæ dignitas, ex ipſa benedictione dependet.*

CA-



## CAPVT SEPTIMVM.

AQuam legimus Ethnicorum pleroſque temere veneratos; id nimirum quoad ſenſum opinantes (vt docte quidem Arias Montanus in Abacuc. 3. explica-
1 uit) † quod nihil ſit forte accommodatius & magis proprium ad diuina ſigna, quam aqua; vnde illi ſignum pro ſignato, rem creatam pro creatore accipientes, aquã adorauere. Hinc & flumina apud illos pro Dijs habita. Horat. ode 1.

*— ad aquæ lene caput ſacræ.*

Quo loci omnes id interpretes animaduertunt. Et inde factum, vt fluminibus ſtatuæ erigerentur, vt paſſim videmus: quod poſt alios docuit Fran. Luiſinus Vtinenſis in Parergo. Quamuis enim cæterarũ rerum natura commutari magna cum admiratione videatur, vt maximi calores, denſiſſimi imbres, terremotus, fulmina, ſagittæ, & fulgura: facile tamen cum rationibus,
2 tum naturalibus ex cauſis ceſſat admiratio. † At ſi in huiuſmodi qualitates aquam progredi videamus, non deſinit quidem admiratio, ſed ſtupor cuipiam, ac ti-
3 mor inſurgit, † cum aqua cæleſtium corporum ſimplicitatem, ac puritatem imitari, curſum vero, motumq. ſuum nequaquam, niſi maximę cauſæ ex diuina diſpoſitione vrgeant, & quæ diuinum aliquod prodigiũ indicent, commutare ſoleat, aut perturbare. Quamobrem licet Apoſtoli Saluatorem noſtrum Chriſtum

 infir-

infirmos curare, ſpiritus immundos eijcere, mortuos
ſuſcitare, aliaque miracula, quibus obſtupuit mun-
4 dus, facientem vidiſſent: † Satis tamen ſuperque, &
magis quam conſueuerant mirati ſunt, quando eum
& fluctus, & tempeſtates excitati maris ſedantem vide-
runt, dicentes: *Quis eſt iſte, quia etiam venti & mare
obediunt ei?* Matth. 8. & Mar. 4. Et ſi dicat quis, Apoſto
los tũc neſciuiſſe illum eſſe Chriſtum, & ideo dixiſſe:
*Quis eſt iſte?* quem ſi cognouiſſent, non vtique mira
ti eſſent. Fac tamen, vt etiam cognouiſſent, ſi non eis
admirationi id fuiſſet Hic eſt Chriſtus, magiſterque
noſter dixiſſent, cuius tot tantaque ſigna & miracula
vidimus. ſed quoniam eo progreſſi ſunt, vt etiam di-
5 xerint: *Quis eſt iſte, quia venti, &c.* † facile apparet,
quod quamuis etiam cognouiſſent, totque eius admi-
rãda opera ſæpiſſime vidiſſent; vnum tamen hoc ma-
ximopere mirabantur, quod mari, ac ventis imperita-
ret, neſcientes hoc illum facere potuiſſe, qui maiora
quotidie ſolebat. Hoc igitur, ideſt aquæ vim & naturã
(vt vnde digreſſa noſtra oratio eſt, redeamus) Ethnici
conſiderantes, aquam venerati ſunt, quod illis forſitã
ea moueri, & euolui a motore incomprehẽſibili quo-
dam modo videretur: non enim, vt dudum diximus,
perſpiciebant cauſam, cur mare agitatione & motu
vacuum eſſe numquam poſſit: ideoque (cum debilia
mentibus eorum lumina prælata ſint, quæ vlterius nõ
attingebant) illam, quæ mouebatur mouentem eſſe
cenſuerunt, ac res creatas cum creatore cõfundentes,
aquam



aquam ipſam pro Deo adorauerunt. Scribit prẹterea
Cælius Rhodig. lib. 27. cap. 6. antiq. lect. Bizantium
poetam inducere Parmenonem dicentem:
αἰγυπτιεζεύς νεῖλε, ideſt,
6 † *Iupiter Ægypti Nile*.
S. Athanaſius quoque Epiſcopus Alexand. in orat.
7 contra Idola. docet, quod dum † vas aquẹ ad templum
portaretur, omnes, illo tranſeunte, genibus flexis ad ſi-
dera manus tollentes, Dijs gratias agebãt, Nilum flu-
men, vt dictum eſt, Deum exiſtimantes; & lib. de In-
carnatione verbi Dei teſtatur hoc ipſum dicens:
*Quod ſi te in aquarum naturam demergas, eaſque numen
habere arbitreris (quemadmodum apud Ægyptios in ve-
neratione ſunt) contemplare eas ab ipſo tranſmutari, &
comprehendes illum aquarum eſſe dominũ:* cuius rei etiã
meminit Lucia. in Ioue Tragœdo: Vitruuius etiã lib.
8. Aegyptios coluiſſe aquam ſatis aperte innuit, in-
quiens: *Ex eo etiam qui ſacerdotia gerunt, moribus Æ-
gyptiorum oſtendunt, omnes res è liquoris poteſtate conſi-
ſtere; itaque cum hydriam tegunt, quæ ad templum, ædemq.
caſta religione refertur, tunc in terram procumbentes, ma-
nibus ad cœlum ſublatis, inuentionibus gratias agunt diui
nẹ benignitatis.* Varro. lib. 1. de re ruſt. cap. 1. aquam
8 pro Dea inuocat, hanc afferens cauſam: *Quoniam,* † in-
quit, *ſine aqua omnis arida, ac miſera eſt agricultura.*
Nec Agathius prætermittendus, qui lib. 1. & 2. Pereg.
9 hiſtor. ſcribit, Alemanos Deorum loco † aquam flu-
10 minum adoraſſe, † Perſaſque adeo aquam veneratos
fuiſſe,

fuiſſe, vt nec faciem aqua lauare, nec eam tangere, vt
potarent, nec agros auderent aliquãdo irrigare. Idem-
que de Perſis docet Arnob. lib. 6. contr. gent. Et nouiſ-
11 ſime legimus de quibuſdam † populis Indiæ, qui ado
rantes aquam, dicebant illam generare eorum Haim,
& quod eorum vitam aqua ſuſtentet, vt ſcribit Vaz-
ques in ſuis relationibus lib. 3. Nauig. fol. 362. Sed &
12 † Sampſæi hęretici aquam adorauere, vt ſcribit S. Epi-
phan. lib. 2. tom. 2. hæreſ. 53. Quod ipſum fecere E-
bionitæ hæretici, vt teſtatur Io. Damaſcenus in lib. hę-
reſeon ver. Ebionei. Sed tota miſeri errabant via, non
13 vidẽtes, quod vera ſit illa propoſitio, † Deum eſſe fon
tem, cum fontem aquæ viuæ eum appellet Hierem.
14 cap. 3. † Fontem vero aquæ, aut mare (cum creata res
15 aqua ſit, & non creatrix) Deũ credere, hæreſis eſt. † Ete-
nim vana mortalium cura fuit, qui Deo ſummo &
opt. obedire renuentes, imo legem, vt quiſque maxi-
me appetebat immoderate fingentes, legiſlatorem
Deumque facere quem magis libebat, voluerunt.
Sancte igitur meditatur Athanaſius, dum in præfata
16 orat. de incarnat. verbi, & eius corp. aduentu, † homi-
nem dicit omnium, qui errauerint in cognoſcendo
Deo primum fuiſſe, licet ipſe errare minus quam res
quæpiam creata debuiſſet, cuius verba ſunt hæc: *Mi-
rum eſt, quod nihil ex rebus creatis errabat in numine in-
telligendo, pręter ſolum hominem, non ſol, non luna, non
cęlum, non aſtra, non aqua, non æther immutant ſuum ordi-
nem, ſed agnoſcentes ſuum opificem & principem, ratio-*
*nem*



*nem verbumq. Dei eo tenore permanent, quo conditę ſunt.
Soli autem homines auerſi ab illa bona ſtatione veritatis,
iiſque quę non erant effectis, Dei honorem, ac eius cognitio-
nem dęmonibus, & hominibus in lapide effigiatis dedica-
uerunt.* Nefas igitur fuit, ſemperque erit aquam ado-
rare, quæ res eſt creata, ſed vere ſupplicandum eſt, &
gratiæ agendæ Deo, qui facit, regnante præſertim
17 † Sixto V. Pont. Opt. atq. Sanctiſſimo, quẽ nobis Deus
verum aquæ benignitatis, iuſtitiæ & religionis fon
tem elargitus eſt. Quo ſane moderatore, & Principe
dubitandum non eſt, quin euitatis ſcopulis, ſyrtibus-
que ſuperatis, quibus circundata B. Petri Apoſtolorũ
principis nauis in alto agitata, iamdiu periclitatur, in
tranquilliſſimum quietis portum ſeſe tandẽ aliquan-
18 do recipiat, † vt tam ſuaui, tamque in primis iocun-
do elemento perfruamur, & vtamur: quod ſi alicuius
19 maxime populi id munus eſt, tuum præ cæteris † Sa-
lernum eſſe debet, cum tibi tam egregij ſcaturiant
fontes, qui præclaram tibi, cum in vijs omnibus, tum
in ſacris, priuatisque ædibus fere quibusq. diuini nu-
minis laudãdi præbeant occaſionem. Sed quid vnam
hanc tantum nos cauſam in medium afferimus, cum
20 plurima ſint beneficia, † ac mille laudum inſignia,
quibus te diuina clementia pulcherrime decorauit?
21 † Ecce belliſſimus tibi ſitus eſt, contiguũ mare, amœ-
ni colles, irriguæ valles, fructifera planities, ſaluberri-
mus aer, tot templa domusque religioſorum: Es præ-
22 terea † duarum prouinciarum caput, atq. Metropolis
in

in ſpiritualibus &temporalibus, Gymnaſium habes
23 poſt hominum † memoriam ſatis præclarum, vbi cla-
riſſimi omnium ſemper diſciplinarum interpretes flo-
ruerunt, prout(alijs multis prætermiſſis) hac ætate no-
24 ſtra † ſenior ille Io. Bolognettus conciuis noſter cum
virtutibus, tum editis tot voluminibus illuſtris, alter
25 quoque Bolognettus iunior † Albertus, qui ob præ-
claras animi dotes, ac ſummam & religionem & pieta
tem, in ampliſs. S.R.E. Cardinalium ordinem coopta-
tus, magno bonorum omnium mœrore nobis tam ci-
to ſublatus eſt, licet in cœleſtem patriam euocatus,
alijque celebres vſque in hodiernum iam emicant
diem, quos vt audiat cupida diſciplinarum iuuentus
vndique confluit. Illud vero tibi decus attulit immor
tale, quod cum Sixtus V. acerrimi iudicij Princeps
aliquem inſignem virtute & probitate virum inueſti-
garet, cui Alexandrum Perettum Cardinalem de Mõ-
tealto inſtituendum, atque informandum crederet;
quem is iure optimo cariſſimum habet, non tam quod
Camillæ ſororis lectiſſimæ, & præſtantiſſimæ fœminæ
nepos ſit; quam quod per ſua iam nũc pleno gradu ve-
ſtigia incedentem morũ grauitate, ingenio, prudẽtia,
religione, atque doctrina teneram adhuc ætatem an-
teuertere intueatur: Cumque ex toto fere terrarum or-
be delectus haberetur, multique viri clariſſimi vndiq.
proponerẽtur; vnus Io. Angelus Papius I.C. Salernita-
nus ſit electus; in quo tamquam perfecto quodam ſi-
mulachro vitæ integritas, rerum experientia, ſcientia-
rum



26 rum cognitio reperiuntur. † Speciali etiam gaudes
honore, cælorum beneficio, propter tot ſanctorum
Epiſcoporum Bonoſij, Gramatij, Veri, Euſterij, Valen
tiniani & Gaudioſi, totque aliorum beatorum corpo-
27 ra, quæ apud te requieſcunt: † pręſertim vero(pro quo
quidem ſummo Deo maxime debes) Beatiſſimi Apo-
ſtoli & Euangeliſtæ Matthæi, ſanctorum martyrum
Fortunati, Caij, & Antes, Felicis martyris: cõfeſſorum
quoque Elpidij, Cionis, Elpicij, Valentiniani, Cyria-
ci, Quingeſij, & aliorũ, quæ honorifice in tua maiori
Eccleſia recondita veneraris, infinitaſque etiam atq.
pretioſas aliorum reliquias. Debes inquam Deo plu-
rimum ob tot indulgentias tibi a Rom. Pont. elar-
28 gitas, ob templumque † tam celebre, de quo alibi plu-
29 ra ſcripſimus, ob triplices † priuatas in quaque heb-
domada nundinas, quarum opportunitate ſtatis die-
bus annona floret, vnde vniuerſa prouincia frumen-
to, cæteriſque ad vitam neceſſarijs copioſe abundat.
Habes & bis in anno emporium totius Regni maxi-
me celebre, nundinas inquam generales ac liberas,
vbi mercatores, vel e remotiſsimis quidem terrarum
partibus, terra marique conuenientes, emunt, ven-
duntque. Inſigni demum decoraris ornamento, quod
manes ſub ditione Philippi ſecũdi Hiſpaniarum Re-
gis Catholici Auſtriacæ familiæ, ac totius orbis ſyde-
ris fulgentiſsimi, qui propugnaculũ fidei Catholicæ
inuictiſsimum exiſtit. Præter id quod tot inſignes
plane ac religioſos, vereque illuſtres Paſtores ſemper
Q habuiſti

habuiſti, inter quos proximis temporib. Seripandum, Ceruantes Columnam nunc viuentem Cardinales ſuſpiciendos quidem, omnique laude digniſſimos. Mitto Io. Cardinalem Aragonum Regis Ferdinandi filium, Carpenſem Rodulphum, aliosque eius ampliſſimi ordinis quãplures præſtantiſſimos. Quod ſi (vt redeamus ad aquam) ea tibi, cum gelida non ſit, quam
30 frigidam exoptares, minus grata eſſe videatur; † intelligas diuino id factum numine, vt per muta etiam elementa, quid a te Deus expetat, comprehendas, ne ſcilicet frigidum, ſed in tuis operibus feruens eſſe debeas, illarumque rerum naturam imiteris, quæ tibi
31 (diuino munere largiẽte) exortæ ſunt: † vt enim aqua tibi nõ frigida eſt, ſic & tu non frigidas, ſed feruentes lachrymas quotidie fundas, quæ ſpiritum cõpungãt, ſordesque tuorum abluant peccatorum. Et ex fructibus illis, quorum tibi magna cuiuſque generis copia eſt, arguas bonorum operum copiam eſſe dandam, vtque pulchra quæuis tibi arbor eſt, & pendentibus pomis onuſta, ſic tu bonis, ſanctisque operibus decorum quaſi tot gemmis, quæ ex radice arboris compuncti cordis ad Dei laudem, gloriamque diſpoſiti educatur. Si amœna tua regio eſt, ita vt omnes ad ſe amandum alliciat, ita amœnum ſit & cor tuum, nõ cauernoſum, non duplex, non elatum, vt ſuperbia tumeat; non abiectum peccatorum pondere, vt vileſcat; procul ſpinæ, ac tribuli, vanarumque abſint foramina cogitationũ, nec vlla ſcandali petra conſiſtat. Sit ſanctum, bene





olens, religioſum, & caſtum; ſi feraciſſimus eſt campus tuus, tu quoque ſanctis moribus redundes; ſi malas non continet herbas, malæ etiam e tuo corde cogitationes recedant, & verba tollantur inania, nec ocioſe, aut negligenter viuas. Et tandem, ſi ex ſingulis quibuſ-
32 que agris tuis † decuplam ſesquidecuplam, ſæpe etiã bis terue decuplam annonam percipis; quid non te ipſum concutiens intelligis, quod pro tot largis benedictionibus, acceptis debet pro ſe quiſque tuorum ciuium, & maxime poteſt gratias agere Deo, bonisque operibus incumbere deſiderio ſaltem, aut animi certe propoſito? Alijs, qui benefecerint, dicitur centuplum accipies, tibi vero iam gratis, nulloque ſuſcepto labore, datum eſt id omnium bonorum centuplum; cum omnibus plane rebus, quæ aut a natura, aut arte, aut ingenio tribui potuiſſent, affluentius abundes. Quid te igitur adeo ingratum præbeas, vt quo plurima ſunt beneficia, eo magis Deum non cognoſcas, eiuſque miniſtros, eo minus venereris, nec ſculpas in corde tuo ea magni Baſilij documenta in ſuo ſermone, qui incipit: *Attende tibi ipſi, vt per bona opera affatim maiora recipias?* Hanc nacti occaſionem, prætermittendum non arbitramur, quod præter naturalem aquam, quæ
33 tibi (vt diximus) vbique eſt, † ſupernaturalem aliam habes ad exẽplum fere illius, quam legimus Hebręis e cœlo pluiſſe, & manna vulgo appellatum. Chaldaice quidem a ܡܢܐ hebraice vero מָן ſcaturit enim è glorioſo corpore Apoſtoli & Euangeliſtæ Matthæi li-

quor ille præclarus,qui & manna quoque vocatur, cuius magna veneratio adeo per totum terrarum orbem celebris eſt,vt infinita eius miracula neminem lateât, nuſquam non penetrarint. Hæc illa Salernum aqua eſt, quam ſitire,hoc eſt venerari vehementius debes, ideſt, gratiam Dei, qui tot bonorum copiam munificentiſſime tibi elargitus eſt; ſicut & Amalphitanis ciuibus tibi fere conterminis,nec niſi paruo maris ſinu diſtantibus,e ſacro glorioſiſſ. Andreæ Apoſtoli corpore, quod apud illos aſſeruatur, liquorem hunc donauit, quem & Epheſijs olim e S. Io. Apoſtoli corpore conceſſum narrat Abdias Babylonicus, hiſtor. Apoſtol.lib. 5.ad finē. de cuius tamē libri fide dicemus inferius aptiore loco.Huic autem Apoſtolico,ſacroq. liquori mire quadrare videntur ea verba, quæ S.Baſi-
34 lius dicebat de † beata Iulitta martyre: *Terra autem benedicta,* inquit, *huius beatæ aduentu ex proprijs lateribus naturam aquæ generoſiſſimam emiſit, vt modo lactis omnes in ciuitate pariter nutriat,ex quo pro martyre mater communis videatur effecta. Hæc enim & valentibus ſanitatis conſeruatio eſt, & modeſte delicatis voluptatis promptuarium, & ægris conſolatio: Gratiam Eliſæi, quam Hebræi apud Hiericuntham ſenſerunt, hāc vobis hæc mater beatiſſima (dicemus nos hic glorioſus Apoſtolus) tradidit, vt aqua huiuſmodi præter loci naturam, cum ſalſæ fere ſint omnes, dulcem mollemque, ac delectabilem omnibus, qui eam cum benedictione bibunt, deguſtationem præbeat.*

Sic & B. Demetrij S. Euphemiæ, S. Ermionis vnius ex

filiabus



filiabus ſancti Philippi Diaconi, B. Concordij apud Spoletum, B. Euſtochiæ apud Patauium manantes ex ſepulchris, & corporibus mirificos liquores, recenſent Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Euagr. lib. 2. cap. 3. Nicepho. lib. 15. cap. 3. & 5. & lib. 18. cap. 31. Oratio Conſtantini Epiſcopi apud Metaphraſt. 11. Iulii, & Græcorum Menologium die 3. Decembris in Mirope martyre Cedren. in compend. & Zoaras, & Michael Glicas, Bernardinus Scardeonius, ac nouiſſime Alan. Cop. dialo. 3. cap. 29. & apud Barum in ſepulchro S. Nicolai oleum ſcaturire paſſim videmus, ſicut in ſepulchro B. Barnabæ apud lacum Benacum die eius feſto aqua vberrime profluere omnes conſpiciunt; ſicut & de ſepulchro alterius S. Laurentij martyris Nouariæ teſtātur antiqua carmina ibidē inſcripta, quæ quia elegantia ſatis ſunt, idcirco ſubiecimus: Illius vero feſtum celebratur 30. Aprilis:

*Aſpicis hoc marmor tumuli de more cauatum,*
*Id ſolidum eſt intus, rima nec vlla patet;*
*Vnde queat tellus occultas mittere lymphas:*
*Manat ab ingeſtis oſſibus iſte liquor.*
*Si dubitas, medio ſudantes tolle ſepulchro*
*Reliquias: dices, vnda ſalubris vbi eſt?*

Horum vero quæ diximus aliqua recenſet Cæſar Baronus vir doctus & diligens, ac pietate inſignis, in ſuis Annotationibus, quas accurate conſcripſit ad Rom. Martyrologium iuſſu Gregorij xiij. editum. Sed ex citato S. Baſilij loco illud quoq. videtur ad id quod pro-

xime

xime monebamus valde accõmodatũ:quod ibidẽ cũ-
ctos homines hortatur,ne ſinãt ſe a mulieribus in ſan
35 ctitate vinci:†etenim Deus formãdo mulierem, non
carnem tantũ, ſed os quoq. ſumpſit ex homine, vnde
fortitudinẽ, & conſtantiam demonſtrare vterq ſexus
debet, cum ad imaginẽ & ſimilitudinem Dei, ex vna
eademque materia ſit vterque compactus. Certet igi-
tur pariter & veſtrum quiſque Salernitani,& obnixius
contendat,vt in ſanctis meditationibus quotidie ver-
ſetur,pia non deſit exercitatio, nec in bonis operibus
conſuetudo;ita enim efficietis,quod iiſdem rebus ina-
nimatis vobis a Deo large tributis, proponitur imi-
tandum.

Sed ad aquam noſtram redeundo, à qua tantiſper
digreſſi ſumus: Si aquæ elementari & ſimplici, vel ab
antiquis Philoſophis,qui Chriſtum non cognouerũt,
tantus plauſus datus eſt,tanta exhibita veneratio,quid
a nobis porro faciendum erit, qui Chriſtiana ſumus
illuminati fide, quique tot ſanctæ Eccleſiæ Doctores
præuios habemus erga aquam illam, quæ ſit (diuino
nomine inuocato)benedicta & ſanctificata? Sanctifi-
catam dixit eam Dionyſius in par.2. cap.2. de cæleſti
hierar. Licet intendat, & loquatur ipſe de baptiſmali
36 his verbis: †*Et tunc aqua ſacris inuocationibus ſanctifi-
cans, et tribus ſacri chriſmatis cruciformibus effuſionibus
perficiens illam.* Hæc vera aqua eſt, ſancta ſcilicet, &
baptiſmalis, de qua Ezech. 36. *Effundam ſuper vos
aquam mundã, et mundabimini: ab omnibus inquinamen-*
*tis*



*tis veſtris mundabo vos, dabo vobis cor nouum, & ſpiritũ
nouum ponam in medio veſtri.* Cęterum quoniam to-
37 ta etiam huius aquæ, de qua nos agimus,†dignitas ex
benedictione illa proficiſcitur, ac dependet, quæ ora-
tionibus & precibus fit rite a ſancta Eccleſia ordina-
tis, nec non ex miniſtri illius opera, qui recte ab eadẽ
Catholica matre ſit inſtitutus. Exigit a nobis ordo rei
propoſitæ, vt de illius benedictione tractemus. Vt au-
tem magis liqueat,quomodo per huiuſmodi benedi-
ctionem benedicta intelligatur,quid verbum hoc be-
nedicere,quid nomen benedictio ſignificet,ante om-
nia explicabimus. Mox de aqua ipſa benedicta ad lau-
dem & gloriam Dei, qui autor & verus fons eſt om-
nium benedictionum, proſequemur.

M.AN-

# M· ANTONII MARSILII COLVMNAE BONONIENSIS· I· C. ARCHIEPIS. SALERNITANI

## HYDRAGIOLOGIAE Sectio Secunda,

*In qua, Quidnam ſit benedicere, quidue benedictionis nomẽ, Quis benedicendæ aquæ autor, ac inſtitutor; Quæ item illi, dum benedicitur, miſceantur; quiſve illius miniſter: Et quę nam ad id ſint præſcriptæ preces, abunde explicatur.*

### ARGVMENTVM.

Benedicendi verbo, ac benedictionis nomine, quidnam in ſacris litteris ſignificetur.

### *RERVM SVMMÆ.*

1 *BEnedicere verbum multis modis accipitur in ſacris litteris.*

2 *Benedicere eſt beatum facere.*

Bene-



3 *Benedictio eſt eleemoſyna ſpiritualis.*

4 *Eleemoſyna largiter eroganda.*

5 *Benedicere eſt commendare, & bene loqui.*

6 *Benedicere eſt adulari.*

7 *Ab adulatoribus & blande loquentibus cauendum.*

8 *Benedicens adulando maledicenti ſimilis.*

9 *Onus eſt laudare valde.*

10 *Benedictio Chriſtus eſt,*

11 *Benedictiones ſunt dona, & beneficia Dei.*

12 *Benedictio ſpiritualis æterna eſt.*

13 *Benedictio dulcedinis quæ.*

14 *Benedicere idem quod locupletare.*

15 *Benedicere eſt fœcundos reddere.*

16 *Benedicere eſt benefacere.*

17 *Benedicit Sacerdos populo.*

18 *Benedicendi vſus qui manibus ſit antiquiſſimus.*

19 *Benedictio facienda in modum crucis.*

20 *Decuſſare manus quid.*

21 *Benedictio Iacob qualis fuerit.*

22 *Hæretici damnantur, qui benedicendi vſum negant.*

23 *Benedictio Dei quæ.*

24 *Benedicere noſtrũ eſt agnoſcere beneficia Dei*

R *Beati-*

25 *Beatitudines octo Dominicæ fuerunt benedictiones.*
26 *Benedictiones omnes Beatiſſimæ Virgini debentur.*
27 *Benedictio gratia eſt.*
28 *Benedictio eſt procreatio filiorum.*
29 *Generatio filiorum Dei donum eſt.*
30 *Benedictio ſæpiſſime in ſcriptura capitur paſſiue.*
31 *Benedicere eſt magnificare.*
32 *Benedicere eſt etiam amandare, & vale dicere.*
33 *Benedicere eſt lætari.*
34 *Benedicere eſt gratulari, vel laudare pro noſtris.*
35 *Poculum, ſiue calix benedictionis.*
36 *Benedicere eſt amice compellare.*
37 *Benedictus, & ſanctus Deus.*
38 *Benedictio cumulus bonorum, & felicitatum.*
39 *Benedicit homo homini.*
40 *Benedicere bene precari, maledicere male precari.*
41 *Benedictio, per quam creaturæ ſanctificatur.*
42 *Omnis creatura Dei bona eſt, & per verbum ſanctificatur.*

*Sancti-*



*Sanctificationis nomen varie apud ſanctos Patres accipi.*
*Signum Crucis adhiberi in ſanctificationibus & benedictionibus.*
43 *Benedicere per antiphraſim eſt maledicere, & blaſphemare.*
44 *Morbi, & vitia nonnunquam bonis, & honeſtis nominibus appellantur.*
45 *Poſt verbum, maledico, nunquam additur nomen Dei.*
46 *In die Iudicij pronunciatur nomen Dei, Venite benedicti patris mei.*
47 *Nomen Dei nunquam pronunciatur vbi maledicitur.*
48 *Prophetarum maledictiones plurimæ recenſentur.*
49 *Benedicimus Deum nos etiam.*
50 *Accipere benedictionem quid.*
51 *Benedictio pro oratione, & precibus ab Eccleſia inſtitutis.*
52 *Benedictio duplex, ſcilicet aut in vim ſanctitatis, aut ordinis.*

## CAPVT PRIMVM.

1 MVLTIFARIAM, † multiſque modis accipitur hoc verbum, benedicere, nomẽque, benedictio, in ſacris litteris; de quo nunc diſſerere peropportunũ videtur: eſt enim tropus ſatis elegans, & hebraicæ præſertim linguæ admodum familiaris. Aliquãdo igitur benedicere eſt idem
2 quod † beatum, felicem ac fortunatum reddere, vt Gen. 12. *Faciam te in gentem magnam, et benedicam te,*
3 ideſt, beatum ac fortunatum reddam. † Nonnunquã pro ſpirituali eleemoſyna capitur, vt Prouerb. 11. vbi not. Ianſen. in verſ. 25. dum ait: *Anima, quæ benedixit, impinguabitur*, hoc eſt, qui ore benedicit, imprecaturque bona proximis, aut benedicendo inſtruit illos, *impinguabitur*, hoc eſt, replebitur donis gratiæ diuinæ, & diteſcet bonis omnibus, Deo elargiente. Vnde S. Greg. in 3. par. paſtora. in admonit. 26. dicit: *Qui prædicando exterius benedicit, interius augmenti pinguedinem recipit, eleemoſynam ſcilicet ſpiritualem erga proximum diſpenſando:* quo quidem ſenſu Paulus Apoſt. 2. ad Corinth. 9. dicebat: *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Hoc proculdubio ſentiẽs
4 † quod generaliter & large debemus eleemoſynas erogare, & bona noſtra vbertim fratribus noſtris communicare, vt & ipſi de benedictionibus metere valeamus; opima noſtræ fidei præmia reportãtes: & ideo in eodẽ

Pauli



Pauli contextu præmittebatur: *Qui parce ſeminat, parce & metet.* Nonnunquam ſcripturæ vſu benedicere
5 idem eſt, † quod commendare, laudare, bona optare, bene loqui, & precari, Gen. 14. *Et benedixit ei.* & Gen. 27. *Et benedicat tibi anima mea*, ideſt, vt tibi ex animo benedicam, & quemadmodum tibi ex animo beneuolo & cupio, ita tibi benefaciam. & Gen. 24. *Et imprecantes proſpera ſorori ſuæ:* hebræus codex dicit: *Et*
6 *benedixerunt eam.* † Quandoque ſignificat adulari, & ſonat in malum, denotatque noxiam illam verborum ſuauitatem, & blandiloquentiam, quibus corda ſimplicium ſeducũtur a via veritatis. Sic hortatur Roma-
7 nos Paulus cap. 16. vt eos † obſeruent, *qui per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium:* & hoc ſenſu conſueuit fere ſemper adiungi aliquid, vt
8 Prouerb. 27. verſ. 14. † *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis erit:* quo pertinet, & id, quod dicitur Pſal. 9. *Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, ideo exacerbauit Dominum peccator.* Capitur ſiquidem ijs in locis pro adulatione; & ideo dicitur, *de nocte conſurgens*, quod ſane tempus importunum eſt, & affectatæ bonitatis ad explendas eas actiones, quæ interdiu exerceri ſolent, & debent. & iterum dicitur, *iniquus benedicitur*. ſiquidem (vt etiam Euripides in Oreſte dicebat:

Βάρος ἐςὶν αἰνεῖσθαι λίαν.

9 † *Onus eſt laudare valde:* vſurpatur etiam pro † Sal-

uatore

10 uatore noſtro Ieſu Chriſto, nomen benedictio, vt Eſa.
19. *In die illa erit Iſrael tertius Ægypto & Aſſyrio: be-*
*nedictio in medio terrę.* Et in Pſal. 20. *Quoniam dabis*
11 *eum in benedictionem in ſæculum ſęculi.* † Alias dicuntur
benedictiones, dona & beneficia Dei: benedicere
enim in Deo eſt ipſum benefacere, ſicut & dicere eſt
ipſum facere, iuxta illud: *Ipſe dixit & facta ſunt*, vt de-
clarat Nicol. de Lyra, Ioan. 21. Ideo dicitur Pſal. 20.
*Quoniam pręueniſti eum in benedictionibus dulcedinis*,
quo loco Græci non habent γλυκότητος, ſed habent lo-
co eius χρηστότητος, quo nomine amplior benignitas,
12 ac bonitas deſignatur. Eſt igitur hæc † benedictio ſpi-
ritualis, quæ dicitur æterna atque cæleſtis, qua Deus
pater Domini noſtri Ieſu Chriſti benedixit nos omni
benedictione ſpirituali per Chriſtum, de qua ſimili-
ter intelligitur illud Pſal. 20. proxime adductum:
*Dabis eum in benedictionem*, proinde ſunt iſtæ benedi-
ctiones omnia Spiritus ſancti chariſmata, quibus in
Deo, & erga proximum in dies magis magiſque pro-
ficimus, & per dilectionem in fide progredimur. Et
13 dum dicitur, † *Benedictio dulcedinis*, ſignificantur
dulcia dona, quæ a dulciſsima Dei bonitate proue-
niunt. Et re vera, videtur huiuſmodi benedictio quæ-
dam quaſi diluuies gratiarum: cum dicat Eccleſ. 39.
*Benedictio illius quaſi fluuius inundauit, & quaſi Cata-*
*cliſmus aridam inebriauit.* Hoc etiam ſenſu accipi-
14 tur nonnunquam, † vt benedicere ſit idem quod lo-
cupletare, multiplicare, augmentare vim gignendi,
pro-



prout in Pſal. 147. *Quoniam confortauit ſeras porta-*
*rum tuarum, benedixit filijs tuis in te.* Sic etiam Geneſ.
1. & 9. benedixit Deus Adam, & Noe, & filios huius,
15 *Et dixit ad eos, creſcite & multiplicamini, &c.* † Be-
nedixit (inquam) ideſt, fœcundos reddidit. Erat
enim Noe ſeminarium & noui & futuri ſæculi: ſic
Geneſ. 26. *Benedixit ei Dominus, & creuit vir, & locu-*
*pletatus eſt*, Gen. 28. *Deus omnipotens benedicat tibi.*
Vbi benedicere pro locupletare, & ditare ponitur, &
alibi Geneſ. 22. *Benedicẽs benedicam tibi, & multiplica-*
*bo te.* Ad hæc profectum, & multiplicationem ſonat,
iuxta Pſal. 144. *Imples omne animal benedictione:* & ſic
eſt quaſi eleemoſyna, & beneficium Dei: eſt enim be-
neficium Dei beneficentia eius. ſic legimus quoque
de Ioſeph, quod Deus benedixit illi in omnibus, ideſt,
rem ſuam augmentauit, multiplicauit, beneficia præ-
16 ſtitit Ioſeph. Inſuper † benedicere pro benefacere, ac
honorare vſurpatum inuenimus, Gen. 12. *Benedicam*
17 *benedicentibus te.* † Benedicit etiam populo ſacerdos,
quando manibus ad cælum erectis, bene precatur a
18 Deo. Qui quidem † vſus benedicendi antiquiſſimus
extitit; vt ſcite Ianſen. coniectat ex 50. cap. Eccleſiaſt.
dum textus ait: *Tunc deſcendens manus ſuas extulit in*
*omnem congregationem filiorum Iſrael, dare gloriam Deo a*
19 *labijs ipſius, & in nomine ipſius gloriari.* † Fiebat autem
ea benedictio in modum Crucis decuſſatis manibus;
& eleganter exponit S. Hierony. ſuper Hiere. cap. 31.
20 dicens: † *Decuſſare eſt per medium ſecare, veluti ſi duę*
re-

*regulæ concurrant ad ſpeciem litterę X, quæ figura Cru-*
21 *cis eſt*. In hunc modum ait: † Iacob benedixiſſe
Ephraim, manibus ad imaginem Crucis accõmoda-
tis, quę ſane fuit aperta figura Crucis, ac paſſionis Do-
minicæ, quemadmodum pietate ſumma Damaſce-
nus exponit, dum de Cruce loquitur, & promptum eſt
cuilibet legere apud Iuſtinum in Triphone, & Canta-
curenum in Apolog. 2. Prudentium in hymno Epi-
phaniæ. Thom. Vualdenſem, tom. 1. art. 3. cap. 59.
nec non apud Martin. Cantapetrenſ. hypotyp. lib. 9.
reg. 17. In hunc etiam modum accipitur benedictio
in cap. 6. Num. quo loco Græci optime hanc vim ver-
bi exprimunt hoc modo ἐυλογεῖν τὸν λαὸν, quod & per-
pendit Ianſen. ſupra citatus in d. cap. 50. Eccleſiaſ. vbi
22 etiam iraſcitur, & ſuccenſet perfidis † hæreticis teme-
re negantibus vſum benedicendi ductum, & factita-
tum a tempore tam antiquo, & ritu tam ſacro erigendi
manus, & a quatuor mundi cardinibus populum be-
23 nedicendi. Accidit etiam nõnunquam, vt ipſe † Deus
benedicat, quod Græci exprimunt dicentes ἐυλογία;
ideſt, multiplicatio donorum Dei, ſicut S. Thom. ait
pri. p. q. 72. ad quartũ. Itidem benedicere Dei eſt cau-
24 ſare bonitatem; † noſtrum benedicere eſt agnoſcere
beneficia eius, vt idem S. Thom. interpretatur ſuper
Pſal. 33. col. 1. in finem. Sed etiam eodem ſenſu ca-
pitur, nempe pro eo quod eſt laudare Deum, & ipſi
gratias agere, prout in pluribus ſcripturæ locis pro eo-
dem vſurpatur vtrumque, vt apud Matth. 14. & 26.





Mar. 6. Luc. 24. ſed & S. Ambr. ſup. Luc. 6. putat, quod
25 illæ † octo beatitudines Domini fuerint forte bene-
dictiones, quod etiam animaduertit Caniſius in Ca-
techiſ. par. 4. fol. 474. vbi etiam alias plures bene-
26 dictionis † ſpecies cumulat, quas dicit Beatæ Virgini
competere in ſuo Mariali vulgo nuncupato, qui & de
corruptelis verbi Dei eſt etiam inſcriptus liber, in quo
de Deipara Virgine nihil reliquit intactum, & alias
multas cumulauerat ante ipſum Albertus Magnus
in tracta. de laudibus Beatiſſ. Virg. & Buſtus pariter
27 in ſuo Mariali. Item capitur benedicere pro † benefi-
centia & gratia, Eſa. 36. *Facite mecum benedictionem*,
ideſt, hanc apud me gratiam ineatis. Hinc benedictio
pro dono & munere aliquando ponitur. Geneſ. 33.
*Suſcipe benedictionem, quam attuli tibi*. Et Paul. ad Co-
rinthios, ἐυλογίαν pro dono vſurpat. Benedictionis no-
28 mine itidem in ſcriptura, † filiorũ procreatio, ſiue ge-
29 neratio venit, † Dei enim donum eſt, non munus hu-
manæ naturæ. Licet præterea animaduertere, quod
30 † benedictio in multis ſcripturæ locis paſſiue accipia-
tur, Gen. 12. *Eriſque benedictio*. Sic enim hebræus con-
textus habet, quod noſter dicit. *Eriſque benedictus*. ſic
Eſa. 19. *Iſrael in medio terrę benedictio, cui benedixit Do-
minus*. & 65. *Quomodo ſi inueniatur granum in botro,*
31 *& dicetur, ne diſſipes illud, quia benedictio eſt*. † Item be-
nedicere pro magnificare & efferre, poſitũ reperimus,
Gen. 2. *Benedixit diei ſeptimo*; ideſt, magnificauit, cele-
brauit hunc ſeptimum diem, & ſingulari laude extu-

32 lit. † Benedicere etiam ſignificat mandare, quod ſole-
mus abeuntibus, & eis, quos amandamus, aut extre-
mum vale dicere, optare, aut precari bona, ac proſpe-
ra abeuntibus, Gen. 28. *Vocauit itaque Iſaac Iacob, &*
33 *benedixit eum.* † Inſuper benedicendi verbum Græci
pro lætandi, atque gratulandi nonnumquã accipiunt,
Iudic. 9. *Si ergo recte, & abſque vitio egiſtis cum Je-*
*robaal & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille*
*lætetur in vobis.* Hic vbi nos habemus lætamini, He-
bræi habent, ברכו Græci vero habent εὐλογήσατε, quæ
34 benedictionem notant. Præterea benedicere † ſigni-
ficat laudare, gratulari, vel collaudare, Gen. 14. Mel-
chiſedech collaudauit Abraham (ſolebant enim non
modo Romani, ſed & reliqui populi loco gratiarum
actionis eum in publica concione laudare, qui ſe pro
publica ſalute obieciſſet diſcrimini) & dixit: *Benedictus*
*Abraham Deo excelſo.* Item Gen. 47. Introduxit Iacob
patrem ſuum, & ſtatuit eũ coram Pharaone, & Iacob
benedixit Pharaonem, ideſt, collaudauit Regem, &
gratias pro tot beneficijs egit, Gen. 27. *Benedicens illi*
35 *dixit: Tu es filius meus Eſau.* ſic 1. Corin. 10. *Calix* † *be-*
*nedictionis,* præter id, quod veram & realem commu-
nicationem ſanguinis Chriſti, & corporis participa-
tionem cõtinet. Illud etiam ſignificare poteſt, hoc eſt,
liberalitatis, & munificentiæ, quo benedicimus, & lau
damus Dei beneficentiam: quo gratulamur de morte
Chriſti ſaluberrima: quo & gratias Deo patri per ip-
ſum agimus, vt ſit calix benedictionis: idem quod gra
tiarum



tiarum actionis Græci habent εὐλογεῖν, Hebræi ברך,
36 ideſt, Barah. † Item benedicere quoque idem eſt ali-
quando, quod amice compellare, & magnifica polli-
ceri, Gen. 48. *Deus benedixit mihi,* ideſt, magnifica re-
cepi, & præſtitit quoque, *Benedictus Deus,* familiaris,
& communis tropus ſcripturæ eſt, idem eſt, quod la-
37 us, & gratiarum actio ſit Domino. Nam ſic † benedi-
ctus eſt Deus, ſic ſanctus, quia benedicit, & ſanctifi-
cat. ſic B Paul. exorditur Epiſt. ad Epheſ. *Benedictus*
*Deus,* ideſt, ſit laus Deo, gratias ago Deo meo, & pſal.
33. *Benedicam Dominum in omni tempore,* ideſt, lauda-
bo benignitatem Dei, & dulcedinem miſericordiæ
eius, & gratias agam in omni tempore conſolationis,
38 & tentationis: † hinc benedictionis nomine omnia fe
licia & bona a Deo nobis conceſſa veniunt, vt pſal. 3.
*Super populum tuum benedictio tua.* Hoc eſt, tu Deus po-
pulum tuum tibi fidelem ſeruare ſoles, boniſque cu-
mulare. Sunt præterea infiniti fere loci litterarum di-
39 uinarum, in quibus fit mentio † de illa benedictione,
qua homo homini benedicit, ſiue paterna, ſiue ſacer-
dotali, aut quacunque id poteſtate fiat, vt in pſal. 117.
*Benediximus vobis de domo Domini.* Gen. 14. *Benedi-*
*ctus Abraham Deo excelſo.* & 27. *Det tibi Deus de ro-*
*re cæli, & de pinguedine terræ abundantiam, qui benedi-*
*xerit tibi, benedictionibus repleatur.* & 28. *Benedicentur*
*in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* & 48. *Benedi-*
*xitque Iacob filijs Joſeph.* Exod. 12. *Oues veſtras, & ar-*
*menta ſumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi.*

 Et

Et 39. *Quæ poſtquam Moſes cuncta vidit completa, benedixit eis*. Leuit. 9. *Aaron eleuans coram Domino, ſicut præceperat Moſes, & extendens manum ad populum, benedixit*. Num. 24. *Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus*. & Deutero. 33. *Hæc eſt benedictio, qua benedixit Moſes homo Dei filijs Iſrael ante mortem ſuam*. Ioſ. 8. *Et primum quidem benedixit populo Iſrael*. & 14. *Benedixitque eis Ioſue, & dimiſit eos*. 1. Reg. 2. *Benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius*. & 2. Reg. 6. *Et benedixit Dominus Obeth, Edon, & omnem domum eius*. & 13. *Cum autem rogaret, & noluiſſet ire, benedixit ei*. & 14. *Sic eſt Dominus meus Rex, vt neque benedictione, neque maledictione moueatur*. & 19. *Oſculatus eſt Rex Berzellai, & benedixit ei*. 3. Reg. 8. *Benedixit omni Eccleſiæ Iſrael voce magna*. 4. Reg. 10. *Cumque abijſſet inde, inuenit Ionadab filium Rechab in occurſum ſibi, & benedixit ei*. 1. Paralip. 16. *Cumque compleſſet Dauid offerens holocauſta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini*. 2. Paralip. 6. *Conuertit Rex faciem ſuam, & benedixit vniuerſæ multitudini Iſrael*. Iudith. 15. *Ioachim autem ſummus Pont. de Hieruſalem venit in Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis, vt videret Iudith, quæ cum exijſſet ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*. & 1. Machab. 2. *Et benedixit eos, & appoſitus eſt ad patres eorum*. Habemus etiam apud Paul. ad Hebr. 7. quod ſacerdos Dei ſummi obuiauit Abrahæ reuerſo a cæde Regum, & benedixit ei. & ad Roman. 12. *Benedicite*

*cite perſequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere*.

40 Vbi ait Adam Sausbot,† quod benedicere ſignificat bene precari, maledicere autem male precari, ſeu bla-
41 ſphemare. De illa † itidem benedictione, qua creaturæ quælibet ſanctificantur, conſecrationis & ſanctificationis nomine adhibito, fit plerunque mentio in ſacris litteris, vt Exod. 28. 29. Leuit. 21. 22. & 27. Nume. 5. & 31. Ioſue 7. Iudith. 17. 1. Reg. 21. 1. Paralip. 18. ad Hebr. 9. 1. ad Timoth. 4. quando dicit:
42 † *Omnis creatura Dei bona eſt, nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*. De qua quidem ſanctificatione agit S. Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium fratrē. S. Gregor. Niſſenus orat. Catechetica de diuinis ſacramentis. S. Baſilius, & alicubi B. Theodoretus ἐπίκλυσιν, ideſt, inuocationem illam appellat. Euangeliſta Marcus, & alij εὐλογίαν, ideſt, benedictionem. Ireneus, nūc vocationem, & verbum Dei, nunc εὐχαρίστιαν, hoc eſt gratiarum actionem, quomodo etiam cæteri Euangeliſtæ & B. Paulus, ac S. Iuſtinus martyr, in apolog. ad Antonin. & Tertullianus contra Marcionem. S. Ambr lib. 4. de ſacramen. & S. Auguſt. epiſt 59. vti nos hodie conſecrationē dicunt, quæ transſubſtantiationē ſignificat apud Euāgeliſtas, dum de inſtitutione ſacramēti Euchariſtiæ agūt. Hæc vero ſanctificatio, ſeu benedictio aliquādo ad multiplicationē ptinet, vt in ſeptē & quinq. panibus, qbus tot hominū millia ſunt ſatiati, Matth. 14. Mar. 8. Luc. 9. Io. 6. quod & ſuperius monuimus.

monuimus. In qua quidem ſigni crucis vſum vetuſtũ eſſe probat ipſum ſanctificationis nomen apud Apoſtolum d. cap. 4. ad Timot. quem ibid. S. Chryſoſtom. & cæteri Græci in commentarijs, & S. Auguſtin. lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 26. per ſignum crucis fieri palã aſtruunt, ſicut & in ſacramento altaris ſignũ crucis adhiberi teſtantur diſertis verbis S. Io. Chryſoſto. homil. 55. in Matth. & homil. quod Chriſtus ſit Deus, & S. Auguſt. ſerm. 181. qui & tract. 118. in Ioann. *Niſi*, inquit, *ſignum hoc crucis adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ, qua regenerantur; ſiue oleo, quo chriſmate vnguntur; ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Illud autem videtur conſideratione digniſſimum, quod in ſacris eloquijs nonnunquam reperitur benedicere, ſeu benedictio per
43 † antiphraſim, pro eo quod eſt maledicere, ſeu maledictio, vt Iob cap. 1. *Niſi in faciem benedixerit tibi*, id eſt, blaſphemauerit tibi, & palam, impudenterque ingratus fuerit, vel eſt (vt ſolẽt poetæ) pulchra ἀπωσιώπησις, nam, vt inquit Steucus, tacet ibi dæmon, innuens: Diſpeream, ſcilicet, ſi non te execrabitur, & in faciem mittet conuicia, quod & Chaldæus ſentit transferens ירגזנך, ideſt, irghezinak, ideſt, *Te ad iram prouocabit*, quamuis hebræus codex habeat אם לא ideſt, im, lo, ideſt, *Si non benedicet te*, quia non benedicet, vt ſolet, nec erit adeo tibi deuinctus, vt exponit Raban. præterea in lib. etiam Reg. 3. cap. 21. legitur, Naboth fuiſſe lapidatum, quia benedixit Regi, ideſt, maledixit, &



xit; & hæc appellatur benedictio diaboli, qui mos maledicendi apud veteres fuit: tam enim inuiſæ illis erãt blaſpemię, vt eas ſuo vocabulo nominare adhorrerent, idque per contrarium nonnunquam exprimerent. Sic Iob 1. *Ne benedixerint filij mei*, hoc eſt, maledixerint, vel ingrati fuerint, & ad iracundiam prouocauerint, vt Chaldæus habet. Sic & Germani † morbos,
44 quos maxime adhorrent, honeſtis nominibus appellant, vt leproſos, tactos paralyſi, vel apoplexia irretitos, tactos bono, laborantes eriſypelate, habentes pulchritudinem, & vulgo etiam apud nos dici ſolet, bonus ille vir, hoc eſt, ille vir nequam & malus. Verumenim-
45 uero obſeruatum eſt, † verbo maledicere nunquam Dei nomen fuiſſe adiunctum, bene quidem verbo benedicere appoſitum obſeruat Orig. hom. 19. Diuer-
46 ſorum dicens, in die † iudicij non pronunciari erga iuſtos, *Venite benedicti*, tantum, ſed addi, *patris mei*, ad differentiam impiorum, quibus dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum*: vbi nomen Dei tacetur. Quod ſi quis impius nomen Dei blaſphemare auſus fuiſſet, pro verbo maledico, per antiphraſim benedico, dicebat, vt Iob 2. *Benedic Deo, & morere*, ideſt, *Maledic Deo, et morere*, vt cenſet Nicolaus de Lyra, quãquam Auguſtinus Steucus ordinis Auguſtiniani, vir inſignis, ac linguarum peritiſſimus, potius ironice dictum autumet, vt apud noſtros inquit:

*Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis.*

I nunc, & Deum cole, immo morere. Apud Græcos

cos autem, vt idem Steucus refert, codex habet:
*Dic aliquod verbum Deo, & morere:* ideo notat S. Hie-
47 ronymus, ad Galat. 3. quod vbi † verbum maledico
eſt, nunquam ibi reperitur nomen Dei, vt *Maledicta*
*terra in operibus ſuis*, Et, *maledictus tu inter omnes be-*
*ſtias*, Gen. 3. Et, *maledictus Chanaam puer, famulus ſit fra-*
*tribus ſuis*, Gen. 9. Et alibi. *Maledictus furor eorum quia*
*audax, & ira eorum, quia dura*, Gen. 49. Ita in omnibus
maledictionibus, Leuit. Deuter. & Ioſue numquam
legitur nomē Dei, quod optime obſeruatum eſt a Can-
48 tapetren. lib. 8. cap. 6. Sunt & aliquæ † prophetarum
maledictiones ſimili animaduerſione dignæ, vt Pſal.
68. *Obſcurentur oculi eorum, ne videant: & dorſum eo-*
*rum ſemper incurua*: Et, *Fiat menſa eorum in laqueum,*
*& in retributionem, & in ſcandalum*. & Pſal. 103.
*Deficiant peccatores a terra, & iniqui ita vt non ſint*.
& Pſal. 108. *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.*
Ideo S. Greg. in moralib. lib. 14. cap. 7. docet quod illæ
benedictiones, & maledictiones continebant prophe-
tias rerum futurarum, vt etiam conſiderat Euthym. in
d. Pſal. 103. Cumulum quoq. gratiarum benedictio
ſignificat, vt etiā ſupra tetigimus: ideo Paulus Apoſt.
2. ad Cor. 9. inquit: *Neceſſarium ergo exiſtimaui rogare*
*fratres, vt perueniant ad vos, & præparent repromiſſam*
*hanc benedictionem paratam eſſe ſic, quaſi benedictionem,*
*& non auaritiam*. vbi Anſel. ideſt, quaſi opus chari-
tatis, & non quaſi ſtrictam dationem, de qua doleat,
49 qui dederit. Illud autem non prætermittendū, † quod





nos etiam quodammodo benedicimus Deum, vt de
Symeone legitur, qui benedixit Chriſtum. Hæc autē
noſtra benedictio ſuorum eſt potius beneficiorum
confeſſio: eius vero propria benedictio eſt, atq. donū
in nos collatum, vt Ambroſ. Catharinus declarat in
Epiſt. ad Hebr. 7. nec tantum hæc omnia, quæ iam
prædiximus, benedictio ipſa ſignificat; ſed ſi hebræam
50 ophraſim perpendimus, donum demonſtrat; † & ideo
accipere benedictionem, eſt donum recipere. Vnde
in Samuel. 1. cap. 25. quando Abigail dedit donum
Dauid domino ſuo, dixit: *Accipe benedictionem*
*hanc, quam attulit ancilla tua*. Fertilitatem quoque be-
nedictio indicat, atq. affluentiam, vt Agg. 2. *Ex iſta*
*die benedicam*, vbi Arias Montanus id notat, illudq.
Eſa. 65. *Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & di-*
*catur; ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt*. & Zacch.
8. de domo Iudæ & Iſrael ait: *Sicut eratis male-*
*dictio in gentibus, ſic ſaluabo vos, & eritis benedictio*,
ideſt, copioſa bonorum largitio, in quem ſenſum ac-
cipiendum quoque eſt quod dicitur in pſal. 20. *Præ-*
*ueniſti eum in benedictionibus dulcedinis*, ſecundum
Ioan. Soarez Epiſcopum Conimbricen. in Marc. 9. in
tract. 5. in fin. Et de varia ſignificatione verbi, bene-
dicere, ac nominis, benedictio, ſatis: quorum explica-
tionem proſecutus eſt etiam Laurentius Villauincen-
tius in phraſibus diuinæ ſcripturæ, verbo benedi-
cere.

Propius igitur ad propoſiti argumenti explicatio-

51 nem accedentes; † benedictionem ipſam pro illis orationibus, precibusque accipiemus, quæ certa verborum forma ab Eccleſia ſtatutæ ſunt, & ab eo, ad quē pertinet, miniſtro rite fieri debent. Quæ quidem benedictio dupliciter conſideratur, ſecūdum S. Tho. in 4. ſenten. diſtin. 19. quæſt. 1. art. 2. quem vidit
52 ſum. Tabien. in verbo, benedictio. † Aut enim fit in virtute ſanctitatis ab ijs, in quibus per gratiam Chriſtus inhabitat, & hoc ſolet expeti a ſanctis hominibus tantum, quibus a Deo virtus ſanctificandi tribuitur, vt exempla refert Theodoret. in Philotheo, cap. 8. & 26. neque huc ſpectat: aut in virtute ordinis ſacri, nec miniſtri ſanctitatem requirit; procedit enim, effectumque obtinet ex meritis Chriſti: & hæc illa eſt tandem, quæ ad propoſitum noſtrum, quatenus ea applicetur ad aquam, ſola facit. Tunc vero id fiet, cum ſacerdos debitis cæremoniis Deum exorauerit, vt illi aquæ omnes gratias & benedictiones elargiatur, quæ ſancta Eccleſia ſtatuit, vt petantur, & ita ſanctificata emerget. Quam & ideo ſanctam (cum ſecundum S. Paulum loco ſuperius citato ea per verbum Dei, & orationem ſanctificetur) appellamus.

AR-



# ARGVMENTVM.

Quamplurium rerum benedictiones, quæ apud Eccleſiam ſunt in vſu, vnde originem traxerint, quæve illæ ſint. Quis item benedicendæ aquæ autor, ac inſtitutor fuerit.

## RERVM SVMMÆ.

1 *Plura ex Iudæorum ritu ad Chriſtianam pietatem accommodata deſumpſit Eccleſia Spiritu ſancto inſtructa.*

2 *Quatuor temporum ieiunia a veteri lege ſumpta ſunt, Iudæorum tamen nunc otioſa ſunt; noſtra fructuoſa.*

3 *Muſica inſtrumenta in Eccleſia recepta ſunt ex Iudæorum ritu.*

4 *Muſicorum inſtrumentorū vſum, quo ſenſu non videantur probare S. Iuſtinus, & B. Theodoretus.*

5 *Muſica organa a Græcorum Eccleſia in Galliam & Germaniam miſſa ſunt.*

6 *Pſalmus eſt melodica benedictio, & ſpiritualis ode.*

7 *Pentecoſtes diem Iudæi typice celebrant, nos vero myſtice.*

T 2 *Apoſtoli*

8 *Apoſtoli ex veteris legis inſtitutis multa ad Chriſti Eccеſiam traduxerunt, Videlicet,*
*Dedicationes.*
*Templa.*
*Choros.*
*Vota.*
*Aquam luſtralem.*
*Benedictiones.*
*Sacerdotum veſtes.*
*Genuflexiones.*
*Ordines Eccleſiaſticos.*
*Decimas.*
*Primitias.*
*Proceſsiones.*
*Viſitationes ſacrarum ædium, & locorum.*
*Manuum expanſiones.*
*Feſta Pentecoſtes, & Paſchatis.*
*Cantus.*
*Imagines.*
*Organa.*
*Jeiunia.*

9 *Ex Ethnicorum etiam ritibus aliqua deſumpſit Eccleſia ad veram pietatem accommodata.*

10 *Ethnici luſtrabant defunctorum animas.*

*Excom-*



11 *Excommunicandi vſus erat apud priſcos Gentiles Gallos, licet non hoc nomine.*

12 *Feſtum omnium Sanctorum ab Eccleſia inſtitutum, deleto feſto omnium Deorum, quod Gentiles in Templo Pantheon. celebrabant.*

13 *Cerei benedictio in myſterium Dominicæ reſurrectionis antiquiſsima eſt in Eccleſia.*

14 *Benedictio nouarum frugum ex Apoſtolorum tempore.*

15 *Primitiarum benedictio cur fieret.*

16 *Benedictio lactis & mellis.*

17 *Benedictio panis & aquæ, ac aliorum ciborũ.*

18 *Oblationis panis & farinæ loco ſtatutum eſt, vt populus denarios offerat.*

19 *Benedictio nuptiarum antiquiſsima.*

20 *Benedictio olei.*

21 *Benedictio vnguenti, quæ.*

22 *Vnguenti, oleique benedictio an eadem ſit.*

23 *Benedictorum cingulorum vis.*

24 *Cuius generis cingulũ fuerit illud, quo B. Melana vſa eſt.*
*De Cingulo eremitarum S. Auguſtini.*

25 *Cingulorum benedictorum vſus in Sodalitate B. Monicæ.*

26 *Spiritus Vicentinus Generalis ſancti Auguſtini*

*ſtini laudatus.*

27 *Archiconfraternitas Cordigerorum S. Franciſci a Sixto Quinto inſtituta.*

28 *Benedictiones plurium rerum vbi explicetur.*

29 *Aqua benedicta ſumma cum ratione ab Eccleſia propoſita fuit.*

30 *Aqua apud Gentiles expiandis hominibus in vſu erat.*

31 *Aqua luſtrationis apud Hebræos.*
*Zelotypiæ.*

32 *Aqua luſtralis Chriſtianorum maiorem vim, & efficaciam habet.*

33 *Aqua Dei miſericordiam, & clementiam ſignificat.*

34 *Aquæ ſanctificandæ vſus ab Apoſtolorum temporibus dimanauit.*

35 *Aquæ ſanctificandæ SS. Patrum teſtimonia, quæ licet ſacramentum reſpiciant, tamen ſanctificationis ritum, etiam citra ſacramenti vſum indicant.*

36 *Aquam ſanctificatam ante chriſmatis infuſionem, pro domibus aſpergendis ſumebant, vt hodie ſumunt, fideles.*

37 *Liber capitularium tempore Caroli Magni.*

38 *Aquæ benedictæ vſum ab Apoſtolorum vſque temporibus indicat S. Alexandri primi Pontificis epiſtola.*



39 *Alexander primus, quintus fuit Pontifex a S. Petro. Et quo tempore vixerit.*

40 *Aquæ benedicendæ Apoſtolicam eſſe conſtitutionem, eamq. à B. Clemente Rom. relatam.*

41 *Conſtitutionum S. Clementis non eadem eſt ſupputatio apud Bouium, quæ eſt apud Turrianum.*

42 *Chaldæorum autorum ſententia de benedictione aquæ, quod ſit Apoſtolica traditio.*
*Timotheus Nardinus Patriarcha Antiochenus laudatus.*

43 *Quinam ij ſint, qui ad Alexandri primi tempora tantum aquæ benedictæ inſtitutionem referant.*

44 *Alia teſtimonia de aquæ benedictæ vſu.*

45 *Liber inſcriptus, Ordo Romanus antiquiſs.*

46 *Concilium Nannetenſe quando celebratum, quidve de aqua benedicta ſtatuat.*
*De alio item Nannetenſi Concilio ſub Honorio ſecundo.*

47 *Concilium Moguntinum quartum.*

48 *Armenorum vſus habet aquam benedictam.*
*Armeni retinent Decretum Alexandri Primi*

*mi de aqua benedicta inter ſacra Biblia.*

*Jo. Franciſcus Lombardus laudatus.*

49 *Aqua benedicta inſtitutor fuit S. Matthæus Apoſtolus & Euangeliſta.*

50 *Conſtitutionis Apoſtolicæ verba ex S. Clemente Romano de aqua benedicta.*

51 *S. Clementis conſtitutiones apoſtolicæ SS. Patrum auctoritatibus probatæ.*

52 *Virginum conſecrationes, ac in ijs precãdi formulam S. Matthæus inſtituit.*

53 *Abdiæ Babylonici libri quales.*

54 *Cur ad S. Matthæum aquæ huius inſtitutum referatur.*

55 *Multorum nomina, quæ ſacris litteris non expreſſa, poſtea comperta ſunt.*

56 *Puer, quem ſtatuit Ieſus in medio diſcipulorum, dicitur fuiſſe S. Martialis.*

57 *Jacobus Iuſtus lineis vtebatur, putaturque fuiſſe is, qui relicta ſyndone fugit tempore paſsionis Dominicæ, licet alij exiſtiment fuiſſe S. Ioannem.*

58 *Vxor Pilati Procles appellabatur.*

59 *Filia Pharaonis, quæ adoptauit Moſen, Thermutis appellabatur.*

60 *Senes, qui Suſannã falſo accuſarunt Achab, & Se-*



*& Sedechias nuncupati ſunt, ac igne fricti a rege Babylonis ob eorum ſcelera.*

## CAPVT ~~TERTIVM~~.

EXigit a nobis propoſitæ rei tractatio, vt explicemus iam quo primum tempore benedicendæ aquæ vſus in Eccleſia cœperit, quisve illius autor, ac inſtitutor fuerit. Id quod mox abſoluemus, ſi prius quædam, quæ ad diuerſarum rerũ benedictionem pertinent, generatim expoſuerimus. Principio igitur illud eſt adnotandum, quod etſi multa ex veteris legis inſtituto, adueniente gratiæ & Euangelij tẽpore ſumma cum ratione abrogata, & penitus aboleta

1 ſunt: † plura tamẽ ex illius cæremonijs pie & ad Chriſtianorum vſum accommodata deſumpſit Eccleſia, non ſine Spiritus ſancti magiſterio, quod eleganter docuit S. ille Leo cognomento vere Magnus in ſerm. 4. de ieiunio ſeptimi menſis. *Cum ergo vos*, inquit, *dilectiſsimi, ad quędam, quę etiam in veteri teſtamento inſtituta ſunt, cohortamur; non iudaicæ vos obſeruantiæ iugo ſubdimus, nec conſuetudinem vobis carnalis populi indicimus. Excellit ſuper illorum ieiunia continentia*

2 *tinentia Chriſtiana: † & ſi quid nobis atque illis commune eſt in temporibus, non concordat in moribus. Habeant illi nudipedalia ſua, & in triſtitia vultuum oſtendant otioſa ieiunia, nos in nullo ad habitus noſtri*

*honeſtatem diſſimiles, nec a iuſtis, & neceſſarijs operibus*
*abſtinentes, edendi licētiam ſimplici parcitate cohibemus,*
*vt in vſu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur.*
Quod explicuit etiam poſtea Pet.Sot.de inſtitu. ſacer-
3 do.lect.14.de cæremoniis Miſſæ. † A Iudæorum etiā
ritu retinuit Eccleſia muſicalium inſtrumentorum in
diuinis laudibus canendis vſum, qui ſane apud He-
bræum populum erat quam frequentiſſimus, etiam
apud Sanctos & Prophetas: quod paſsim licet ex pſal-
4 morum lectione intelligere. † Quamquam vero S.Iu-
ſtinus martyr q.107. ad Orthodox. vſum huiuſmodi
reprehendere videatur, quaſi congruat pueris tantum.
Et B.Theodoretus lib. de ſacrificijs cenſeat illum ab-
rogatum inſtar ſacrificiorum veteris legis. Hæc tamen
dicta ſunt ſi addantur ſaltationes, & crepitacula, vt ex-
preſſe idem S.Iuſtinus ait; alioqui enim de figuralium
genere non ſunt, ſed ad ſimplicem pietatis ritum ſpe-
ctant. Et Græcorum Eccleſia, cuius ipſi alumni fuere,
5 eiuſmodi inſtrumenta, ne dum retinuit ſemper, † ſed
muſica organa Gallis & Germanis antea incognita
primum illa Pepino miſit ſub Copronymo Imperato-
re, Anno Domini 757. vt teſtantur Amoinus lib.4.hi-
ſtor.cap.64. & deinde Marianus Scotus. Sed & Cle-
mens Alexandr.lib.2.Pędagog.cap.4. *Si ad citharam,*
inquit, *canere noris, nulla reprehenſio eſt, imitare hebræum*
*illum Regem, qui Deo gratus, Exultate,* ait, *iuſti in Domi-*
6 *no, & rectos decet collaudatio,* † Eſt enim Pſalmus
ἐμμελὴς εὐλογία καὶ πνευματικὴ ᾠδὴ, ideſt, melodica benedi-
ctio,



ctio, & ſpiritualis ode. Iudaici vero ritus figurales tan-
tum ſublati ſunt, vt teſtantur iuris orientalis collecto-
res, fol.214. Græci exemplaris, Latini vero fol. 245.
& Ambroſ.Catharinus in opuſculorum lib. 2. de cer-
ta glorificatione Sanctorum. Ad hanc rituū retentio-
nem, ſeu imitationem ſpectat quod S.Gregor. Theo-
7 logus docet.orat.44. † *Pentecoſtes,* inquit, *diem Hebræo-*
*rum more colimus, quemadmodum & alios nonnullos eo-*
*rum ritus obſeruamus, qui apud illos quidem typice cele-*
*brantur, apud nos vero myſtice,* ideſt, qui, vt Nicetas ex-
ponit, apud illos per figurā & adumbrationem, apud
nos myſtice, & vere peraguntur: quod & adnotauit
etiam Genebrard.in Pſal.150.num.4. qui & hæc ad-
dit notatu digna. † *Quo ex fonte,* ait, *videmus Apoſtolos*
*retinuiſſe dedicationes, templa, choros, vota, aquam luſtra-*
*lem, benedictiones, ſacerdotum veſtes, genuflexiones, ordi-*
*nes eccleſiaſticos, decimas, primitias, proceſsiones, viſita-*
*tiones ſacrarum ædium & locorum, manuum expanſiones,*
*feſta Pentecoſtes, Paſchatis, ſublato victimarum vſu, quæ*
*per Chriſti cruorem abrogatæ ſunt: cantus, imagines, orga-*
9 *na, ieiunia.* † Quinimo, & ex Ethnicorum commentis
multa ad veram pietatem, ac Dei cultum deſumpſit
10 Eccleſia. † Expiare curabant illi, quod nos pie præſta-
mus, defunctorum animas, vt teſtatur Ouid.2. Faſto.
& Ioan.Baptiſta Carmelita lib.2. de ſacr. diebus; vbi
de S.Ignatio agens, ſic inquit:

*Tempore luſtrabant animas antiquitus illo;*
*Atque adeo menſi fecerunt Februa nomen*

*Februa, nam priſci dixere piacula patres.*

11 † Excommunicandi vſus dempto tantum hoc nomine apud eos erat, legibusque Druidum præſtitutus: quem adeo accurate, omitto alios, Cæſar in ſuis Cõmentarijs de bello Gallico, lib. 6. circa medium deſcripſit, vt videas ibi oculis ipſis eum, quem hodie ſeruat Eccleſia, excommunicationis morem. *Si quis,* inquit is, cum de Druidũ moribus ac legibus ageret, *aut priuatus, aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificijs interdicunt; hæc pœna apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita interdictum eſt, ij in numero impiorum, ac ſceleratorum habentur. Ab ijs omnes decedunt, auditum eorum, ſermoneq. defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque ijs petentibus ius redditur, nec honos vllus communicatur;* quod explicuit etiam Didacus Couarru. lib. 1. varia. reſolu. cap. 18. num. 5. & in cap. alma mater, in

12 princ. num. 10. ad fin. de ſenten. excom. in 6. † Agebant & illi diem omnium Deorũ mẽſe anni ſecundo, cuius rei autor recenſetur Agrippa, qui in eum vſum templum Pantheon conſtruxit, quod Deiparæ Virgini Mariæ, ac ſanctis omnibus, inſtituto in id ſolemni anniuerſario die, rite ac pie poſtea fuit dedicatum, & commutatum.

Sic & benedictionum vſum retinuit ex veteris legis exemplo Eccleſia, apud quam ſcimus antiquiſſimo

13 ritu † cereum benedici in ſacræ Reſurrectionis Dominicæ myſterium: id quod teſtantur Prudentius, qui carmen edidit de cerei Paſchalis benedictione, S. Ambroſius

broſius



broſius in ſermone de myſterio Paſchæ, cap. 5. Concilium Toletanum 4. cap. 8. cui interfuit S. Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus, Amalarius Fortunatus epiſcopus Treuiren. de diui. offi. lib. 1. cap. 18. Vuolfang. Lazius de ritib. veter. eccleſ. fol. 43. Qua de re quędam etiam ſcripſit Petrus Caniſius vir doctiſs. De beata Virgine lib. 4. cap. 12.

14 Fuit etiam Eccleſiæ coæua benedictio † nouarum frugum, vt licet colligere ex canone 4. & 5. ſanctorum Apoſtolorum, qui ſic habent: *Offerri non liceat aliquid ad altare præter nouas ſpicas & vuas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt, incenſum, tempore quo ſancta celebratur oblatio: Reliqua omnia ad domum, primitiæ epiſcopo, & presbyteris dirigantur, non offerantur in altari, certum eſt, quod epiſcopus, & presbyteri diuidant & diaconis & reliquis clericis:* quod etiam refert S. Eutychianus Papa ad Ioan. epiſcopum Siuillæ, & alios Pro-

15 uinciæ Bœticæ: † cuius rei eam aſſignat rationem S. Hieronymus in Ezech. cap. 24. dicens: *Primitiæ ciborum noſtrorum ſacerdotibus offeruntur, vt nihil guſtemus nouarum frugum, niſi quod ſacerdos ante guſtauerit: hoc autem facimus, vt reponat ſacerdos benedictionem, & oblationem noſtram in domo ſua, ſiue vt ad prædicationem ſuam Dominus benedicat domibus noſtris. Grandis dignitas ſacerdotum, ſed grandis ruina, ſi peccauerint.*

16 † Oblationis vero & ſanctificationis, lactis ſcilicet & mellis meminit concil. Africanum, cap. 4.

17 † Benedicebatur item panis & aqua, ac etiam men

ſa.

ſa,alijque cibi, vt de primo teſtatur autor operis imperfecti in Matth.homil.13.& S.Paulinus Nolæ epiſcopus epiſt.13. De alijs vero B. Clem. Rom. lib.5. conſtit. Apoſtolicarum. Tertullianus de diſciplina Chriſtianorum cap.39.S.Hieronym.in Matth.S.Auguſt.in definit.veræ fidei cap 34.& Franc. Turrian.
18 pro epiſt Rom.Pont.lib.3.cap.5.Licet † poſtea ſtatutum fuerit,vt populus pro oblatione panis, & farinæ denarios offerret, quibus traditum dominium recognoſcerent, vt teſtatur Honorius gemmę animæ lib.1.cap.66.quod adnotauit etiam Iacob. Pamelius vir magna eruditione, & eccleſiaſticarum rerum cognitione inſignis ad Cyprianum de opere & eleemoſynis.

19 Sic & nuptiarum † benedictio ab Apoſtolis tradita eſt,de qua loquitur S. Euariſtus in epiſtola,quę primo Concil.tomo continetur, quæ iam a mundi creatione originem duxit. Gen.1. *Benedixitque illis, & ait, Creſcite & multiplicamini*. & Tob.7. *Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis*. Cuius quidem vetuſtiſsimę benedictionis nuptialis vſus ſac. Tridentini Concilij decreto confirmatus eſt, Seſs.24.cap.1.de reform.matr.Et plura de illa ſcripſit Franc.Turrian.pro epiſt.Pont.lib.5.cap.3.

20 Erat item,&olei † benedictio antiquiſſima, & ipſa ab Apoſtolorum temporibus,cuius meminit B.Clemens lib.3.recognit.S.Baſilius de Spiritu ſancto,cap.27.& ante illos S.Dionyſius Areopagita de eccleſiaſt. Hierarch.cap 2. quorum verba mox referemus.Origen. homil.7.in Ezech. & Theophilact.in 8. cap.
21 Marci. Benedicendi item † vnguenti in Eccleſia coram vniuerſo populo,illiusque conſecrandi, vtque in ſacris Theophaniis, aquarum conſecratio veſperi fieret, autorem refert Georgius Cedrenius in Con-
22 ſtant.Imperat.an.23.† licet ex præfato Dionyſij loco, Theophilacti,aliorumque etiam ſatis conijcere liceat vnguenti huius & olei, quod vnguentum appellatur eandem eſſe benedictionem, ac propterea videri decipi Cedrenium,ſi ad poſteriora hęc tempora eiuſdē benedicendi inſtitutionem referat,ſi de hoc ſenſit, vt videtur ſenſiſſe.

23 Sed & † cingulorum benedictorum vim etiam licet cognoſcere ex eo, quod B. Melana matrona Romana vnum ex his mulieri in partu laboranti tradiderit,quo illa præcincta ſtatim peperit,vt refert Metaphraſtes in eius vita ad finem,vt in primo tomo Surij 31.Ianuarij,quod ab Alipio epiſcopo Taghaſtenſi, &
24 ſocio S. Auguſtini deuotiſsime accepiſſe,† & eius generis cingulum fuiſſe, quo hodie Eremitæ Auguſtiniani pręcinguntur; teſtatur Hieronym. Rom. de repub.Chriſtia.lib.4 cap.vlt.Non abſimilem rationem
25 habet vſus † benedicendorum cingulorum B. Monicę ampliſsima in id ſodalitate erecta. Quod ſane in-
26 ſtitutum ſumma religione obſeruari curat † Spiritus Vicen-

Vicentinus vigilantiſs. ac doctiſs. totius eremitarum
ordinis S. Auguſtini præfectus Generalis, qui diuino
quodam ſpiritu in retinenda, ac conſeruanda regula-
ri ſui ordinis obſeruantia, diligẽtiſſimam aſſidue ope-
27 ram nauat. † Ad ſimilis inſtituti videtur rationem
pertinere Cordigerorum Archiconfraternitas, quam
nuper S. D. N. Sixtus V. ad augendam populorum
pietatem erga beatiſſimi Franciſci venerationem re-
ligioſiſſime erexit, quam & plurimis indulgentiarum
theſauris cumulauit, quas lucrantur qui cordulã iux-
ta ordinem eiuſdem Sancti geſtauerint.

Sed quarum ſuperius meminimus, aliarumque ſi-
28 milium rerum † benedictiones, quæ in Eccleſia &
antiquiſſimæ a primis illius incunabulis, & frequen-
tiſſimæ, & quamplurimæ ſunt conſulto prætereuntes,
quas licebit videre in libro, qui ordo Romanus inſcri
bitur, & in Liturg. Iacobi Pamelij tom. 2. Dicamus iã
de præcipuo tractationis noſtræ inſtituto, hoc eſt de
29 aqua benedicta. † Hæc igitur quamdecentiſſime, ac
maxima cum ratione ab Eccleſia propoſita fuit. Nam
30 ſi aqua † apud Gentiles expiandis, vt ipſi credebant,
hominibus in vſu erat, vt Tertullianus teſtatur cap. 5.
de baptiſmo, & Lylius Gyrald. hiſtor. deor. ſintagm.
17. & nos ſuperius, cap. 6. ſect. 1. docuimus. Si item il-
la vtebantur Hebræorũ ſacerdotes, Leuitę, ac reliquus
31 populus, † quæ luſtrationis aqua appellabatur, quæ
etiam erat vſu recepta in Leuitis conſecrandis, vt Nu-
mer. cap. 8. ad mundandos etiam immundos, vt ibid.
cap.



cap. 19. ad pollutionem item mulieris dignoſcendã,
quæ & Zelotypiæ aqua dicebatur: magis certe conſen
taneum fuit, vt & illa apud Eccleſiã Chriſtianorũ in-
ſtitueretur, ſanctiorque eſſet, & maiorem vim & ef-
ficaciam haberet in his omnibus, quæ paulo poſt ex-
32 plicabimus, † præſertim vero pro venialibus culpis
delendis, vt his mundati populus & ſacerdos aptiores
redderentur ad diuina ſacrificia & peragenda & au-
dienda. Et ſicut in priori teſtamento ſanguine expia-
bantur, ita & in nouo id pie fieri non quidem ſangui-
33 ne, ſed aqua congruum fuit, † quę Dei clementiam
miſericordiamque ſignificat. Qua quidem ſignifica-
tione ductus Eliezer ſeruus Abrahæ, Gen. 24. petiit a
Deo ſignum in aqua, quo illius ſummam benignita-
tem pietatemque experiretur, vt animaduertit Franc.
Georgius de Patriarchis, ſect. 3. Quo vero primũ tem-
34 pore aquæ ſanctificatio, & vſus inſtituta ſint, † vide-
tur illud eſſe quamueriſſimum, vt ea ad Apoſtolorum
traditiones referantur, primiſque propterea naſcen-
tis Eccleſiæ temporibus cœperint. Qua in re aſtruen-
da citabimus aliquot ſanctorum Patrum teſtimonia,
quæ de aquis ſanctificandis conſcripta ſunt, quarum
35 licet † vſus eſſet vel baptizandis hominibus, vel aſper-
gendis domibus & perſonis, vt mox explicabimus:
illud tamen manifeſtum facient, nimirum benedi-
cendarum, ac ſanctificandarum aquarum ritum, etiã
citra ſacramenti vſum, qui poſtea ſequebatur, ad Ec-
cleſiæ prima incunabula pertinere.

Igitur S. Dionyſius Areopagita Eccleſiaſticæ hierarchiæ cap. 2. ſic habet: *Ipſe*, ſcilicet ſacerdos, *ad matrem filiorum adoptionis venit, & huiuſmodi aquam ſacris inuocationibus ſanctificans, & ritibus ſanctiſſimi vnguenti cruciformibus, effuſionibus perficiens ipſam, & vnguenti ſanctiſſimis immiſſionibus ęquali numero, ſacrorum Deo acceptorum Prophetarum inſpirationis melodima ſimul ſuperenunciaris.*

B. Clemens Roman. lib. 3. recognitionum, ad Iacobum fratrem Domini: *Baptizabitur autem vnuſquiſque veſtrum in aquis perennibus nomine trinę beatitudinis ſuper ſe inuocato, perunctus primo oleo, per orationem ſanctificato, vt ita demum per hæc conſecratus, poſſit percipere de ſanctis.*

S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 12. *Oportet*, inquit, *prius mundari, & ſanctificari aquam a ſacerdote, vt poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur abluere.* & epiſt. 7. ad Magnum lib. 4. *Nec quemquam mouere debet, quod aſpergi, vel perfundi videntur ægri; cum gratiā Dominicam conſequuntur, quando ſcriptura ſancta per Ezechielem prophetam loquatur, & dicat: Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs veſtris.* & paulo poſt. *Vnde apparet aſperſionem quoque aquæ inſtar lauacri ſalutaris obtinere. Et quando hæc in Eccleſia fiunt, vbi ſit & accipientis & dantis fides, &c.* quæ relata ſunt etiam a Gratiano in cap. Nec quemquam, de conſecrat. diſt. 4.

Edictum Conſtantini Magni appoſitum ante primum Concil. Nicenum 1. tomo concil. *Benedictoque*, inquit, *fonte, illic me trina merſione vnda ſalutis purificauit.*



S. Baſilius de Spiritu ſancto, cap. 27. *Benedicimus aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis inſuper ipſum, qui baptizatur, ex quibus ſcriptis? nonne a tacita, & arcana traditione?*

S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſācto, ca. 7. *Habes in Euāgelio, quia Angelus, ſecundum tempus deſcendebat in Natatoria, & mouebatur aqua, &c. Quid in hoc typo Angelus, niſi deſcenſionem ſancti Spiritus nunciabat, quę noſtris futura temporibus aquas ſacerdotalibus inuocata precibus conſecraret?* Et de ſacrament. lib. 1. cap. 5. *Forma baptiſmi & vſus hoc habet, vt ante fons conſecretur, & tunc deſcendat, qui baptizandus eſt. Nam vbi primum ingreditur ſacerdos, exorciſmum facit; ſecundo ſuper creaturam aquæ inuocationem: poſtea & precem defert, vt ſanctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ.*

S. Auguſt. homiliar. lib. 50. homil. 27. *Quia baptiſmus, id eſt ſalutis aqua non eſt ſalutis, niſi nomine Chriſti conſecrata, qui pro nobis ſanguinem fudit, in Cruce ipſius aqua ſignetur.* Et contra Donatiſtas lib. 7. cap. 6. *Si eo modo affectus eſſem, quo eram cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem habere baptiſmum eos, qui vbicunque, & a quibuſcunque illud verbis Euangelicis conſecratum, ſine ſimulatione, & cum aliqua fide acceptaſſent.* Et lib. 3. de baptiſm. cap. 10. *Non eſt*, inquit, *aqua profana, & adultera ſuper quam nomen Dei inuocatur, etſi a profanis,*

*nis, & adulteris inuocetur, quia nec ipſa creatura adultera eſt, nec ipſum nomen adulterum eſt.* Et ſerm. 181. & tract. 118. in Ioan. explicans modũ ſanctificationum aquæ per ſignum Crucis, ait: *Niſi ſignum hoc Crucis adhibeatur, ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ, qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur:* cuius loci & ſuperius meminimus ſect. 2. cap. 1. num. 42.

Victor Vticenſis hiſtor. perſecutionis Vandalicæ lib. 2. narrans miraculum S. Eugenij circa Felicem cæcum: *Quia*, inquit, *ego te ad illum direxi, & illa hora qua benedicit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem.* Et paulo poſt: *Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu pulſans ſingultibus cælum criſpantem benedixit alueum fontis.*

Rabanus Maurus de inſtitu. clericorum, cap. 28. *Poſt hæc igitur conſecratur fons, vt ad ipſum baptiſmum catechumenus accedat, & ſic in nomine ſanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizetur.*

Ex recitatis hactenus auctoritatibus iam licet perſpicue intelligere coæuum Eccleſiæ vſum benedicen-
36 dæ, & ſanctificandæ precibus aquæ, † quam quidem
ante chriſmatis infuſionem accipiebant fideles, pro
domibus aſpergendis, vt hodie apud omnes Eccleſias
37 eſt receptum, vt declaratur ex inſigni loco † capitularium tempore Caroli Magni, Ludouici, & Lotharij Impp. in quo lib. 6. cap. 77. ſic habetur: *In ſabbatho Sancto Paſchæ, vel Pentecoſtes, ſi quis velit aquam conſecratam*



*cratam ad aſperſionem in domo ſua recipere, ante chriſmatis infuſionem recipiat.* Qui locus citatur ab Iuone Carnoten. par. 1. cap. 112. & a Gratiano de conſecrat. diſt. 4. cap. in ſabbatho Sancto. Quod videtur etiam indicari in fragmentis rituum veteris Eccleſiæ, quos collegit Vuolfangus Lazius, qui fol. 43. ſic habet: *Quo facto accipit populus de ipſa aqua in vaſculis ad aſpergendum in domibus ſuis, ſiue agris.*

Sed accedamus propius ad id, quod quærimus, hoc
eſt, aquam cum ſale aſperſam, ac benedictã, qua citra
38 vſum ſacramenti vtimur. † Et hanc ipſam ad Apo-
ſtolorum tempora, & traditionem pertinere, conſtat
ex epiſtola S. Alexandri martyris Rom. Pont. eius no-
39 minis primi, † quem quintum a B. Petro numerat
Concilium Florentinum, & qui vixit ſub Traiano, creatus anno Domini cx. paſſus anno cxvij. licet alij, vt Vuolfangus Freymonius in iuris chronologia, ipſum ſeptimum numerent, alij vero quartum, temporum etiam ſupputationem mirifice turbantes. Is in Epiſtola 1. ad omnes orthodoxos, quæ adſcripta eſt 1. tomo Conciliorum, cap. 5. ſic habet: *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus: nam ſi cinis vitulæ ſanguine aſperſus populum ſanctificabat atque mundabat, multo magis aqua ſale aſperſa diuiniſque precibus ſacrata: & ſi ſale aſperſo per Heliſæum prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis diuinis precibus ſacratus ſal, ſterilitatem*

*litatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli auertit; & a phantaſmatum verſutijs homines defendit.* Quæ verba relata ſunt etiã a Burcardo lib 2. cap. 53. Iuone par. 2 cap. 68. & a Gratiano in cap. Aquam ſale. de conſecra. diſt. 3. Quo loco notandum eſt, verbum illud, *Benedicimus*, quo ſignificatur vſus iam diu in Eccleſia Romana receptus aquam benedicendi, & ſanctificandi.

40 †Quod vero ab Apoſtolis id fuerit inſtitutũ, apertiſsimis, ac diſertiſſimis verbis docet B. Clemens Roman. lib. 8. Apoſtolicarum conſtitutionum, cap. 35.

41 iuxta † ſupputationem Franciſci Turriani, ſeu 39. iuxta ſupputationem Caroli Bouij, quæ paulo poſt referemus. Et ita docuere Ioannes Portheſius de verbis Domini: *Hoc facite in meam, &c.* ſect. 29. Ioan. Tauernerius de Purgatorio, fol. 126. Diegus Payua orthodoxa explicat. lib. 3. Vvillielmus Lindanus Epiſcopus Rurermundenſis vir doctiſs. & piiſsimus in panopl. Euangelica cap. 99. Fran. Turrianus ad dict. cap. 35. Apoſtolic. conſtitu. & lib. 3. contra centuriat. Magdeburgen. cap. 6. & lib. 5. cap. 4. Stanislaus Hoſius Cardinalis Varmienſis vir omni laude digniſsimus in confeſsione catholicę fidei, cap. 89. de cęremoniis, quæ ſumuntur a rebus. Alanus Copus vir doctiſſimus dialog. 1. cap. 3. Hieron. Roman. de repub. Chriſtiana lib. 4. cap. vlt. Felicianus Capitonus Archiepiſ. Auenionenſis in cathol. explicat. par. 3. explicat. 83.

&



& Genebrard. in pſal. 150. num. 4. Lud. Maiora. epiſcopus Stabien. vir doctus, & pius in clyp. militantis Eccleſiæ de vero Dei cultu cap. 7. Ioan. Gropper. in catholica inſtitutione de cærem. eccleſiæ, de extrema vnctio. Ioan. Perellius in theſau. Chriſtianarum inſtitutio. par. 3. cap. 8. de aqua luſtrali, quem librum ad augendam populi pietatem denuo cudi iuſsit Gabriel Paleottus Cardinalis ampliss. & Bononiẽſis Archiepiſcopus, vir vti doctrina ac religione admirabilis, ita in inſtaurandis obſeruandiſque eccleſiæ inſtitutis, moribusque formandis plane indefeſſus ac vigilantiſsimus.

42 † Hanc ipſam ſententiam, vt ſcilicet Apoſtolorum traditio hæc ſit, docet etiam Mar Michael patriarcha Antiochenus, qui floruit anno Domini 1143. in lib. quem de ritu conſecrationum a tẽporibus Apoſtolorum ex pluribus ſanctis Patribus, videlicet, ex Clemente Romano, Proclo patriarcha Conſtantinopolitano, Epiphanio, Anatolio, Gregorio Niſſeno, Ephrẹm, Baſilio, & aliis collegit, & quo Chaldæi vtuntur. Quem antea accurate etiam conſcripſerat Mar Ioannes epiſcopus ciuitatis Dara, in regione Meſopotamiæ anno 1051. Quorum librorum copiam videndi vna cum interpretatione nobis fecit Timothæus Nordinus patriarcha Antiochenus vir doctus, & pius, qui in Vrbe nunc degit.

43 Sed ex relatis Alexandri verbis † rem penitius non conſiderantes ipſum aquæ benedictæ inſtitutorem cẽſuerunt quamplures, videlicet, Martinus Polonus

de

de geſt. Rom. Pont. in Alexādro 1. Sigebertus Romoaldus ſecundus eius nominis Salernitanus Archiepiſcopus in ſuis chronicis, quæ manu ſcripta Longobardis characteribus habemus, ante annos quatuorcentum: Guliel. Durandus Epiſcopus Mimaten. in rationali diuin. officior. lib. 4. cap 5. Alberi. de Roſate in dictionar. verb. Aqua, & hoc ipſo verbo Bertachinus, & ante illos Cardinalis Berengarius olim Epiſcopus Biterenſis in ſuo repertorio, cui nomen Oculus, quod habemus manu ſcriptum, cuius meminit Ioan. And. ad Specu. in rubr. de electio. Ioan. Althenſtaig. in lexico theologico verb. *Aqua*. Ludouicus Bloſius in collyrio hæreticorum lib. 2. cap. 11. & in opere cui Faculæ nomen inſcripſit lib. 8. cap. 8. diſtin. 3. Ioan. Dauantria, in Telo chriſtianæ veritatis, art. 14. Ioan. Faber. in via Regia Polydorus Virgilius de inuentor. rerum lib. 5. cap. 8. in fi. Rhenatus Benedictus in ſua panoplia. Iacob. Pamelius vir alioqui oculatiſs. ad Tertullia. de teſtimon. animę, cap. 2. num. 6. In quam opinionem videntur inclinaſſe Paludanus, & Richard. in 4. diſt. 1. B. Antoni. 3. par. tit. 12. cap. 10. § 2. Summiſtæ item, videlicet, Tabien. Angelus, Silueſter Roſell. & Piſanelli, cęteriq. eius generis; paſsim Ioan. Viguer. in Inſtitu. cathol. cap. 16. §. 8. verſ. 2. num. 217. & alij mox referendi.

44 Aſtruunt etiam † aquæ benedictæ vſum, licet Alexandri inſtitutum appellent, Vualfridius Strabo, de reb. Eccleſiaſticis, cap. 29. *Aquam*, inquit, *ſparſionis, cum*



*cum ſale benedici, & in habitaculis fidelium ſpargi Alexander Papa conſtituit: ſicut enim populus prior legalibus inſtitutis deſeruiens ſanguine luſtrabatur; ita nouus Chriſtianorum populus baptiſmi ſacramento.*

Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus, cap. 46. *Alexāder*, inquit, *Papa, Quintus a beato Petro, conſtituit, vt ſal & aqua benediceretur ad conſpergendum populum, & habitacula eorum, quod & nos in omni Dominica iuxta canones ſequimur.*

45 †Ordo item Romanus, qui liber duobus præcitatis autoribus longe eſt antiquior, pluribus in locis aquæ benedictæ & ſalis exorciſmum refert.

46 †Concilium Nannetenſe, quod creditur celebratū ſub annum Domini 900. ſedente Benedicto IIII. Licet certo aſſeuerari non poſſit, vt docet etiam Angelus Rocca ordinis ſancti Auguſtini vir doctus & accuratus in ſua bibliotheca Theologica; cuius incertitudinis cauſa ea eſſe potuit, quia eo tempore vehementer a Barbaris Imperatoribus Eccleſia vexabatur, vt idcirco infelix Benedicti ſæculum ſit appellatum, vt ait Genebrard. in chronographia. Hoc ipſum inquam Concilium de aqua benedicta ſic habet, cap. 4. *Cum ſacerdos audierit aliquem infirmari in ſua plebe, quamcitius ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum aquam benedictam ſuper eum, & per omne cubiculum aſpergat, cum Antiphona: Aſperges me domine. Et verſu: Exurgat Deus, &c.* vt videre eſt tom. 3. Concili. Coloniæ excuſorum anno 1567. fol. 569. Cuius meminit Pet. Caniſius

niſius vir doctiſs. in 4. parte catechiſmi de quatuor nouiſsimis, & Paulus Gryſaldus in deciſionibus fidei catholicæ ver. aqua, quarto. Libet autem aliud eiuſdẽ Concilij decretum referre, quod etſi inſertum non ſit loco quẽ citauimus, reperitur tamen in libro ſacerdotali, qui peruetuſtus eſt, & ex antiquis ritibus S. R. E. Conciliiſque conflatus, vt ex eius procemio licet videre. vbi par. 2. cap. 1. ſic habetur ex Cõcilio Nannetẽſi: *Omnibus diebus Dominicis vnuſquiſque presbyter in ſua Eccleſia ante miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat, in vaſe nitido, & tanto myſterio conuenienti, de qua populus intrans Eccleſiam aſpergatur. Et atrium eiuſdem Eccleſiæ cum crucibus circumeundo ſimiliter aſpergat; & pro animabus ibidem quieſcentibus oret. Et qui voluerit, in vaſculis ſuis accipiat ex ipſa aqua, & per manſiones, & agros, & vineas ſuper pecora quoque ſua, atque ſuper pabula eorum, nec non ſuper cibos & potum ſuum conſpergat.* Hæc ex prædicto libro ſacerdotali.

Veriſimile eſt autem, vt ſicut prędicti Concilij tempus ignoratur, ita ob Eccleſiæ diuexationem, plura illius Decreta interciderint, vt mirum propterea non ſit, ſi non omnia in cõciliorum tomos ſint relata. Vel alterius forſan eſt Nannetẽſis ſynodi decretum. Nam comperi ex epiſtolis ſancti Hildeberti Cenomanẽſis Epiſcopi, poſtea Archiepiſcopi Turonenſis, ſynodum quandam Nannetenſem ſub Honorio ſecundo, qui creatus eſt anno 1124. celebratam, ab eodem Honorio confirmatam: cuius decreta diuerſa ſunt ab his, quæ



quæ alio Nannetenſi Concilio vulgato circunferuntur, vt videre licet ex 65. & 67. ejuſdem ſancti Hildeberti epiſt. quæ inſertæ ſunt in appendice bibliothecæ ſanct. Patrum.

47 † Concilium Moguntinum iiij. celebratum anno 1549. c. 39. de hac aqua ſic decernit: *Veterem morem in Eccleſia ſequimur, dum ſalem, aquam, & ceteras quaſdam res in vſum fidelium per orationem in verbo Dei pręparamus. Quem morem nemo reprehendet, qui ſecum reputauerit, Eccleſiam inter cetera ſalutis et vtilitatis ſuę; tum augendę, tum conſeruandę pręſidia, etiam exorcizandi poteſtatem, contra inſidias Dęmonum, aliasque noxias peſtes auertẽdas accepiſſe. Quam poteſtatem, dum per res externas ad vtilitatem fidelium exercet. Eccleſia nimirum in eo Sanctorum imitatur exempla, qui ad eliciendos quoſdam effectus, diuino iuſſu res corporales adhibuiſſe leguntur. Quem morem in Eccleſijs noſtris pręcipimus conſeruandum; dummodo populum paſtores ſedulo doceant effectus, qui inde petuntur, non ipſarum rerum efficaciæ, ſed diuinę virtutis operationi, per fortiſsimi nominis diuini inuocationem tribuendos eſſe: Et cauerint, ne rebus talibus ad impias ſuperſtitiones abuti quiſquam pręſumat.*

Retulimus hactenus præcipua quædam loca, ex quibus liquido conſtare poſſet, ab Apoſtolis ad nos vſque dimanaſſe ritum hunc ſanctificandæ, ac bene-
48 dicendæ aquæ. Quod ita eſſe confirmat etiam † Armenorum vſus, qui in ſacra Biblia decretum illud B. Alexandri vti Apoſtolicum inſtitutum inſeruerunt, vt

vt nobis retulit Io. Franciſcus Lombardus Neapolitanus vir in ſacris præcipue literis, ac multarum linguarum cognitione apprime eruditus, qui annis exactis deſignatus fuit interpres oratorum illius gentis apud Pium Quartum Pont. Maxi.

Reliquũ eſt nũc, vt ſpeciatim explicemus, cui nam
49 præcipue ex Apoſtolis hic ritus tribuatur. † Et beatiſ-
ſimi Apoſtoli & Euangeliſtæ Matthæi hãc fuiſſe con-
ſtitutionem, refert diſertis verbis S. Clemens Roma-
nus d. lib. 8. Apoſtolicarum conſtitutionum, cap. 35.
50 vbi ſic habet † iuxta tranſlationem, & computationẽ
Caroli Bouij.

De aqua & oleo ego Matthæus diſpono.

*Aquam & oleum benedicat Epiſcopus; ſi abſit, benedicat presbyter aſſiſtẽte diacono. Quando aderit Epiſcopus, diaconus aſſiſtat & presbyter; dicat autem hoc modo:*

Gratiarum actio de Aqua & Oleo.

*Domine ſabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & dator olei, miſericors & benigne, qui dediſti aquam ad potum & munditiem, oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitię; ipſe quoque nunc per Chriſtum ſanctifica hanc aquam, & hoc oleum in nomine eorum, qui attulerunt, & da virtutem ſanitatis effectricem, ęgritudinũ expultricem, dęmonum fugatricem, omnibus inſidijs aduerſariam per Chriſtum, qui eſt ſpes noſtra, quo cum tibi gloria, honor, & cultus, cum ſancto ſpiritu in ſæcula. Amen.*

Iuxta



Iuxta tranſlationem vero Franciſci Turriani, ac illius computationem, cap. 29. ſic habet: *De aqua, & oleo ego Matthæus conſtituo; vt benedicat Epiſcopus aquam, aut oleum: ſin vero non aderit, benedicat presbyter præſente diacono. Cum autem Epiſcopus aderit, aſſiſtant presbyter & diaconus. Dicat autem in hunc modum: Domine ſabaoth, Deus virtutum, creator aquarum & largitor olei, miſerator & amator hominum, qui dediſti aquam ad bibendum & abluendum, & oleum ad exhilarandum faciẽ in exultationem lætitiæ; ipſe etiam nunc ſanctifica per Chriſtum hanc aquam & oleum ex nomine eius, qui obtulit, vel quæ obtulit, & tribue ei vim ſanandi & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi inſidias, per Chriſtum ſpem noſtram, cum quo tibi gloria, honor & cultus, ac ſancto ſpiritui in ſæcula. Amen.*

51 † B. vero Clementis opera ſummæ ſemper auctoritatis fuiſſe teſtatur Ioan. Portheſius dicto tractatu de verbis Domini, *hoc facite, &c.* ſect. 29. & Lambertus Gruterus in præfat. ad eiuſdem B. Clementis opera. Conſtitutiones vero Apoſtolicas pluribus SS. Patrum auctoritatibus probant Carolus Bouius epiſcopus Oſtunenſis conciuis noſter, & Franc. Turrianus florentiſſimę ſocietatis Ieſu regularis, viri ambo doctiſſimi & diſertiſſimi.

Ad hunc ritum a B. Matthæo conſtitutum videtur etiam reſpexiſſe Ioan. Baptiſta Mantuanus Carmelita, de ſacris diebus lib. 5. dum ait:

*Vertit in excelſę molis delubra tonanti*

*Sacra*

*Sacra ſacerdotes hymnos, ritumque perennem*
*Inſtituens, Regem ac populum luſtralibus vndis*
*Lauit, & Æthiopas Chriſtum diffudit in omnes.*

52 Sic † & modum precandi in conſecrationibus virginum, ipſaſque conſecrationes B. Matthæus inſtituit, vt teſtatur Abdias Babylonicus apoſtolicę hiſtor. lib. 7. his verbis: *Tum Apoſtolus confidentiam habens in Dominum ſuum, nihil penitus Hirtacum metuebat, & imponens velamen ſuper caput eius, & ſupra capita omnium virginum, quę cum ea erant, hanc benedictionem dixit: Deus plaſmator corporum, afflator animarum, qui nunquã ſpernis ętatem, non ſexum reprobas, non ullam conditionem gratia tua ducis indignam, ſed omnium æqualis creator es, & redemptor; tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis, bonus paſtor eligere, atque ad conſeruandam coronã perpetuę virginitatis, caſtimoniam conſeruare animæ dignatus es, tuæ protectionis ſcuto circumtege, vt quas ad omne opus virtutis, & gloriæ magiſtrante ſapientia pręparaſti, & vincentes carnis illecebras, & licita connubia recuſantes, inſolubilem filij tui Domini noſtri Jeſu Chriſti copulam mereantur, &c.* Cuius etiam orationis verba habentur in Pontificali par. 3. de benedictione virginũ, & apud Mambritium de vit. ſancto. tom. 2. in vita S. Matthęi. Hanc etiam inſtitutionem ex Abdia refert Rhenatus Laurẽtius La barre in additionibus ad Ter
53 tullianum in lib. de Virginibus velandis: † licet autẽ Abdię libri, qui circumfertur fides, non vſquequaque probetur, a multis tamen, & doctis viris defenditur,

&



& vetuſtiſsimi codicis exemplo tuetur illum Vvolfangus Lazius in præfatione ad eundem Abdiam, cuius teſtimonio vtitur etiam Stanislaus Hoſius in confeſſione catholicæ fidei. Neque ij, qui contra ſentiunt negant, pleraque in eo libro vera contineri, cuiuſmodi hæc ſunt, quæ a ceteris ſcriptoribus omnibus referuntur.

54 † Cur autem ad B. Matthæum ſanctificandæ aquæ inſtitutum, magis quam ad alios apoſtolos referatur, hanc cauſam affert Franciſcus Turrianus in ſchol. ad d. cap. 29. Apoſtolica conſtitu. B. Clementis dicens: *Cum Dominus in domo Matthæi publicani pranderet, & multi publicani, & peccatores venientes cum eo diſcumberent, ſicut idem Matthæus narrat; Phariſæis interrogantibus diſcipulos, quare eorum magiſter cum publicanis, & peccatoribus pranderet, dixit non eſſe opus valentibus medico, ſed male habentibus. Jdcirco valde accommodate inducta eſt perſona Matthæi publicani, ad tradendam conſtitutionem ſanctificationis aquæ & olei, quibus virtus ſanandi morbos, & fugandi dæmones, qui ſæpe eorum cauſa ſunt, tribuitur. Ab eodem Apoſtolo Matthęo (diues enim fuerat, & ij quidem maxime obligati ſunt, qui eleemoſynis peccata redimant) decimarum, primitiarum, oblationumque conſtitutionem inductam, iuſſamque legimus.*

Nos vero illud etiam cenſemus addendum. Quẽadmodum enim Dominus, cum ad Matthæum diuertit, præſentia ſua ſanauit, purgauitque illum, domũq. eius totam ab omnibus malis; ita quoque, vt impii,

&

& obtrectatores plane confunderentur, piis autem, ac
probis ædificationi id eſſet; factum eſt, vt idem Mat-
thæus induceret non perſonas tantum, ſed campos,
fructus, domusque etiam ſingulorum aqua luſtrali
purganda. Debebaturque ei Apoſtolo aliud quippiã,
quem præ ceteris Apoſtolis triplici honore dignatum
fuiſſe ſcimus, Apoſtolatus, Euangeliſtatus & Martyrij,
ſanguinis, ac mortis ſcilicet; nam Ioannes alioqui ca-
licem Domini bibit: quas Matthæi præcipuas quaſ-
dam dignitates proſequitur poſt alios Gabriel Biel in
ſermonibus de ſanctis, ſerm. 30. qui eſt de S. Matthæo.

Ex his, quæ hactenus tradidimus, poſſumus dehinc
certius inſtitutorem aquę benedictæ compellare bea-
tiſſimum hunc Apoſtolum Matthæum. Quod quidẽ
55 hucuſque non ita fuit perſpicuum. † Quemadmodũ
etiam (vt & hæc exempla referamus) accidiſſe vide-
mus de quorundã nominibus, quæ ſacris litteris non
expreſſa, poſtea facta ſunt manifeſta.

Primum, pueri illius, quẽ Dominus in medio di-
ſcipulorum ſtatuit Matth. 18. nomen non exprimi-
56 tur: hunc tamen cenſet S. Anſelmus fuiſſe † beatum
Martialem vnum ex ſeptuaginta diſcipulis, qui duas
ſcripſit Epiſtolas, & cuius vitam litteris mandauit Au
relianus Lemouicenſium Epiſcopus illius auditor &
ſucceſſor, qui ab eodem B. Martiali ex mortuis ſuſci-
tatus eſt; quamquam Nicephorus lib. 2. cap. 36. exiſti-
met Ignatium fuiſſe appellatum.

Deinde illius, qui paſſionis Dominicæ tempore
relicta



57 ſindone fugit nomen ſubticetur, † quem Iacobum
Iuſtum cenſet fuiſſe Epiphanius contra hęreſim An-
tidicomarianorum, qui veſte linea, non lanea vteba-
tur, & cum Epiphanio ſentit etiam Magiſter hiſtoria-
rum, quamquam aliqui exiſtiment fuiſſe ipſummet
Ioannẽ, qui illud ſcripſit, licet Theophilactus ſentiat
vnũ fuiſſe ex domo illa, vbi Chriſtus Paſcha celebra-
uit, & vti hominẽ non inſignem nõ fuiſſe nominatũ.
58 Præterea † vxoris Pilati nomen non exprimitur,
quam tamen Proclem vocari docuit Nicephorus lib.
1. cap. 30.

Sic & filiæ Pharaonis, quæ Moſen ſibi in filium
adoptauit, licet in ſacris litteris nomen reticeatur: Ea
59 tamen † θερμουθῖς, ideſt, Thermutis vocabatur, vt Sui-
das teſtatur.

Ad hæc ſenum illorum, qui falſum teſtimonium
dixerunt contra Suſannam, licet ſacra ſcriptura nomẽ
60 ſileat, tamen eos † Achab, & Sedechiam nuncupatos
fuiſſe teſtatur S. Hierony. in Daniel. cap. 13. qui in
Hierem. cap. 29. addit Regem Babylonis illos frixiſſe
in igne propter iniquitatem, quam fecerant in Iſrael,
& quia adulterauerant vxores ciuium ſuorum.

Hæc vero, aliaq. eiuſcemodi exempla plura refert,
ac proſequitur Marti. Cantapetren. lib. 9. Hypotypos.
regula 29. nobis hæc commemoraſſe ſufficiat. Atque
hæc quidem ſunt, quæ de aquæ benedictæ origine &
vſu inuenire potuimus, quam B. Matthæo acceptam
referimus. Nunc reliqua huc ſpectãtia proſequamur.

Z AR-

## ARGVMENTVM.

Quæ nam benedicendæ aquæ præcipua materia ſit.

## RERVM SVMMÆ.


1 *Aqua naturalis eſt aquæ ſanctæ præcipua materia.*
2 *Peccatum igni comparatur, & ideo per aquã extinguitur.*
3 *Aquæ vſus eſt primus omnium Meſsias ad remiſsionem peccatorum.*
4 *Aquæ ſanctæ materia debuit talis eſſe, vt ad manus omnium eſſe poſſet.*
5 *Aqua Hebraice vocatur Maim.*
6 *Maim vtcũque inuerſum idem ſemper ualet.*
7 *Myſtica conſideratio circa nomen Maim.*
8 *Alio modo perpenditur nomen Maim a ſecretioribus Theologis.*
9 *Alio etiam modo ponderatur.*
10 *Litteræ huius vocis, Maim, diuerſis modis conſiderantur.*
11 *Iod in ſua figura ſignificat manum.*
12 *Mem littera quid ſignificet.*
13 *Miriam quid ſignificet.*







14 *Ieſus Chriſtus Petra Zur.*
15 *Sacramenta omnia Chriſtus, ex cuius latere ſanguis et aqua manauit, inſtituit, unde bona omnia oriuntur.*
16 *Iordanis aqua quomodo Hebræis dicitur.*
17 *Nomen Iordanis myſterium habet ſanctiſsimæ Trinitatis.*
18 *Hebræa lingua digna eſt, vt ſæpius obſeruetur.*
19 *S. Hieronymus gaudebat, quia Hebraicam linguam callebat.*
20 *Hebraica lingua ſancta eſt.*
21 *Radix cuiuſcunque vocis Hebraicæ Trinitatem refert.*
22 *Tres litteræ vbi remanent in hebraica dictione, ſignum eſt vocem eſſe perfectam.*
23 *Noe filij multos populos, ac linguas generarũt.*
24 *Confuſio linguarum.*
25 *Linguarum numerus nõ fuit auctus, quamuis auctus fuerit numerus populorum.*
26 *Hebraica lingua ceteris eſt præſtantior.*
*Hebræa lingua Deus locutus eſt.*
*Ab Heber prouenit.*
*Eſt lingua clara, & lucida, & doctrinæ.*
*Decem nominibus Deum appellat, cum ceteræ vix duobus id exprimant.*

*Hæc ipſa decem Dei nomina; illius ſunt attributa:*

*Abrahæ nomen. ה littera auctum Dei iuſſu, quæ vna eſt ex quatuor ſanctiſſimi nominis Dei.*

27 *Hebraica lingua ſua propria vi refert rerum proprietatem:*

28 *Manus continet iuncturas quatuordecim.*

29 *Annus voce hebraica ſignificat mutationem.*

30 *Luna Hebraicè nuncupatur Jareach, ideſt, menſis.*

31 *Grauiditas, ſeu conceptio dicitur Cheraion, quæ numerum 275. continet, quo dierum numero perficitur partus:*

*Multæ item Hebraicarum vocum proprietates.*

32 *Hebraicæ litteræ myſterium habent, & ſi noſtras voces expreſſerint.*

33 *Valor multarum dictionum Hebraicè ſcriptarum.*

34 *Deus ipſe locutus eſt lingua Hebræorũ ſancta.*

35 *Hebraicè ſcripſit Deus.*

36 *Chaldæa lingua Hebraicæ proxima, & affinis.*

37 *Lingua Hebræa, ſeu Chaldaica vſi ſunt omnes homines vſque ad Heber.*

*Pileus*



*Pileus quid apud Eſaiam.*

*Cardinalium Pilei.*

39 *Hebraica lingua publice docenda in Gymnaſijs, ſicut fit Romæ.*

39 *Gulielmus Sirletus Cardinalis laudatur.*

40 *Hebraica lingua myſterium & vim continere videtur in litteris & elementis.*

41 *In nominibus diuinis magna continetur vis, & poteſtas.*

42 *Nomina omnia ſignificandi virtutem habent à Deo.*

43 *Nomen eſt rei virtus ſecundum Platonem.*

44 *Nomina maiori digna ſunt honore, q̃ ſtatuæ.*

45 *Statuis honor exhibendus, quatenus ad nominum contemplationem diriguntur.*

46 *Dei omnipotentia verbis, aut litteris non alligatur.*

47 *Nomina, aut verba ſancta continent Diuinitatis Epilogum.*

48 *In nomine Ieſu omnia incipienda, quomodo intelligatur.*

49 *Cabala reprehenditur per Hectorem Pintum.*

50 *Cabala reprehendenda eſt, dum Domino ſuo non ancilletur.*

51 *Talmud reprehenditur.*

*Cabala*

*52 Cabala, quæ Chriſtianæ pietati ac religioni nõ aduerſatur, defenditur auctoritate multorum.*

*53 Matatron Hebræorum.*

*54 Matatron, & Maria conueniunt.*

*55 Mariæ nomen longe ante præuiſum, quam ipſa naſceretur.*

*56 Sarai nomen vxoris Abrahæ mutatum.*

## CAPVT TERTIVM.

AQuę ſanctę, de qua agimus materia præ-
1 cipue † aqua ipſa eſt, non tamen artifi-
cialis, vt roſarum, herbarumve, ſed na-
turalis & pura, eaque nimirum mate-
ria eſt admodum conueniens, aptaque
ad vberrimos fructus, cum ſanctificata fuerit, produ-
cendos. Aqua enim vt contraria igni eſt, ita & pecca-
2 to, † quod poteſt igni proculdubio comparari. De ea
quidem Landul. in vita Chriſti par. 1. cap. 21. ſic in-
quit: *Aqua ſordes abluit, ſitim reſtinguit, imaginem red-
dit. Sic gratia Spiritus ſancti in aqua baptiſmi ſordes pec
catorum abluit, ſitim animæ verbo Dei reſtinguit, imagi-
nem Dei per culpam amiſſam reſtituit*. Sic & nos dicere
poſſumus, aquam benedictam proportione quadam
3 conſimiles operari effectus. † Aqua primum vſus eſt
Meſsias ad remiſsionem peccatorum, cum antea da-
tum



tum fuiſſet ſignum aduentus illius, dictumque, quod
in aqua remiſſio fieret. Vnde non mirum, ſi dum de
remittẽdis peccatis tractatur, aqua interueniat. Hinc
Zacch. 13. *Et erit in die illa fons patens domui Dauid,
& habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatorum.*
Nec inficiari id poſſunt Hebræi, vt notat Ioan. Soarez
ſuper Marc. cap. 1. tracta. 3. Congruum itaque fuit, vt
quemadmodum quilibet, & quolibet loco, vel tem-
pore indiget fructibus illis omnibus, quos luſtralis
4 hæc aqua producit; ita etiam conficeretur † ex ea potiſ
ſimum materia, quam quiſque poſſet promptam, &
ad manus habere quotidie, ac nullo labore, nullis im-
penſis eam ſibi comparare valeret: & ideo pręclare ad-
5 modum ſecretiores Theologi perpendunt, † aquam
vocari מַיִם Maim, quam & eadem fere voce Chaldæi
6 appellant ſic ſcribentes ܡܝܐ Maià, † quod nomen
quocunque modo fuerit inuerſum, aut circumuolu-
tum, ſemper apud Hebræos dicit Maim, quippe vt
demonſtret, quod omnibus, tã Hebræis, quam Ethni
cis, aut quibuſcunque, qui ad eam reuerſi fuerint, po-
terit afferre ſalutem. Vt colligitur pulchre ex eodem
7 † nomine Maim, quod aquam interpretantur. Ex hoc
enim nomine מַיִם Maim, ob numerum, vimque ſua-
rum litterarum Theologi eruũt, atq. cõficiunt quan-
19 58 13
dam ſententiam, quæ dicit אַהֲבָה חֵן יָבֹאו, quæ qui-
dem ſententia continet numerum nonaginta, & ſi-
gnificat Ahaba Chen Iabou, ideſt, aquæ charitatem,
diui-

8 diuinamque gratiam introducet. Quin vero † aliam
quoque ſententiam colligunt ex ſingulis litteris eiuſ-
dem vocis ſeparatim conſideratis, ſi quidem a prima
littera Mem. מ deducunt מֶלֶךְ Melech, ideſt Rex a 2.
י Iod deducunt ישוע ideſt Ieſciuangh, hoc eſt, Ieſus.
A. 3. vero littera מ Mem deducunt מָשִׁיחַ Maſciach,
ideſt, Chriſtus; Quæ omnia ſimul iuncta ſignificant.
Hăc aquam ſalutis introducet Rex Ieſus Meſſias. Huc
9 tendunt † tria alia nomina ſimiliter eodem modo ex-
cerpta ex litteris eiuſdē nominis Maim מַיִם nempe
מאור יצוק מים Maor Iazzuch Maim, ideſt, ex prima
מ Mem conficiunt מָאוֹר Maor ex ſecunda י conſi-
ciunt יָצוֹק Iazzuk a tertia מ conficiunt Maim; quæ
ſimul iuncta dicunt. Lux ſtillabit aquam ſalutis por-
ro lux iſta Chriſtus eſt Saluator noſter, de quo Eſa. 12.
*Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris.* Et
quamuis tota hæc nominum interpretatio ad ſancti
Baptiſmatis aquam a Chriſto Saluatore noſtro indu-
ctam, referatur; eam tamen aliqua ſaltem proportio-
ne conſiderata, poſſumus ad hanc aliam aquam, velu-
ti aquæ ſanctæ materiam referre. Animaduertendum
10 præterea arbitramur, quòd in hac voce Maim † litte-
ra Mem מ aperta receptionem ſignificat Spiritus ſan-
cti, in ipſius litteræ figura; ſic enim exponitur: Secun-
11 da littera י † Iod in ſua figura ſignificat י Iod, ideſt,
manuum fortitudinem, & potentiam. Tertia vero ם
12 † Mem littera clauſa, & vocis totius poſtrema prædi-
ctis aliis adiuncta, ſignificat, quod recipitur gratia Spi





ritus ſancti e potenti & forti manu, & Ieſu filij eius,
mortem deſtruxit, & ideo inferorum portas deuote &
ſancte gratiam eandem recipientibus occluſit. Inſu-
per ſi voci huic Maim ר reſc. adderetur, diceret מרים
13 Miriam, ideſt Maria, † quaſi quod a filio Mariæ ſan-
ctificanda eſſet aqua. Nouum quoque circa eandem
materiam aquæ myſterium habemus. Chriſtus enim
14 Ieſus † illa petra eſt, quæ appellatur צור ideſt, Zur,
quod eſt petra fortis, & Deus. Deut. 32. pſalm. 17. 18.
27. 61. 97. & 143. Similiter Eſa. 26. & 30. Quam
petram ſimiliter Zur Deus appellans dixit Moſi Exo.
17. vt eam percuteret, inde enim egreſſura erat aqua,
quæ vniuerſi populi ſitim reſtingueret. Signum cer-
te haud obſcurum, Chriſtū Deum eſſe petram, & Zur,
quod in eius paſſione percuſſum, cuiq; fideli pocula
præberet vberrime ad potandum; inſtitutis videlicet,
15 † ac cōfirmatis ſuo ſanguine, & aqua oībus ſacramen-
tis, quibus eam certe vim ꝑbuit, vt ex ijs omnia exori-
rentur bona, præſtante id Deo patre, ſeque ipſo filio, &
Spiritu ſancto, qui omnes ſimul aptiſſima figura vidē-
16 tur expreſſi per aquam fluminis † Iordanis, vbi Chri-
ſtus baptizatus eſt, quod quidem flumen in lingua
Hebræa (quam ſanctam dicunt) appellatur נָהָר Na-
17 har, hoc eſt flumen, & ſplendor, vel lux, † cuius equi-
dem nominis illud eſt myſterium, quod prima littera
נ nun, ſignificat Nin; ideſt filium; ſecunda ה. he di-
uinam eſſentiam, ideſt patrem, tertia vero ר. reſc.
Ruah. ideſt, Spiritum ſanctum. Symbolum ſanctiſſi-

mæ Trinitatis ſane perſpicuum. Nollem equidem
18 hoc loco mirari quenquam † quod Hebræam linguã
ſæpius obſeruemus. Ea enim vere ſancta eſt,& diuina-
rum ſententiarum plena, cuius quidem maieſtatem
optime nouit,& explicauit Iulius Rugerius Proto-
not. Apoſtolicus, vir in ſacris & humanis litteris ap-
prime eruditus in ſuis opuſc. theologicis, in opuſculo,
vbi de libris Canonicis agit cap. 37. Ideo plurimum
19 gaudebat † S. Hieronym. ſe Hebraicam linguam di-
dicisſe; cum dicat in vita ſanctæ Paulæ, Hebræam lin-
guam quam ego multo labore & ſudore didici, in-
fatigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab ea deſe-
rar, quemadmodum obſeruat Io. Clyctouæus in 2.
par. homiliarũ, in homil. de S. Hieron. & merito qui-
20 dem † ſancta dicitur, quia relucet vbique fere ſancta
per eam Trinitas; trinaque ſanctitas, cum nullum ſit
21 † thema, radicẽ vocant, quod tribus litteris ſuis, diui-
22 næ Triadis myſterium non referat. † Ideoq. vbi tres
litteræ remanent in Hebraica dictione, ſignum eſt
verbum eſſe perfectum, hoc eſt tale quidem, vt inter
coniugandum nullam ex radice litterarum amittat, vt
aduertit Pagninus in Inſtitutionibus linguæ ſanctæ,
nec non Guido Fabricius Boderianus in apparatu ſa-
crorum Bibliorum Regiorum, tom. 3. in Epiſt. ad
Chaldaicæ linguæ ſtudioſos. Illud quidem verum eſt,
23 † quod ex tribus filijs Noe ſeptuaginta duo populi na
24 ti ſunt, totidemq. linguarum genera, quoniam † con-
fuſio linguarum illarum ſeptuaginta duos populos in
orbem



orbem totum diſſeminauit, quibus,& totidem Duces
ex filijs,& nepotibus Noachi fuere præpoſiti, qui ſe-
ptuaginta duas Colonias ex Armenia Saga in varias
mundi partes deduxerunt, vt vniuerſam terram me-
moranda clade deſertam, incolis & habitatoribus de-
nuo replerent, vt idem Boderianus obſeruat in alia
Epiſtola præambulari tom. 5. eorundem Bibliorum.
Quamuis autem populi prædicti creuerint poſtmo-
25 dum ad numerum longe maiorem. Linguas † tamen
ipſas nunquam auctas fuiſſe legimus. Etenim ex Sem
nati ſunt 406. populi,& 27. linguæ, ex Cham populi
394. & linguæ 22. ex Iaphet 200. & linguæ 23. & ita
linguæ 72. populi autem ſunt mille, vt computat Ar-
nob. in pſalm. 104. Eucher. in Genes. lib. 2. cap. 7. Au-
guſtin. de ciuitat. Dei lib. 1. cap. 3. q. 11. & Genebrar.
in Cronograph. lib. 1. fol. 29. Ceterum ex tot linguis
26 Hebræa cæteris longe dignior, † longeq. præſtantior
eſt,& iure quidẽ, cum ea in lege, quam duabus tabulis
lapideis digitus Dei inſcripſit, ipſe idem ſummus om-
niũ autor ſit vſus. Et ideo Exo. 31. verſ. 18. & c. 32. verſ.
16. dicitur. וְהַמִּכְתָּב מִכְתַּב אֱלֹהִים הוּא Vehamictau
mictau Elohim hu, ideſt, ſcriptura ſacra eſt ſcriptura
Dei. Hac ipſa & Moſes vſus eſt in Pentateuco. Nam
cæteræ confuſæ iam pridem fuerãt in ædificio Turris
Nembroth, cui nomen impoſitum eſt Babel, quia ibi
בָּלַל יְהוָה Balal Adonai, ideſt confudit Dominus eo-
rum linguam, indeque appellatur לְשׁוֹן עִלְּגִים Leſcion
nghilleghim, ideſt linguæ confuſionis, & לְשׁוֹן עִמְקֵי

שְׂפָתַיִם Leſcion nghimmeche Sephathaim, ideſt lingua obſcuri labij: ſed lingua ſancta, quæ ad Hebræos ab Heber, & ſucceſſiue ex Abraham prouenit, dicitur לְשׁוֹן צַח Leſcion Zach, Eſa. cap. 50. ideſt lingua clara, & ab omni confuſione remota: Alibi quoque vocatur לְשׁוֹן לִמּוּדִים Leſcion Limudim, hoc eſt lingua doctrinæ, ac myſteriorum diuinorum, vocatur etiam a Sophonia, cap. 3. ver. 9. לְשׁוֹן צַח Leſcion Zach, ideſt, lingua lucida, clara, ſancta, ac pura. Hac Paulũ Chriſtus compellauit, dum illum conuertit, id quod non ſine myſterio expreſsit Lucas, Act. 26. 16. *Audiui vocem*, inquit, *loquentem mihi lingua Hebraica*. Nec parum dignitatis addit huic linguæ, quod cęteræ, ac Latina in primis non habet, quibus Deum appellet nomina, niſi duo, nempe Deus, & Dominus; at Hebræa decem nominibus Deum appellat. Felix igitur lingua, quæ ſuum Creatorem ita fœcunde pronunciat. Omitto nomina, quæ Dei attributa ſignificant, quæ hac lingua proprie explicãtur; ſicut & Angelorum nomina רְפָאֵל Raphael, ideſt, medicina Dei, גַּבְרִיאֵל Gabriel, ideſt, fortitudo Dei, מִיכָאֵל Michael, ideſt, quis vt Deus. Sed & Ieſu nomen Hebræum eſt יְהוֹשֻׁעַ, ideſt, Iehoſciuangh, ideſt, Deus Saluator. Sic littera ה, quã Deus Opt. Max. nomini Abrahã dignatus eſt addere, prius enim Abram vocabatur, hebraica fuit, ac vna ex qua-
27 tuor litteris ſanctiſſimi nominis ineffabilis יְהוָה † Mira eſt huius ſanctæ linguæ efficacia, ita vt ex nomine ipſo rei proprietatem intelligas: Ecce enim אָדָם Adã de-



riuatur a voce אֲדָמָה תְמוּר, ideſt, terra virgo & rubea, ex qua formatus creditur, ſic & חֵמָר Chemar, quod lutum graue ſignificat, aſinus appellatur quod animal eſt accidioſum, pigrum, ac ſtolidum, ſic סוּס, Sus חָזִיר, equus appellatus à fortitudine, ſus enim fortem ſignificat, cuiuſmodi equus eſt, Ideoque Iob. 39. dicitur: *Quis dedit equo fortitudinẽ?* Sic & חָזִיר Chazar quod ſignificat fœdũ, ac turpe, alienũq; ab alijs animalibus, porcum, ea lingua explicat. Sic & נָחָשׁ Nachas ſerpentem exprimit, qua etiam voce incantator maleficusq; deſignatur. Hæc denique lingua ſancta dicta, hoc eſt לְשׁוֹן קוֹדֶשׁ tot litteris exprimitur, quæ cõſtituũt numerũ 796. ex quo numero prodeunt aliæ treſdecim litteræ ad oſtendendũ ipſam eſſe diuinã, illæ vero ſunt מְצִיאוּת אוֹר אֱלוֹהַ, Mezziuth hor heloha. i. inuẽtio sãctæ linguæ huius eſt lux a Deo data: idcircoq. a Sophonia שָׂפָה בְּרוּרָה Sapha Berura, i. labium lucidũ appellatur. Quæ octo litteræ, ſi arithmetice cõputẽtur, eundẽ red dunt, quem octo litteræ Leſcion codes, ideſt, lingua
28 ſancta. Ecce † manus continet 14. iuncturas, manus ipſa Hebraice dicitur יָד, Iad; quæ vox refert numerũ 14. quoniam י Iod, valet X. ד valet 4. quæ conſtant
29 numerum 14 annus † appellatur שָׁנָה Scianach, ideſt,
30 mutatio: quotannis enim res mutantur, † Luna, quæ ſingulis quibusque innouatur menſibus nuncupatur
31 יָרֵחַ Iareach, ideſt, menſis † Grauiditas, ſiue conceptio dicitur הֵרָיוֹן Cheraion, quę vox cõprehendit numerũ 271. quo quidẽ numero dies illi exprimũtur, quibus con-

conceptus fœtus in vtero matris eſt, ſcilicet, nouem menſes cum ſuis minutis. Quoniam vero, & quandoque ſeptimo menſe partus completur: idcirco etiã הריה partus dicitur, quæ vox in numeros deducta 210. conſtituit quot diebus ſeptem conſtant menſes. Præterea quia & in diuina lege illud potiſſimum agitur, vt Deus veneretur: idcirco liber, qui per antonomaſiam, legis librũ ſignificat ספר Sepher appellatur quæ vox numerum reddit 340. quem cõſtituit, שם, ideſt, nomẽ: nomen autem illud vere dicitur quod Dei eſt, illudq. ad nos magis pertinet, quo Dei humanitas ab eo aſſumpta demõſtratur, ideſt, יהוה שדי. Iehoua Sciaddai, cuius nominis apices, & ipſi numerum 340. ſimul cõflant משיח refert 358. quem refert נחש ideſt, ſerpens: fuit enim Meſſias ſerpens ille æneus, qui nos a morte, ac veternoſi illius ſerpentis lethalibus morſibus ſanauit, ac liberauit. Dictio אהבה quæ charitatem ſignificat, reddit 13. quot efficit אחד ideſt, vnus: Charitas ex duobus vnum efficit צל ideſt, vmbra 120. totidem מועד ideſt, tempus, poſt diluuium enim, vt inquit Pſalmiſta. Dies noſtri ſicut vmbra prætereũt ימינו כצל עובר ſic חיטה, ideſt, triticũ 28. tantundem כח ſcilicet, robur triticum enim robur parit סוד ideſt, conſilium, congregatio, & ſecretum 70. numerat a ſeptuaginta ſenioribus, a quibus debent prodire conſilia deductum חמשיות ideſt, Meſpilæ, quę vox, & quinarium numerum ſignificat: eos enim fructus quinque oſsicula continere palam eſt, לב cor dicitur, quæ



quæ vox numerum 32. refert, quia in corde triginta ſunt cellulæ, totidemque viæ ſapientiæ. Quod ſi Hebraicas voces alia etiam ratione conſiderabimus, eæ nimirum per numeros, rerum proprietates demon-
32 ſtrabũt, † etiam dum verba ipſa ad linguam noſtram Hebraicis elementis, ſiue characteribus referemus,
33 † vtpote חסד Cheſed, miſericordia valet 72. בוני bonũ ſimiliter 72. furor ira אף Aff, valet 81. מאלי ideſt, malum itidem valet 81. מלאך, Malach, ideſt, Angelus valet 91. יומסו hoc eſt iuſtus valet etiam 91. רמא Ramà, ideſt, fraudulentus, ſiue doloſus valet 241. לאחרו ideſt, fur, etiam valet 241. קדם Chedem, ideſt Orientalis, lucens valet 144. מוילי, ideſt, fidelis 144. Sed quid
34 mirum, cum † & Deum ipſum hac eadem lingua locutum ſciamus, illamque ijs dediſſe, quos prę ceteris charos habebat? Quod recte quidem intellexit Ioan. Driedonius tom. 1. ſuorum operum in tract. de Catalogo ſacræ ſcripturæ lib. 2. cap. 1. ita dicens: *Deus Opt. Max. qui Hebraici ſermonis, & rationem, &*
35 *vocem ſuæ linguæ ad loquendum dedit, ipſe etiam † elementorum figuras primus per ſemetipſum conſcripſiſſe legitur. Nec dum quippe Moſes quicquam ſcripſerat, quando ei dixit Deus, aſcende ad me in montem, & dabo tibi duas tabulas lapideas, & leges, & mandata, quæ ſcripſi,* vt Exod. 24. Cui quidem linguæ proxima
36 † Chaldæa eſt, quam idem Driedon dicebat eſſe aut eandem Hebręam, aut illi admodum vicinam, & quaſi affinem. Licet aliqui ſenſerint fuiſſe Syriacam, ſiue

ſiue Arameam, aut Palæſtinam, & ita eam inter alios
appellauit Theodoretus. Hi autem autores dixerunt
37 † hac lingua, tanquam aliarum prima, vſum eſſe hu-
manum genus ab Adam vſque ad Heber. Et vt tandẽ
ſupremum faſtigium huic parti imponam, aliud no-
bile quidem exemplum ſubijciam. Eſaias cap. 59. 17.
poſtquam dixerat *Et indutus eſt iuſtitia, vt Lorica*, ſu-
bijcit וְכוֹבַע יְשׁוּעָה בְּרֹאשׁ idest, pileum ad ſalutem in ca
pite ſuo, & galea ſalutis in capite ſuo, pro pileo allego-
rice ibi galea accipitur, vt ex antecedentibus & ſequen
tibus conſtat, ſi quæras quomodo ad ſalutem ijſdem-
met verſibus continetur. Nam primę dictionis duę lit
teræ, vltima ſcilicet, & penultima עב efficiunt 72. tres
vero priores 32. quot reddunt litteræ nominis qua-
driliteri, vt intelligatur ſalutem illam prouenire a Deo
opt. Max. vi ſuorum attributorum, nempe miſericor-
diæ, pietatis, longanimitatis, ac iuſtitiæ. Indeque fit,
vt qui pileo ornantur, ſi ad dignitatem recte viuendi
rationem addant, parari ſibi a Deo ſalutem. Id quod
mihi appoſitiſſime referri videtur ad eos pileos, qui-
bus S.R.E. Cardinales ampliſsimi hodie inſigniunt,
quibuſque in veteri lege filii Aaron, cæterique ſummi
Sacerdotes vtebantur, vt ſpeciali quadam ac inſigni
reuerentiæ nota ab alijs dignoſcerentur. Cuius rei
mentio ſic habetur. Exo. 28. verſ. 40. וּמִגְבָּעוֹת תַּעֲשֶׂה
לָהֶם לְכָבוֹד וּלְתִפְאָרֶת Vmighbanghot tangaſe lahem,
lechauod vltifare hoc eſt, *& tiaram biſſinam facies*. &
paulo poſt, *ſtringaſque tunicam biſſo*. ac paulo ante,
liga-



*Ligabiſq. eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram.*
Inde enim aperte colligi poteſt, quod cum Deus ſuo-
rum munerum largus donator exiſtat, in ampliſſimi
huius ordinis Patres, maximoſq. eis in terris honores
tribuat, ſperandum quoq. ſit, ſi ipſi, vt par eſt, illos eo
dirigant, quo dirigendi profecto ſunt, æternam etiam
gloriam, veramque beatitudinem quandoque in cælo
vberrime illis eſſe daturum. Ex quibus quidem omni-
bus (vt tandem eo reuertamur, vnde longius forſan
quam par erat, digreſſi ſumus) ſatis perſpicuum ſit,
quam abundans ſit rerum proprietatibus quamque
myſticis arcanis referta Hebręorum lingua, vt mirum
propterea nemini videri debeat, ſi in Viennenſi Con-
cilio relato poſtmodum in Clem. 1. de Magiſt. decre-
uerunt ſanctiſsimi Patres, vt in Gymnaſijs publicis
37 † Hebræa lingua publice exponeretur. Quod Romæ,
vt admodum præclare hactenus ſeruatum eſt, ſtudio
39 præſertim ac diligentia † Gulielmi Sirleti Cardinalis
ampliſsimi viri, dum viueret, pietate, linguarum om-
nium cognitione, ac litterarum ſcientia, vitæque ſan-
ctitate lõge præſtantiſsimi, ita & nunc auctoritate Six-
ti Quinti Pont. Max. ſcientiarum omnium patroni
ſeruatur, & indies accuratius, ac diligentius ſeruan-
dum confidimus. Non eſt igitur mirum, quod Hebrai
ca verba maxima contineant myſteria, maximæque
40 in ijs occludantur virtutes; † poſtquam quæuis littera
quodque ſignum, immo vero quiſque etiam punctus
aliquid cæleſte & diuinum explicat, ideoque vt doctiſ-



ſimus

ſimus Burgonouenſ. teſtatur in libro de nomine Ieſu
41 in princ. Oportet † vt in diuinis nominibus poteſta-
tem quandam, vimque maximam fateamur ineſſe.
Etenim videmus cuiuſque rei notitiam ex obiecto ad
ſenſum, e ſenſibus ad imaginatiuam, ex illa denique
ad mentem deferri, & in mẽte vnumquodq; primum
concipi, deinde uero veluti edatur partus, exprimi-
tur voce. In hac voce igitur certis articulis conſtituta,
ipſa rei virtus ſub ſignificationis forma latet. Quæ
quidem virtus, qui ſpiritus primum ex mente proce-
dit, ob ſemen rerum omnium ibidem exiſtentium,
deinde editur voce; vltimo per ſcripturam lõgo æuo
42 ſeruatur. Vnde ſi omnia † nomina in ſe certum quid
virtutis includant, ex quo quaſi per imaginem rerum,
eę ipſę res cognoſcuntur, multo magis nomina a Deo
data, ſuam ſeruant perpetuo virtutem; nec quidem im
merito, poſtquam (vt ſentit in Phedone Plato) nomen
43 † nihil aliud eſt, quam quædam rei virtus a mente pri
mum concepta, mox prolata voce, tandem litteris exa-
rata. Ad ſignificandum igitur quid diuinum, nomen
ipſum neceſſe eſt, vt includat in ſe virtutem diuinam.
Cum igitur diuina in nominibus diuinis inſit virtus;
44 cenſet Plato in Phed. † nomina maiori honore digna
eſſe, quam ſtatuæ ipſæ diuinæ. In nominibus enim
imago Dei eſt ob artificium mentis; (ſi tamen ea mens
inſpiratur a Deo) quod quidem ipſo manuum artifi-
cio, ſiue opere tunc longe maius eſt, & multo præſtan-
45 tius: præterquam vbi † per imagines ad nominum
contem-



contemplationem dirigimur tanquam ad epilogum
eius, quod imagines repræſentant, vt ſic mentis ma-
nuumque miniſterium copuletur, & connectatur.
His igitur omnibus Hebræa lingua gaudet encomijs;
ſi quidem in ea omnia hęc nomina a Deo fuerunt ma
gnis pronunciata myſterijs: Præſertim vero quadrili-
terum illud nomẽ Iehoua, ſiue Tetragrãmaton, quod,
vt oculate aduertit Gregorius Nazianzenus, oratione
tertia de Theologia, fol. 320. ita ſummæ in Deum re-
uerentiæ tribuit, vt proprijs quibuſdam notis ſummũ
illud numen honorandum, Hebræorum doctiſſimi,
atque antiquiſsimi quiq. dixerint. Quo tamen ordi-
ne id factum ſit, fortaſſe alibi fuſius explicabimus.
Nunc autem id ſatis eſſe arbitramur quod diximus:
illud tamen addere volumus, quod, quæ dicta ſunt,
non debent in eum modum intelligi, vt Omnipoten-
46 tia Dei † ſit quaſi ipſis verbis alligata; ſed vt percipia-
47 mus † nomina, aut verba ſancta veluti breuem, vt di-
ximus, epilogum, ſcopum, metamque Diuinitatis,
poſſe nobis adiumento eſſe, & tanquam inſtrumen-
to, vt mentes noſtras ad cœlum tollere, & omnia poſ-
ſimus ad Deum referre, qui eſt benedictus in ſæcula.
vt docet Naclantius Epiſcopus Clugienſis in Epiſt.
B. Pau. ad Epheſ. cap. 1. dum loquitur de nomine IE-
SV, Burgonouenſ. quoque in ſuo lib. dogmatum.
Ne ſcilicet, in illum incidamus errorem, quem Gene-
brar. in ſua Chronolog. appellat furfurem ſuperſtitio-
num Hebraicarum. Vt prudẽter etiam notat Becan.

in Hermaten.lib.1.fol 5.cum ſequen. Dicebat quoq. Naclant.ibidem, quod dum Apoſtolus præciperet
48 ſermones noſtros, cunctaque opera in nomine † IESV incipienda, non nudam quidem hanc nominis inuocationem conſiderat, cum probe ſciret ille, hanc per ſe ſolam nõ tanti eſſe momenti, ſed intellexit quidem, vt cognoſcere, ac meditari debeamus, Deum ipſum naturam & carnem noſtram aſſumpſiſſe, & ſanctiſsimo hoc nomine IESV ab æterno appellatum eſſe, & quod ipſi debemus cuncta verba, & opera noſtra potiſsimum dedicare. Si autem quæratur, qualenam ſit hoc nomen IESV, dicendum, quod eſt nomen ſuper omne nomen, ad quod ſemper nobis eſt recurrendum, tanquam a cælo demiſſum, in quo dæmonia eijciuntur, in cuius prolatione omne genu flectitur, terreſtrium, cæleſtium, & infernorum, ſecundum Paulum ad Philipp.2.de quo etiam late apud Iodocũ Clictouæum par.1. ſuarum homiliar.ſermone primo de circunciſione Domini, & ſermone 2. & ſerm.3. dicebat etiam de hoc nomine S.Bernardus, ſerm.15. ſuper Cant. Quod lucet prædicatũ, paſcit recogitatum, inuocatum lenit & vngit. Vbi etiam addit, quod aridus eſt animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur; inſipidus eſt, ſi hoc ſale non conditur. *Si ſcribas*, deinde ſubdit, *non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum; ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus enim eſt mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* De huius nominis excellentia ſcribit multa Ludouicus Carua-

jal de



jal de reſtituta Theologia, cap.31. & ſeqq. Naclant. ſuper epiſt.Paul. Burgonouenſ. in lib. quem edidit de nomine IESV vulgari idiomate. Vincentius Monachus ſancti Seuerini de Neapoli ordinis S. Benedicti in libro de nomine Chriſti, quem collyrium mentis nominauit. Franciſcus Sixtus Carmelita, in lib. de Chriſto. De hoc ipſo ſuauiſsimo nomine legitur pulcherrima meditatio B. Bernardini de Senis, qui dicebat: *O nomen IESV exaltatum ſuper omne nomen, o triumphale nomen, o gaudium Angelorum, o lætitia iuſtorum, o pauor inferorum. In te omnis ſpes gratiæ, in te omnis ſpes gloriæ. O nomen dulcoroſum, tu peccatoribus veniam præſtas, tu mores renouas, tu mentes diuina dulcedine reples, tu phantaſmata pellis. O nomen gratioſum, per te alta myſteria reſerantur, per te animæ ad diuinum amorem inflammantur, roborantur in pugna, & a cunctis periculis liberantur. O nomen glorioſum, delectabile, admirabile, venerabile. Tu dulciſſimum nomen Regis Ieſu, ſic paulatim cæli faſtigia per gratiarum chariſmata mentes fidelium ſurſum rapis, ut omnes qui ad tuam deuotionem intrant, gloriam inueniant & ſalutem.*

De his autem ipſis nominibus diuinis multa dixit S.Gregorius Nazianzenus oratione 2. & 3. de Theologia, & S.Hieronym. ad Marcellam, idemque Naclant. in expoſitione fabricæ primi diei mundi. Item multa ſpeculatur Martin. Cantapetr. lib.8. hypotypos. cap.6. & ante illum plura myſtice, ac moraliter perpendebat Iacob. de Vitriaco Card. Tuſculanus in 3. Domi-

nica

nica poſt Paſcha ſuper introitu Miſſæ, & ante omnes iſtos præclare de hoc nomine Dei ſcriptum fuerat per autores Hebræos in lib. de ſanctiſſimis nominibus סֵפֶר שְׁמוֹת הַקְּדוֹשִׁים ſepher ſcemoth hachedoſcim, & per Rabinum Iacobum, in libro dicto Templum Domini הֵיכַל יְיָ hechal Adonai, & Rabinum Ioſeph Nacta liçin porta lucis שַׁעֲרֵי אוֹרָה ſcilicet ſciaghare orah.

49 Nec me tamen latet †, vt reuertamur vnde digreſſi ſumus, quod Hector Pint. in Eſa. 48. exponẽs illa verba: *Non à principio in abſcondito locutus ſum &c.* videtur Caballiſtarum obſeruationes parui facere, dicens, Deum non aliam legem dediſſe, quam ſcriptam: & ideo impie admodum feciſſe quendam Idumæum, qui appellabatur Mayr, dum perſuaſit Deum voce ſua legem dediſſe, & cum Hebræos a Chriſtianis facile conuinci animaduerteret, aliam legem finxit ipſemet ſuo captu, qua defenderentur Hebræi. Quod ſane ſi

50 ita ſeſe haberet, impia hæc eſſet inuentio, † neque lingua ipſa, de qua loquimur, hoc modo cõſiderata laudari poſſet, quia Domino non ancillaretur, prout debet, quemadmodum recte aduertit, & raciocinatur contra Talmud, Venerabilis Petrus Abbas Cluniacẽſis in lib. 2. contra Iudæos, qui fuit coetaneus S. Bernardi. Idem quoque perpendit Rhenatus Laurentius in addit. ad Tertullian. contra Iudęos in cap. de vaſtatio-

51 ne Iſrael poſt paſsionem Domini, quia tunc † in Talmũdicas Iudæorum fabulas declinaret, contra quos late

late poſt alios ĩuehitur idẽ Rhenatus eodẽ loco in tit.

52 de claritate Gentium in Chriſto, † cuius conceptionibus, ac ſenſis, vtitur tamen ipſemet Pintus in Ezech. 8. exponens ineffabile nomen Dei circa illa verba; *Nomen ciuitatis ex illa die Dominus*. Obſeruat quoq. eam per ſæpe Auguſtin. Iuſtinianus Epiſcopus Nebbien. ordinis Prædicat. in ſuo octaplo Dauidici Pſalterij ad Leonem X. & maxime in pſal. 102. dum legitur: *Notas fecit vias ſuas Moyſi*, & pſalm. 67. *Benedicat nos Deus, Deus noſter*. Et pſalm. 118. *Beati qui ambulant*: In quibus quidem locis docte de nominibus ſanctis eloquitur, & mirabilia e Caballiſtarum fragmentis myſteria colligit: ante illum vero multa myſteria ex huiuſmodi elementaria expoſitione explicuit S. Ambroſ. ad d. pſal. 118. Quin vero eadem Cabala frequẽter vtitur etiam S. Hieron. in epiſtola 155. ad Paulam vrbicam tom. 3. & in procem. Lamentationum Hierem. tom. 4. & in queſtio. Hebraicis in 3. Reg. cap. 2. tom. 3. Epiſtolarum, quo loco explicat quænam ſit, & cur peſsimam appellauit Dauid maledictionem, qua ſibi Semei maledixit dicens: Peſsima de Hebraice נִמְרֶצֶת nimrezeth dicitur, quod quinque litteris enunciatur idest נ. nun, מ. mem, ר. res, צ Zade, ת. thau. In נ nun. נוֹאֵף noeph idest adulter: מ. mem, מוֹאָבִית idest, moabita: ר res רָשָׁע Raſciagh, ideſt, impius: צ Zade, צָרַעַת Zaraghath, ideſt leproſus: ת thau, תוֹעֵבָה thohaba, ideſt abominatus. Vtitur eadem etiam Abbas Ioachimus in ſuo introductorio in Apocalypſim tex. 2. ſuper illud: *Ego ſum a*

& ω. Sed & nouiſsime de corruptelis verbi Dei in lib.
1. de Beatiſsima Virg. cap. 1. dum dicit, quod Hebræi
inter arcana ſua celeberrimum ducunt, vnam inter
53 creaturas omnes perfectiſsimam eſſe, † quam ipſi Mi-
tatron appellant, hoc eſt Principem facierum, quia
ſemper ſtet ante faciem ſummi Imperatoris, & ius ha-
beat ad ipſius præſentiam benemeritos introducendi,
54 & quidē ab eruditis animaduerſum † eſt, MARIAE
nomen cum illo (Mitatron) optimè conuenire, cum &
numerus ex litteris collectus reſpondeat, & ſupputanti
ſummam efficiat 999. nouem videlicet centenarios,
nouem denarios, & nouem vnitates. Quamuis de hac
eius ſpeculatione plurimum dubitemus. Deinde etiā
55 addit, quod † Mariæ nomen lōge ante quam eſſet edi-
ta, prædixerunt; & ex quodam loco Eſaiæ מִרְיָם שָׂרָה
Miriam ſara, ideſt MARIAM. Dominam nuncu-
pādam eſſe diuinarunt, vt fuſius explicat Pet. Galatin.
de arca cathol. verita. lib. 7. cap. 13. Etenim Abrahæ
56 vxor † Sarai, hoc eſt Domina mea, non ſine iuſſu
Dei Sara. Iod littera nimirum detracta abſolute Do-
mina vocata eſt, vt in cuius ſemine gentes omnes be-
nedicerentur, quod quidem ſemen ad Chriſtum ex
hac Virgine procreatum refert Apoſtolus ad Galat. c.
3. At non ea certe Cabala eſt, ex qua ſint fidei noſtræ
fundamēta ſumenda: ſed illis iam vti firmiſsimis ſup-
poſitis, non videntur aſpernandi viri illi, qui pie, ac re-
ligioſe apices conſiderant ſacræ legis, cuius nec iota
vnum periturum Saluator noſter Matth. cap. 5. 18. nō
ſine



ſine miniſterio dixit, ac propterea laudandum potius videtur antiquorum, ante Chriſtum natum, Theologorum Hebræorum exercitium, circa religionis myſteria hæc elicienda, & declaranda: cum neque Chriſtus tum natus eſſet, neque tot commentaria, ac innumeri Chriſtianæ religionis fructus aderant, ex quibus diuinam bonitatem, omnipotentiam, cæteraque huiuſmodi ita vbertim poſſent contemplari, ac ex his ſatiari. Vnde plurimum tribuendum videtur eorum vigilantiæ, qui apices, litteras, ſyllabas, numerum, cæteraq. huiuſmodi perſcrutati primum ſunt, quamquā otioſorum hominum ſcientiam hanc appellarit. Iacob. VVecher. de ſecret. lib. 15. cap. 12. Quorum ſeptuaginta volumina ſumma Sixti quarti Pont. Max. diligentia olim conquiſita, prælo erant danda, niſi mors interceſſiſſet, vt teſtatur Petr. Crinit. de honeſt. diſcipli. lib. 25. cap. 3. Huius diſciplinæ viam imitatus eſt Rabanus Monachus, quibuſdam inſertis imaginibus, & Latinis characteribus, & verſibus, qui quoquo vertantur, ac inſpiciantur, licebit ex illis ſacrum aliquod excipere, ita eleganter ſunt confecti, & ſuperficiei, ac imaginum, quæ inibi ad hiſtoriam aliquam exprimendam appoſitæ ſunt, lineamenta ita pulchre ſunt deducta, qui videtur in his Valeriæ probæ centones ex Virgilij carminibus æmulatus, cuius vnicum ſubijciemus exemplum, videlicet:

Cc Arbor

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Arbor odore potens* | | *f r o* | | *ndoſo vertice nata.* |
| *Qua ſumma vere ſacr* | | *o u f* | | *luit ordine bertas* |
| *Hortus ditatus & pa* | | *r c u* | | *i nullis in orbe eſt* |
| *Floribus & folijs* | | *m i l* | | *leno germine diues* |
| *Omnes excedens alt* | | *a s g* | | *rauitudine ſyluas.* |
| *Cum totã pie* | *magnu* | *s u e* | *ſtit h* | *onosq. decusq.* |
| *Ambit verus h* | *onor l* | *a e t* | *us loq* | *uitur ea voto* |
| *Stans homo li* | *uor ho* | *c n a* | *tioni* | *denegat atra.* |
| *Dæmonis horrendus* | | *r e m* | | *ſciri laude moueri* |
| *Arbor ſola tenens v* | | *a r i* | | *os virtute colores* |
| *Purpureo regis ſub* | | *t a c* | | *tu roſcida fulgens* |
| *Æterno es radio ſt* | | *a n t* | | *in te nam pie vincta.* |
| *Ædes turritæ ex ho* | | *c d u* | | *dum es nomine beata.* |

Sic & virtuti ſeptuaginta interpretum tribuit Genebrar. in præfatione ad pſalmos, quod Cabalæ eam partem calluerint, quæ ſub mutationes litterarum per Siruph; & alphabetariam reuolutionem continet, qua Hieremiam, alioſque veteres, vſos docet, ſicut & ipſe vſus eſt pſal. 104. ver. *Vt erudiret principes eius.*

Tametſi autem in profanis autoribus caſu hæc obſeruentur, vt multi non ſine cauſa cenſent. In ſacris tamen litteris hoc affirmare non eadem ratione poſſent, quando in illis apicum, aut ſyllabarum, numerorũque expreſſio magnis non vacet myſterijs. Quod vel vno illo exemplo manifeſte edocemur, quo Deus vſus eſt in nomine Abraham vna illa littera ampliando, videlicet ה qua illum patrem gentium nominauit,

ac al-



ac altera dempta a nomine vxoris Sarai, vt Sara deinceps, hoc eſt Domina diceretur, vt poſt alios erudite docet Sanctes Pagninus in præfatione ad Bibliorum tranſlationem, & de numerorum obſeruatione licet intelligere ex cap. 13. Apocalyp. ibi: *Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ.*

Neque vero hæc abijcienda ideo ſunt, quod ijs aliquando plerique recentiorum Hebræorum ad vanas quaſdam, ſuperſtitioſaſque obſeruationes plerunque abutantur. Sicut nec ſacra Theologia, quod ea male vtantur hæretici: grauiter enim, ac prudenter (vt ſolet omnia) monet B. Auguſtinus ſuper Matth. cap. 6. Nõ ideo deſerendam ouis pellem, quod ea quandoque lupi contegantur. Quæ quidem omnia non ea ſententia dicimus, vt velimus aliqua ex parte tueri, quæ hoc prętextu nefarij homines deprauant, atque ad peſsimos ſenſus actuſque detorquẽt, quorum impium inſtitutum iam pridem ſumma cum ratione damnauit Eccleſia: quippe qui nedum plurima ipſi facinora hoc Cabalæ nomine perpetrabant, ſed (quod ſummum genus dementiæ eſt) miracula a Chriſto ſua ipſius diuina virtute facta, ad eorum ſuperſtitionem impie referebant.

Sed quod ſi diſciplina hæc ad purum ſuum fontem reducatur, rectumque Gnomonem, vtque Chriſtianæ pietati, illiuſque ſacris myſterijs obſequatur, & ancilletur, neque aſpernanda videatur, neque ita acriter, vt a quibuſdam fit, reprehendenda: qua in re nobiſcum

etiam ſenſit Sixtus Senenſis uir doctiſſ. ordinis Prædicatorum in Bibliotheca ſancta lib. 3. de elementari expoſitione.ad fin. Atque hæc quidem ſatis:

Ea vero proſecuti ſumus, explicantes aquæ vim ex Hebræo nomine, quæ quidem aqua, propoſitæ tractationis materiæ potiſsima pars eſt. Nunc de altera illius parte, hoc eſt deſale, dicamus.

## ARGVMENTVM.

De altera parte materiæ aquæ ſanctæ, ideſt de Sale.

## RERVM SVMMÆ.

*1 Pars materiæ, ex qua fit aqua ſancta, eſt ſal.*
*2 Sale ſignificatur humanæ naturæ coniunctio cum verbo, dum adiungitur aquæ.*
*3 Salis & aquæ ſymbolum in aqua ſancta.*
*4 Sal ſignificat filij Dei ſapientiam.*
*5 Opera noſtra Deo grata eſſe nequeunt abſque condimento diuinæ ſapientiæ.*
*6 Sal in vaſe fictili quid ſignificet.*
*7 Sal multas habet virtutes.*
*8 Salis veneratio ſumma apud veteres:*
*9 Mola ſalſa in ſacrificijs antiquis.*
*10 Sal caput ternarij in ſalſa mola.*
*11 Ternarius numerus frequens in ſacrificijs antiquorum.*

*Mola*



*12 Mola ſalſa, ex quibus compacta erat.*
*13 Apud Veſtales olim ſacrificia puriora.*
*14 Salem ferro ſecabant Veſtales, ne quid forte caderet ex eo.*
*15 Salarij vnde dicti.*
*16 Salaria via.*
*17 Sal venerandum etiam catholicis.*
*18 Sal ſecundum Hebræos myſticum.*
*19 Numerus 68. myſterijs plenus, quomodocumque diuidatur.*
*20 Arca, & Vagina magni nominis dicitur cuſu.*
*21 Panem Angelorum manducauit homo, de quo pane intelligatur.*
*22 Nomen Jehouah excellentiſſimum.*
*23 Numerus 13. eſt diuinarum proprietatum numerus.*
*24 Littera vau ſupernæ vitæ.*
*25 Senarius numerus eſt ſecundum Hebræos primus perfectus.*
*26 Numerus ternarius ſanctiſſimæ Trinitatis.*
*27 Myſticorum Theologorum Iudicium de voce Melach, quæ ſalem ſignificat.*
*28 Panis habet cum Deo ſymbolum.*
*29 Panis in ſacrificijs interuenit ſecundũ vtriuſque legis ritum.*

*Chriſtus*

*30 Chriſtus panem ſe vocat.*

*31 Panis nomen filio mire conuenit.*

*32 Filius dicitur etiam ſal apud Paulum Apoſt.*

*33 Sermo veſter ſit ſale conditus, quomodo intelligatur.*

*34 Salis nomen etiam græce myſterium continet.*

*35 Non Hebræa tantum lingua, ſed etiam ceteræ poſſunt habere myſteria.*

*36 Voces græce non caſu impoſitæ rebus.*

*37 Nominum impoſitio cæleſtis dicitur, non hominum ſecundum Platonem.*

*38 α & ω principium & finis, ex Græcis vocibus Chriſto tribuuntur.*

*39 Elementa litterarum à Deo illuſtrantur, ſicut lucidum corpus à ſole.*

*40 ΑΛΣ trinitatem ſignificat.*

*41 Littera α Patri tribuitur.*

*42 Opera Dei duo præcipua, creatio, & conſeruatio.*

*43 Littera λ iucunditatem habet, et ſecundā perſonam refert.*

*44 Littera, ς ad tertiam perſonam trinitatis refertur.*

*45 Salinæ plurimæ apud Burgundos.*

Burgun-



*46 Burgundi primi Aquilonarium populorum ſale vſi ſunt in Baptiſmo.*

*47 Saliti Burgundi quamobrem dicantur.*

*48 Cardinalis Granuelanus virtutibus præditus.*

*49 Bernardinus Gomeſius de ſale ſcripſit libros quinque.*

*50 Salis nomen quomodo cenſeatur ſecundum Becanum.*

*51 Sal apud Cimbricos appellatur Aula Principis, & locus, vbi de Republica conſulitur.*

*52 Conſultationes publicæ debent ad ſalis inſtar condimentum afferri.*

*53 Salich apud Cimbricos, idem ſignificat quod fœlix.*

*54 Sapientia etiam humana vulgo dicitur ſal.*

*55 Salis & aquæ ſymbolum, & myſterium.*

*56 Sal intelligitur Ieſus Chriſtus.*

*57 Statua ſalis, de qua Genes. cap. 19.*

*58 Statuam ſalis, in quā cōuerſa fuit vxor Loth, vidit proprÿs oculis Ioſephus Hiſtoricus Hebræus.*

CAPVT

## CAPVT QVARTVM.

1 ALtera † pars materiæ aquæ benedictæ, &
ea quidem maxime congrua, eſt ſal,
qui ipſi aquæ adiungitur, quo ſane ſi-
2 gnificatur † humanæ naturæ coniun-
ctio cum verbo diuino, a quo omnis
ſacramentorum ſacramentaliumq. vis, & efficacia
3 dependet; † vtraque vero materiæ pars videtur opti-
mum habere ſymbolum nobiſcum, vt enim aqua labi-
tur, ita & humanam naturam labi conſpicimus. Ideo
2.Reg.cap.14. habetur: *Omnes morimur, & quaſi aqua*
4 *dilabimur ſuper terram.* † Sal vero cum ſapientiam filij
Dei ſignificet, duo indicat. Primum quidem, quia ſi-
cut ſal conſeruat res, ne corrumpantur, ita & diuina
clementia operatur in mentibus, quas illa poſſidet, ne
corrumpantur. Vnde B.Paul. ad Hebr. 1. *Portans om-*
*nia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens.*
Deinde ſicut ſal condit cibos, vt ſapiant, ita etiam gra-
5 ta nulla † opera noſtra Deo eſſe poſſunt abſque diuinę
ſapientiæ condimento. Ideo inquit Apoſtolus 1. ad
Cor. 1. *Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſa-*
*pientiam.* Dicit etiam gloſſa ordinaria 4.Reg.cap.2.
ad illa verba: *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud*
6 *ſal;* quod † ſal ſapientiæ in vaſe fictili, ideſt in corpore
humano purgat aquas, cum ſcilicet populos in dulce-
dine delectationis, bonorumque operum ob incar-
7 nationem Chriſti fœcundat. † Sal etiam amaritudi-
nem



nem pœnitentiæ myſtice ſignificat; aqua vero confeſ-
ſionem, abſolutionem, baptiſmum, ac gratiam. Ideo-
que cum hæc omnia debeat anteire pœnitentia, mi-
rum non eſt, ſi prius ſal quam aqua benedicatur, ex
quorum mixtione receſſus a peccatis, ac initium virtu
tum, bonorumque operum indicatur, vt & Gratianus
animaduertit in cap. cum renunciatur, 32.q.1. Sed &
ſal tot in ſe virtutes continet, quod ſi ſingulas narrare
vellemus, nimium in longum noſtra protraheretur
oratio: aliquas igitur (vt materia ipſa requirit) eaſque
8 præcipuas attingemus. † Non equidem nouum eſt ſal
in maxima veneratione ſemper fuiſſe, quoniam nec
9 antiqui Ethnici vnquam ſacra † abſque mola ſalſa fa-
ciebant. ideo Ouid. dixit:

*Ante Deos homines, quod conciliare valeret,*
*Far erat, & puri lucida mica ſalis.*

Virgil. quoque Eclog. 8.

*Sparge molam ſale.*

Et Plaut. in Amph.

*Prodigiali Ioui aut ſalſa hodie, aut thure comprecatum oportuit.*

10 † Caputq. illius ſacri ternarij, quo eadem mola ſal-
11 ſa erat compacta, ſal habebat. † Qui numerus non
abſque ratione apud veteres in quolibet ſacrificio ſer-
uabatur.

12 Porro † mola ipſa tria cōtinebat, far, ſalem, & vinū.
De hac mola Cic. 2. de diuinat. dicebat: *Caput eſt in ie-*
*core, cor in extis, iam abſcedet, ſimulac molam, &*

Dd *vinum*

*vinum conſperſeris*. intelligens aſperſionem molæ, farre, ſale, & vino faciendam: credebat enim illos Deos vino excitari ad eos reſpiciendos, farre ad fauendum, ſale tandem ad beneficia conferẽda: quandoquidem ſacrificantis puritatem ſignificabat, ſine qua minime grata erant falſis illis Dijs alia ſacerdotum merita.

Præterea adeo venerabantur ſalem, vt Veſtales illæ,
13 † apud quas puriora, & magis intemerata ſacrificia
14 erant, † ſalem ipſum (ne vel mica quidem eius aliquo
ictu in terram decideret) ferro ſecarent. Prodigioſum quippe putabant, vt quod ad diuina ſacra eſſet adhibendum, pedibus protereretur. Perſuadebantq. ſibi miſeræ gentes, non poſſe Dijs eorum ſacra diſplicere, dũ mola ſalſa aſpergerentur. De quo Plinius lib. 12. cap. 18. De felicitate Arabiæ loquens: *Nec minus*, ait, *propitij Dei erunt mola ſalſa ſupplicantibus, vino vero, vt palam eſt, placatiores*. Libro eodem cap. 2. dixit: *Numa inſtituit Deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare*, & lib. 31. cap. 7. *Honoribus etiam, militiæque ſal interpo-*
15 *nitur.* † *Salarijs inde dictis, magna apud antiquos auto-*
16 *ritate, ſicut apparet, ex nomine* † *Salariæ viæ, quoniã illa*
*ſal in Sabinos portari conſueuerat*. & paulo poſt: *Maxime tamen in ſacris intelligitur autoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa*. Id ipſum Homerus credidit, cum de Græcis ſacrificantibus apud Troiam diceret:

*Iamque Deos viſi placaſſe, vbi ſacra ſalita*
*Conſperſere mola.*

Et



Et Horatius 3. carm. Ode 23.

*Mollibit auerſos penates*
*Farre pio, & ſaliente mica.*

Alibi quoque ſermonum lib. 2. Satyra 3.

*Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam*
*Ante aras, ſpargiſque mola caput improbe ſalſa.*

Et Lucanus de bello ciuili, lib. 1.

*-----iam fundere Bacchum*
*Cœperat, obliquoq. molas inducere cultro.*

Verumtamen nobis quæ profani ſenſerint omit-
17 tenda ſunt: conſiderandum vero videtur, † quod ſal
etiam apud noſtros magna ſemper in veneratione fuit, multiſque myſterijs plenum, vt luculenter oſtendit Simon de Caſsia in lib. de ſimilitudinibus a Saluatore poſitis, lib. 7. cap. 1. Maxime autem ſecundum Hebraicam linguam, prout veteres Symbolicæ Theo-
18 logię philoſophi optime norunt. † Ab Hebręis enim
ſal appellatur מֶלַח Melach. Quod nomen valet numerum 78. qui quoquomodo diuiſus, reddit ſemper diuinum aliquod nomen: quoniam ח Che valet 8. ל Lamed valet 30. & מ mem valet 40. quæ conficiunt
19 † numerum 78. qui numerus diuiſus primũ in duas
partes, reddit bis 39. tantumque valet vox כוזו ideſt,
20 cuzu, † arca & vagina illius magni nominis יהוה
ideſt, tetragrammaton, eundem numerum 39. valet vox טַל tal, & ſignificat rorem, ſeu mannam, quem
21 Dauid. Pſal. 77. † panem vocauit, quãdo dixit: *Panem*
*Angelorum manducauit homo*. Non quod ille eſſet verus

Dd 2 panis,

panis,& æterna vita; ſed figura illius, quem Meſsias
Ieſus erat daturus, in cuius nomine incluſum eſt
יהוה idest, Tetragrammaton, & in quo vita cōſiſtit,
vt Burgonouēſ. docte interpretat' in lib. 3. de nomine
Ieſu, fol. 244. Sic ergo videmus hoc nomen מֶלַח Me-
lach, & hunc numerum 78. in duas partes diuiſum,
eſſe myſteriis plenum. Quem ſi adhuc in tres partes
diuidemus, reddit ter 26. quarum quælibet conuenit
22 nomini † Iehouah, quod quidē eſt præ cæteris excel-
lentiſsimum. Eius vero litteræ conficiunt numerum
26. idem accidit, ſi in ſex partes diuiſus fuerit; quæuis
23 enim erit 13. † qui numerus diuinarum eſt proprie-
tatum, & attributorum. Rurſus, ſi in 13. diuiſum con-
ſideremus, in qualibet ipſius parte erant 6. tantumq.
24 valet littera ו Vau, quæ † ſupernæ vitæ littera eſt,
25 & eſt, ex Hebræorum ſententia, † numerus iſte pri-
26 mus perfectus. Deinde ſi diuidatur in 26. † ternariū
numerum facit, qui ſanctiſſimæ Trinitatis eſt nume-
rus. Tādem diuiſus in ſeptuaginta octo vnitates, quę-
uis earum Deum ipſumq. vnum demonſtrat. Idq. in-
telligendum eſſe ſignificat, quod vbiq. Deus vnus eſt.
Præterea alia etiam ratione ſententiarum plena eſt
hæc vox hebraica מֶלַח Melach, quæ ſalē ſignificat: ſi
27 enim has litteras † myſtice, alia tamen ſub ratione ſu
memus, inuerſæ ſonant לחם idest, Lachem, ſcilicet,
panem, referuntq. eæmet voces numerum 78. ipſum
28 vero panem † nouimus tantum ſymboli habere cum
Deo, vt panis illi nequaquam minus gratus in ſacrifi-
cijs



29 ciis extiterit, quam ſal: Ideoq. † panis, ceu res præci-
pua in ſacris (ſecundum vtriusq. legis ritum, offere-
30 batur, & etiam offertur, & Chriſtus ipſe Ioā. 6. † ſe ip-
ſum panē appellat, dicens: *Ego ſum panis viuus, qui de*
31 *cælo deſcendi*. Et eſt quidem hoc nomen † panis Filio
impenſe cōueniens. Licet aliqui aſſerāt, quod B. Paul.
32 eum † dixerit quoque ſalem, ita illa Apoſtoli verba
interpretantes ad Coloſſ. 4. *Sermo veſter ſit ſemper cum*
*gratia, & ſale conditus*, idest, ſemper diuinitatem Dei
33 contineant, & honorem. † Qui locus etiam intelligi
poteſt, quod ſicut panis dum ſale conditur, ſuauior eſt
guſtui; ita & ſermo noſter, ideſt verbum, cæleſtiſque
panis Chriſtus, vt nobis ſit iucundior, & magis profi-
ciat ad ſalutem, non vtique ſumi debet, niſi primum
ſale ſanctæ gratiæ, quam Deus vera pænitentia & con-
feſſione elargitur, conditi ſimus. Ad hæc videmus
34 † nomen ſalis pariter præclarum in lingua græca, &
etiam myſteria continere: a græcis enim dicitur αλς, &
quamuis ſacris diuiniſque interpretationibus Chal-
dæa, Hebraicaque nomina quibus locutus eſt Deus,
35 præſertim emineant; † non tamen omnino aliarum
linguarum elementa, & potiſsimum linguæ gręcę, quę
36 ex illis orta eſt, aliquo myſterio carent. Etenim † eius
voces non caſu poſitę ſunt, vt mentiū conceptus, aut
intentionē ſignificent, ſed accurate, ac ſtudioſe, vt rerū
proprietatem oſtendant, quemadmodum præter Py-
thagoram, & Parmenidem dicebat Plato Græco-
rum facile princeps in ſuo Cratilo Socratem inducēs
aſſeren-

37 aſſerentem, quod † non modo nomina non ſunt caſu
impoſita, nec ab hominibus inuenta, ſed eorum im-
poſitionem cæleſtem eſſe, atq. diuinam, & in eis quaſi
lumen, atq. imaginem eſſe earum rerum, quæ per ver-
ba ſignificantur: a qua quidem opinione haud longe
recedere videtur S. Ioan. qui dum immenſam vellet,
atq. infinitam Chriſti diuinitatem explicare Apoc.
1. inquit, quod Chriſtum de ſe ipſo prædicantem au-
38 diuerat, † *Ego ſum* α & ω Græcis figuris, ideſt, *principiũ
& finis*. Illud autem certum eſt, quod ſicuti ſol dum lu
cidum corpus attingit, continuo ibidem eius imago
collucet; ita Deus ſplendore ſuo omnia illuſtrans, vo-
39 luit, vt etiam † elementa litterarum non modo conce-
ptus noſtros referre valeant, ſed etiam veſtigia, atque
ipſius Dei imaginem pariter præſeferre videantur.
Sicut & elementa Græca, & Latina ad ſignanda quam-
plura myſteria, in dedicationibus Baſilicarum inſcri-
buntur, vt docet Pontif. tit. de Dedicatione Eccleſ. &
explicat Guliel. Duran. in rationa. diuino. lib. 1. cap.
6. num. 21. & ſeqq. Dicimus ergo quod hæc vox α λ ς
40 † manifeſte ſanctiſſimam Trinitatem oſtendit, ſi qui-
41 dem † α littera eſt in ſua rotunditate cõpleta, & dein-
ceps quaſi videtur duobus cornibus velle producere
alias litteras. Quod videtur myſtice referre, ac ſignifi-
care patrem Deum, qui infinitus eſt, omnia circum
amplecti, & duas alias diuinas perſonas producere, &
communicare diuinam naturam ſuam, generãdo Fi-
lium, & cum eo ſimul ſpirando Spiritum ſanctum.

Alia



Alia quoque ratione littera α myſteriorum eſt plena,
quoniam ſymbolum eſt infinitæ, atque interminatæ
poteſtatis Dei, qua ſe diffundẽs in omnia, duabus ope-
42 rationibus ſuis, ideſt † creatione, & cõſeruatione totius
vniuerſi, quaſi duobus cornibus in ſapientia Filij, &
bonitate Spiritus ſancti ſe cõmunicat omnibus crea-
43 turis. Alia vero Græcæ vocis littera eſt λ †, quæ quidẽ
non ſolum eo modo pronunciatur, vt os ipſum ad læ-
titiam, riſumq. accommodetur, ſed videmus eam ad-
huc habere figuram quaſi circini, & ſecundam deno-
tat ſanctiſsimæ Trinitatis perſonam, ideſt, Filiũ, qua-
ſi a ſuauiſſimo Patris ore prolatum, duaſq. æternitatis
relationes habentem, quaſi duo latera infinita, quarũ
ſane relationum, licet in Patre quoq. has ipſas modo
ſibi conuenienti aſſignemus, libet accommoda ada-
ptatione dicere, quod verbum æternum altera ſuarum
relationum reſpicit Patrem, a quo per æternam gene-
rationem procedit, altera quidem Spiritum ſanctum,
qui ſimul a Patre, Filioq. cum infinita beatitudine ſpi
ratur: quamquam etiam myſtica ſignificatione illud
nobis inſinuatur, quod benedictus Dei filius perſona
vnus incarnatus, duas indiſſolubili, & ineffabili vnio-
44 ni obtinet naturas. Vltima tandem † littera, ς cum
ſit bis circũflexa, & duabus eius extremitatibus pro-
cedens, quaſi duos videatur circulos formare velle, ap-
tiſſime quidem ad tertiam perſonam refertur, ideſt,
ad Spiritum ſanctum, qui vere ex ſinu ſummi Patris
& Filij procedit vnica & vniformi ſpiratione, & nexu

infinito

infinito æterni amoris coniungit duas diſtinctas Pa-
tris & Filij perſonas, quibus ipſe eſt coæternus, & coæ-
qualis:& quamuis diſtincta perſona ſit,illis tamen eſt
in ſimpliciſsima, indiuidua, & immenſa natura con-
formis, ſeu conſubſtantialis.

Verum ad ſalem,de quo agebamus redeundo, non
45 videtur hoc omittendum, quod Burgundi,† apud
quos plurimæ, atque vberrimæ ſunt ſalinæ, dicuntur
46 fuiſſe †primi inter populos Aquilonares, qui filios
baptizandos curauerint, & parochorum, prælatorũq.
opera ſalem ad ſacramentum baptiſmatis adhibue-
rint:& ideo iure videntur,ceu vulgato prouerbio a La-
47 tinis,appellati †ſaliti Burgũdi. Cuius declarationis au-
48 tor,atque magiſter fuit† illuſtriſsimus Ant.Perenot.
Card. Granuelanus, illius nobiliſsimæ Prouinciæ
oriundus, virtute quidem, ac infinitis meritis admo-
dum clarus,qui ſale prudentiæ ſuæ, ac dexteritatis,ita
animũ Caroli Quinti, ac deinde Philippi Catholici
Hiſpaniarum Regis deuicit,vt eius prudentiſs. conſi-
lio veluti ſale quodam omnia,quę ſibi committuntur;
facile ac ſuauiter condiat; quam ipſe equidem tradi-
49 dit( non dudum eſt) † Bernardino Gometio Archi-
diacono Saguntino,ac deinde Epiſcopo Albaraſinen.
viro cum primis docto & pio, qui poſtea libros
quinque de ſale compoſuit, in quibus, cum ille diffu-
ſe, & diligenter de materia ſalis tractauerit, nihil ſane
eſt,quod de eodem nos plura dicamus.
50 Cæterum præclara quædam, atque ſubtilis † Beca-
ni opi-



ni opinio minime videtur prætermittenda: qui qui-
dem in ſuis Hermatenis lib.4. ſalem, dicit, congrue
ita appellatum, quia in lingua Cymbrica ſal ſalutem
ſignificat, quemadmodum So-hal conſeruationem.
Vtraque proprietas eſt ſali admodum conſentanea,&
51 ideo inquit ille, quod † ſal vocatur in magnis ædibus
aula illa,quæ præ cæteris eſt maior, vbi de Rep. cõſuli-
52 tur,quaſi † cõſultationes ipſæ debeant eſſe inſtar ſalis
ac Reip.condimentum afferre.In lib.quoque Gallico-
rum 3.inquit, quod ſal, cymbricũ vocabulum, latine
eſt conſeruatio. Deriuatur autem ex, hal, quæ vox ſi-
gnificat(conſeruo) mutata aſpiratione in ſibilum litte-
53 ræ s. Ex hac ipſa voce ſal componitur apud eos † Sa-
lich, ideſt felix. Secundo demum lib. idem Becanus
docet,quod ſal illam Principis,aut Magiſtratus domũ
ſiue eius partẽ ſignificat, vbi ius dicit. Sed quod noſtri
inſtituti eſt, Salẽ tanquam aquæ ſanctæ materiam,ma
ximæ dignitatis eſſe videmus,magniq. myſterij. Quo-
circa quemadmodum aquæ materia adhibetur ad la-
chrymarum copiam ſignificãdam, quibus expellitur
dæmon,ita & ſalis materia debet interuenire,vt condi
menti, atque ſaporis ſpiritualis vim afferat, qui ſolet
eſſe effectus cæleſtis ſapientiæ, quæ in hominibus
54 † etiam vulgo dicitur ſal. Sic autem de aqua, & ſale,
tanquam materia aquæ benedictę, loquitur Vgo de S.
55 Victore in ſuo lib. de ſacram. † *Aqua pœnitentiam ſi-
gnificat de præteritis, & ſal diſcretionem, & cautelam de
futuris: quæ duo, ſi ſimul miſceantur, amara conſcientiæ in*

 *dulce-*

*dulcedinem vertuntur, atque illuſiones, & infeſtationes dæmonum amplius ei non dominantur.* In lege ueteri etiã Leuit. 2. legitur: *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condias, nec auferas ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo; in omni oblatione offeres ſal.* Nos quoque hodie ad ſenſum,
56 atq. vſum nouæ legis idẽ dicere poſſumus. †Sal enim eſt Dominus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus: ideoque ſemper adhibendus eſt, & in qualibet actione eius pia inuocatio, & meditatio miſcenda. Sic B. Paul. ad Coloſſ. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut opere, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.*

57 Poſtremo non videtur ſal carere myſterio †in illa ſtatua, in quam mutata, atque conuerſa fuit coniunx Loth: cum enim vellet Deus iuſtum illum hominem e ruina, atque incendio Sodomæ præſeruare, præcepit illis, vt ex nefaria, ac ſceleſtiſsima ciuitate diſcederent, ſemperque recta montem verſus abirent, nec vnquam retro reſpicerent: quod cum non ſeruaſſet coniunx illius, in ſalis ſtatuam conuerſa eſt, Gen. 19. Et ſcribit
58 Flauius Ioſeph lib. 1. Antiquit. Iudaicar. †eam ſtatuã ſuis oculis vidiſſe. In ſalis itaque non marmoris, aut æris ſtatuam Deus mutauit illam, vt ſignificaret quidem, quod nos illius ſtatuæ ſemper memores, debeamus conſcientias noſtras condire ſale. Et ita deteſtantes peccata, & ſæculi deſideria, ſemper debeamus excelſum virtutum montem aſcendere, vt ad eius faſtigia perueniamus, ne retro reſpicientes, mundi illecebris



bris denuo capiamur. Quod ſtatuæ myſterium bene conſiderat Hector Pint. Ezech. 1. ſuper illis verbis: *Non reuertebantur, cum incederent.*

Denique, vt ad rem noſtram reuertamur, cum ſale diuina ſignificetur ſapientia, aqua vero Dominica paſſio: Illo carnes condiri ſoleant, ne corrumpantur; hac ablutio & mũditia ſignificetur: illo diſcretio, quia guſtum præbet, hac lachrymæ & pænitentia recte rogat Eccleſia, vt per paſſionem veri Dei concedat nobis Dominus munditiem cordis & animi, integritatem mentis, ſanitatem loci animalium, ac aliarum creaturarum, & interitum, ſeu excluſionem infernalium vermium, omniumq. quæ diabolica ars machinari ad hominis perditionem ſolet. Quod docuit etiã Perellius par. 3. Theſau. de aqua luſtra. Iam ſatis ſuperque de vtraque parte materiæ aquæ ſanctæ tractauimus: nunc de miniſtro dicamus, ad quem pertinet illam ſanctificare, & benedicere.

## ARGVMENTVM.

**Cuius nam propria functio ſit, aquam, de qua agimus, benedicere.**

### *RERVM SVMMÆ.*

1 *Aqua ſancta duplex.*
2 *Aqua ſancta, qua conſecrantur, ſeu etiam reconciliantur Eccleſiæ pollutæ, & interdictæ non poteſt, niſi ab Epiſcopo fieri.*

3 *Aqua ſancta communis, poteſt a quocunq. ſacerdote fieri.*
4 *Aqua ſancta cõmunis, olim fieri debuit ab Epõ.*
5 *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, confici a presbytero ſolo poteſt.*
6 *Magna dignitas ſacerdotum.*
7 *Quales eſſe debeant boni ſacerdotes.*
8 *Sacerdos exiſtens in peccato mortali debet a benedicendo abſtinere.*
9 *Cur ſacerdos nõ alius debeat aquã benedicere.*
10 *Graduum, & officiorum diſtributio eſt in diuinis neceſſaria.*
11 *Natura vnumquodq. decenti ordine diſponit.*
12 *Cæleſtium corporum ordo mirificus.*
13 *Eccleſiaſtica hierarchia in Apoſtolis repræſentata.*
14 *B. Ignatius Iohannis Euangeliſtæ diſcipulus.*
15 *Tribus Leui, ad ſacrorũ miniſteriũ deſtinata.*
16 *Summus ſacerdos tantum, in Sãcta Sanctorũ intrabat.*
17 *Ordines in Eccleſiaſticis perſonis nos excitant ad virtutes.*
18 *Ciuiles etiam reſpublicæ ſacerdotium habuere.*
19 *Eccleſia ordinem obſeruat, in ſacramentis diſpenſandis.*

*Sacer-*



20 *Sacerdotibus multa cõceduntur, quæ alijs ſunt denegata.*
21 *Claues regni cælorum ſoli Petro conceſſæ.*
22 *Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerunt.*
23 *Sacerdotes ſucceſſerunt diſcipulis reliquis adſcitis.*
24 *Chriſtus ordinem miniſtrorum obſeruari uult.*
25 *Vaſa ſacra non poſſunt tangere ij, qui ſacris non ſunt ſaltem initiati.*
26 *Diaconus non debet ſacerdoti Euchariſtiam miniſtrare ex Concilio Nicæno.*
27 *Diaconi ſunt epiſcopi miniſtri, ſed minores presbyteris.*
28 *Diaconis non licet in presbyterorum medio ſedere.*
29 *Laicus (vrgente caſu) poteſt baptizare, non autem communicare quemquam.*
30 *Laicus poteſt ſacram Hoſtiam tollere, ſi cecidiſſet, vbi non adſit ſacerdos.*
31 *Diaconus eſt laico longe dignior.*
32 *Sacerdotis munus non alterius eſt corpus Chriſti miniſtrare.*
33 *Diaconi antiquis temporibus Euchariſtiam miniſtrabant.*
*Euchariſtia olim in manus dabatur, vel ſtatim*

*ſumen-*

*ſumenda, vel reponenda, qui deinde vſus Cõ
cilijs aliquot ſublatus eſt.*

*34 Diaconorum officium præcipuum eſt Epiſcopis
inſeruire.*

## CAPVT QVINTVM.

1 AQuæ benedictæ vſus, † vti diuerſus eſt,
ita eius benedicẽdæ functio diuerſi or-
dinis, ac dignitatis perſonas reſpicit. Al-
tera quidem vtimur, ad conſecrandas,
2 dedicandaſue Eccleſias, ſeu etiam † pol-
lutas reconciliandas, & hæc a ſolis Epiſcopis benedici,
ac ſanctificari poteſt, fitque dum naturalis aqua cum
vino, & cinere miſcetur, vt inquit Inno. cap. propo-
ſuiſti, & cap. aqua, extra de conſecrat. eccle. vel alta. In-
ſtar cineris Vitulæ, quæ veteri teſtamento ſanguine
aſpergebatur, vt Leuit. 4. legitur. Cuius quidẽ benedi-
cendæ aquæ, ac dedicationis, & reconciliationis faciẽ-
dæ modus diligenter præſcribitur in Pontific. Rom.
par. 2. de eccleſ. dedic. & de illius reconciliat. Cuius li-
bri autoritas probata, & publica eſt. clem. 1. §. nos au-
tem, ver. Pontificali. Vbi Condin. de iure iur. Hoſt. in
cap. conſuluit, de ſer. non ordinan. Sed quia huius
aquę tractatio huc non ſpectat, idcirco conſulto illam
3 præterimus. † Altera vero a quocumq. poteſt presby-
tero benedici. Et hæc illa eſt, de qua breuiter tractare
decreuimus. Huius igitur aquæ benedictio pertinet,
(vt di-



(vt dictũ eſt) præcipue ad ſacerdotes: dicimus autẽ, ad
ſacerdotes, ad differentiam aliorum, qui non ſunt ſa-
cerdotes, nec eam benedicere poſſunt. Et quamuis in
apoſtolica cõſtitutione ex perſona B. Matthæi ſupra ci
4 tata † ea Epiſcopis benedicenda mandetur, & eorum
defectu ſacerdotibus: Tamen hodie (Epiſcopis ob va-
rias occupationes impeditis) communiter inferiores
ab Epiſcopis ſacerdotes id faciunt. Ita ſtatuit & Alex.
Pont. cum aquam ipſam pręciperet benedicendam,
ſubijciens: *Quod & omnibus ſacerdotibus faciendum
eſſe mandamus*. Idque B. Iſidorus Epiſcopus Hiſpa-
lenſis in epiſt. ad Ludifredum, alias Lantfred. ſenſiſſe
videtur, dicens, vt Gratianus quoq. refert in cap. per-
lectis. §. ad presbyterum 25. diſt. Burchardus lib. 3.
cap. 50. Iuo par. 6. cap. 20. Panormia lib. 3. cap. 41.
5 † *Ad Presbyterum pertinet Sacramentum corporis & ſan-
guinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, &
benedicere dona Dei*. Quod ſi a quouis alio benedica-
6 tur, reijcitur a ſacris Theologis in 4. diſt. 12. † Magna
quidem dignitas eſt ſacerdotum, propterea S. Auguſt.
dicebat: *O veneranda ſacerdotum dignitas, in quorum
manibus Dei filius, velut in vtero Virginis incarnatur. O
felices ſacerdotes, ſi ſacerdotaliter vixeritis. O venerabi-
7 lium ſanctitudo manuum*. † Eam vero debemus vitam
ducere, quæ pertinet ad ſacerdotem, eius præcepta ſer-
uantes, qui cum de benedicendo loqueretur, dixit
Deuter. cap. 21. *Sacerdotes accedant ad me, & benedi-
cant in nomine meo*: ac ſi dicere voluiſſet, vt pręclare no-
tat B.

tat B. Vincentius Ferrerius de Valentia de benedictio-
8 nibus aquæ, & virtutibus eius, diſt. 21. † quod qui in
peccatis mortiferis fuerint, a benedicendo abſtineãt.
*Longe enim a peccatoribus ſalus*, inquit Dauid pſalm.
118. Et ideo cum B. Cypriano ſerm. 6. de orat. Domi-
nica dicendum: *Quando ſtamus ad orationem fratres
dilectiſſimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde de-
bemus. Cogitatio omnis carnalis, & ſecularis abſcedat, nec
quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod preca-
tur.* cap. quando. de conſecr. diſt. 1. In quem locum
Martin. Nauarr. comment. conſcripſit de oratione, &
hor. can.

Quod ſi miretur quis, cur proprium Sacerdotis, &
9 non aliorum ſit munus aquam benedicere, † reſpon-
dendum arbitramur, quod non ſolum indecens non
10 eſt hæc officiorum, † graduumque diſtributio, verum
etiam apprime neceſſaria, imo naturæ ipſi plurimum
11 conſentanea, † quæ ſuo quæque diſtinguit ordine
12 quam decenter. † Quippe cæli præſertim ſuper ele-
menta poſiti conſpiciuntur, & in terram, quæ omni-
bus ſubeſt, influunt virtutes, vt bene diſſerit Franci-
ſcus Georg. in lib. ſuo harmonię mundi, & Sixtus Vi-
cedominus nunc meritiſſ. Epiſcopus Mutinenſis in
ſuis concluſionibus impreſſis Bononiæ, vbi diligen-
tem connectit catenam rerum omnium, quatenus ſu-
periora inferioribus viciſſim reſpondeant, congruant-
que. Pari ratione inter cæleſtes Spiritus hierarchiarum
ordo videtur, quæ adeo ſunt bene diſtinctæ, vt ſemper
ſupe-



ſuperiora inferioribus pręſideant, & ſic nobis diuina
13 diſpenſent. Ita S. Dionyſius † Eccleſiaſticam hierar-
chiam in Diſcipulis, & Apoſtolis inſtitutam fatetur.
Nempe Pontificibus, vt ſubſint Sacerdotes, his vero
deinceps alij inferiorum ordinum miniſtri. Ideo
14 † S. Ignatium Io. Euangeliſtæ diſcipulum, & Dionyſij
coætaneum ſæpe in ſuis epiſtolis, & maxime ad Tral-
lianos Epiſcopos, ſacerdotum, atque diaconorum le-
15 gimus ſeruato ordine mentionem feciſſe. In † lege
quoq. veteri tribum Leui tantum ſacrorum miniſte-
rio deſtinatam ſcimus, cuius ſummus ſacerdos ſanctis
veſtibus decoratus, oleoque ſancto vnctus fuit, Exod.
16 28. & 29. † Ipſiq. ſoli prę cęteris ſacerdotibus fas erat
in Sancta Sanctorum ſemel ſingulis annis introire, vt
inquit Paul. Apoſt. Hebr. 9. cum conſentaneum ſit, ſa-
cerdotem alterum alteri præferri, eique pręſertim, qui
non eſt ſacerdos ſecundum graduum varietatem. Qui
17 † quidem ordines, non ſolum nos excitant ad virtu-
tem, ſed & diuinam quoque ſapientiam manifeſtant,
quæ omnia numero, pondere, & menſura creauit.
18 Quod ſi ad profana reſpiciamus, ne † ciuilem qui-
dem Remp. ſacerdotibus, aut Pontificibus caruiſſe re-
periemus, vt apud Titum Liuium legitur de Numa
Pomp. & de ſacerdotibus Aegyptijs Gen. 47. Iure igi-
19 tur † mater Eccleſia ſpecialem hunc in ſupernaturali-
bus pręſertim ſacramentis diſpenſandis ordinem ſer-
20 uat, multaſque circa illorum adminiſtrationem † ſa-
cerdoti contulit pręrogatiuas, quas alijs cẽſuit eſſe ne-


gandas.

gandas: quinimo ipſe Chriſtus Dominus noſter cla-
21 ues Regni cęlorum † ſoli Petro tradere voluit Matth.
16 *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccle-
ſiam meam.* eique vndecim alijs adſcitis coapoſtolis.
Deſignauit autem & alios ſeptuaginta duos diſcipu-
los apud Luc. 10. Vnde Gratian. in cap. in nouo. 21.
22 diſt. ait. † Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerũt, & † reliquis
23 diſcipulis ſacerdotes: porro autem, ſi alter alteri ordi-
24 nate non præeſſet, non dixiſſet † Chriſtus Luc 12. *Fi-
delis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper fa
miliam ſuam.* Ideo B.Paul. ad Rom. 12. *Sicut in vno
corpore multa membra non eundem actum habent, ita mul
ti vnum corpus ſumus in Chriſto.* Et Epheſ. 4. *Alios dedit
Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Doctores, alios paſto-
res.* Quem ordinem in ſacro miniſterio diſtincte ob-
ſeruat, & docte etiam Sotus in 4. diſt. 13. art. 1. quæſt.
1. & Turrian. in lib. de Hierarchicis ordinationibus
miniſtrorum Eccleſię Catholicę, maxime in cap 22.
lib. 2. & ante eos Albert. Pighius in lib. de Eccleſiaſt.
hierarch. Patet igitur, quod inter eos, qui diuino cultui
ſunt adſcripti, debet eſſe graduũ ordo diſtinctus, nec
alter alterius munera promiſcue, ac inordinate ſubire.
Et, ut propius ad rem noſtram accedamus, cauit Eua-
25 riſt. Pont. † ne religioſi, qui ſacris initiati nõ eſſent, ſa-
cra vaſa tangerent. Quod optime conſiderat Turrian.
contra Magdeburgeſ. lib. 3. pro Epiſtolis Pont. cap. 6.
in princ. Hinc Nicęna Synodus 1. cap. 14. abſurdum
26 credidit, † ſacram communionem ſacerdoti diaco-
num



num miniſtrare, ſic dicens: *Peruenit ad ſanctam ſyno-
dum, quod in nonnullis locis, & ciuitatibus diaconi dant
presbyteris Euchariſtiam, quod neque canon, neque con-
ſuetudo tradit.* Et paulo inferius: *Hæc ergo omnia auſe-
rantur, & diaconi intra ſuas menſuras permaneant, ſcien-
27 tes, quod ſunt quidem † Epiſcopi miniſtri, presbyteris
28 vero minores.* Tum quoque: *ſed nec † in medio quidem
presbyterorum, liceat diaconis ſedere*; quod ibi Theo-
dorus Balſamon luculenter exponit, & idem ſtatuitur
in ſynodo Aquiſgranen. ſub Ludouico Pio 1. cap. 41.
29 Hinc decretum fuit, quod quamuis † laico, vrgente
caſu, liceat aliquando baptizare, non tamen permitti-
tur vnquam, vt poſſit ſanctiſsimam populo Euchari-
ſtiam miniſtrare. Cum ea nõ ſit adeo neceſſaria, prout
baptiſma. Pelbartus in Roſar. Theolog. tom. 4. ver. Eu-
chariſtia V. §. 23. verſ. Tredecimo. Caieta. in ſumm.
ver. Communionis miniſter, alijq; paulo inferius ci-
tandi. Quamquam S.Thom. in 4. diſt. 13. quęſt. 1. art.
3. ad 5. Pet. de Palud. in ea. diſt. 13. q. 1. concl. 4. & Sil-
30 ueſtr. in verb. Euchariſtia 3. q. 4. concedunt, † laicum
poſſe e terra (quando ibi ſacerdos non ſit) hoſtiam tol-
31 lere, ſi forte fortuna cecidiſſet. Præterea † diaconus,
qui dignior laico eſt, non poteſt niſi maxima neceſſi-
tas id requirat, & tunc permittente Epiſcopo, aut cura-
to, ſanctiſſimam ad infirmos communionem deferre,
vt conſiderauerunt Alex. de Ales. quæſt. 50. & S.Tho.
par. 3. quæſt. 82. art. 3. Ricard. in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1.
Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 3. tertia concluſione.

 Ioſeph

Ioſeph. Angles. in florib. Theolog. de ſacr. Euchariſt.
32 miniſtro, par. 1. 2. difficultate, concluſ. 3. † Proprium
igitur ſacerdotis munus eſt, hoc auguſtiſſimum cor-
33 poris Chriſti ſacramentum miniſtrare. † Quamuis
diaconos tempore Iuſtini martyris id ſæpe feciſſe
apud vetuſtiſſimos reperiamus, vt in eiuſdem Iuſtini
Apologia 2. continetur, qui docet conſecrata per Prępoſitum, panem, ſcilicet, & vinum & aquā diaconos præſentibus diſtribuere, & ad abſentes deferre. Quod & ex S. Ambroſio lib. 1. offici. cap. 41. dum de B. Laurentio loquitur, licet intelligere. Sed & tempore S. Cypriani id quandoque factū fuiſſe legitur in lib. de lapſis, & etiam in ſynodo Nicæna, cap. 20. prout narratur in Eccleſiaſt. hiſto. lib. 1. cap. 6. nec non in ſynodo Carthagin. IIII. can. 38. Quinimo antiquiſſimus erat in Eccleſia vſus, vt ſacra Euchariſtia in manus traderetur, vt teſtatur Tertullianus, lib. de oratio. cap. vlt. his verbis: *Accepto corpore Domini & reſeruato, vtrumq. ſaluum eſt, &c.* S. Cyprian. ad Thibaritanos, epiſt. 56. quæ eſt lib. 4. epiſt. 6. *Armemus*, inquit, *& dextram gladio ſpiritali, vt ſacrificia funeſta, & Euchariſtiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipſum cōplectatur poſtea a Domino ſumptura premium, &c.* Et lib. de lapſis: *Et quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat.* Quo pertinere videtur & illud Clementis Alexandrini lib. 1. Stromatum: *Permittitur*, ait, *vnicuique Euchariſtiæ diuiſæ partem aſſumere.* Et Dionyſ. Alexandri. in epiſt. ad Sixtum Pontificem, apud Euſeb & Nice-

pho-



phorū: Acceptam vero Euchariſtiam, vel ſtatim ſumebant, vel domum reportabant, ſumptionem differentes in opportunius tempus; vt indicare videtur S. Ambroſ. in oratione ſua ad Theodoſium Imperatorem, cum prohiberet illum a templi ingreſſu, quam videre licet apud Theodoretum, & in oratione in funere Satyri Fratris; & S. Hierony. in epiſtola ad Theophilum contra Ioannem Hieroſolymitanum; & in Apologia ad Pammachium pro libro contra Iouinianū. Quæ diu poſtea perdurauit; & ſublata eſt a Concilio Cęſarauguſtano, cuius can. 3. anathematizatur qui Euchariſtiæ gratiam acceptam in Eccleſia non conſumpſerit. Sed & conſuetudo hæc tradendi in manus ſacram Euchariſtiam ſublata eſt poſtea a Concilio Rothomagenſi can. 2. quo cauetur, vt non niſi in os immittatur a ſacerdote, quemadmodum hodie obſeruatur.

Erat & ſimilis conſuetudo, qua laicis & pueris nonnunquam dabatur Euchariſtia deferenda ad infirmos, vt colligere licet ex hiſtoria Serapionis apud Euſebium, & ex præcitata Dionyſij Alexandrini epiſtola, quę & ipſa reuocata eſt a Rhemēſi Concilio, can. 2. vt refert etiā Burcard. lib. 5. cap. 3. Iuo par. 2. cap. 39. Pannormia lib. 1. cap. 154. & Gratianus de conſecra. diſt. 2. cap. Peruenit. Quæ & accurate animaduertit, vt ſolet omnia Iacob. Pamel. ad S. Cypria. lib. de lapſis nu. 82. & 92. & ad Tertullian. lib. de oratio. nu. 1. & quæ, vt ſcitu valde vtilia his addere libuit. Cæterū m.

B. Iſid.

34 B. Iſid. ad Ludifred. docet, † diaconorum præſertim eſſe Epiſcopis ſeruire, cuius verba ſunt hæc in cap. perlectis. 25. diſt. *Ad diaconum pertinet ſacerdotibus aſſiſtere, & in omnibus miniſtrare.* Iure autem poſtea eſt hæc facultas a diaconis ad ſolos ſacerdotes deuoluta, vt aſſerit Michael Medina in lib. de ſacrorum hominum origine, cap. 34. & 35. Quemadmodum igitur pleraque alia munera ſpecialiter ſacerdotibus ſunt conceſſa, non cæteris: ſic merito ad eoſdem ſolos pertinet aquam benedicere, non ad alios inferioris ordinis; idque mirum minime videri debet, cum rationi valde cõſentaneum ſit, hominem magis ſacrum (qualis eſt ſacerdos) eumque ſolum debere publice a Deo beneficia exorare quæcumque in benedicenda aqua petuntur. Cum igitur ad eum hæc præſertim benedictio pertineat, operæpretium eſt, vt ſacerdoti benedicturo aliqua præcepta tradamus, quæ interius, exteriuſque ſeruare illum oporteat; ad hoc, vt aqua ipſa tanto magis conſequatur eam, quam illi Deus virtutem, ad fidelium vtilitatem (precante ſacerdote) concedit.

## ARGVMENTVM.

Quænam illa ſint, quæ ſacerdotem interius præparare oporteat, antequam aquam benedicat.

## RERVM SVMMÆ.

1 *Tria ſunt ad orationem neceſſaria.*

*Caſu*



2 *Caſu fortuito minime orandum.*

3 *Agens agit ſemper propter finem.*

4 *Oratio præcipue, quæ ad Deum dirigitur, debet ad finem aliquem dirigi.*

5 *Pronuncianda ſunt perſpicue verba orationis.*

6 *Orationem facturus, debet ſe omnibus purgari peccatis.*

7 *Confeſſio debet præcedere orationem ex Conſilio, non ex neceſſitate.*

8 *Magni ponderis eſt munus aquæ benedicendæ.*

9 *Benedictio non rite facta, in maledictionem abit.*

10 *Ante benedictionem aquæ diligens facienda eſt præparatio, & præſertim ad Deiparam Virginem recurrendum.*

11 *Virgo beatiſſima præ cæteris omnibus Deo ſumme cara.*

12 *Virginis beatiſsimæ Encomium Latinis carminibus.*

13 *Beata Maria de Montibus, Romæ celebris.*

14 *Miraculum Romæ contigit, circa podagræ morbum.*

15 *Carmina Ferdinandi de Torres.*

16 *Beatus Franciſcus de Aſsiſio, orandi ſcientiſſimus ac feruentiſſ.*

*Fran-*

*17 Franciſcanæ Religionis ac familiæ inſtitutor.*
*18 Sixtus Quintus ſummus Pont. ex Franciſcana familia.*
*19 Oratio catenæ aureæ aſsimilatur, ſecundum Dionyſium.*
*20 Orans rapitur in cælum.*
*21 Orandi tempus obſeruandum.*
*22 Oratio debet multas habere qualitates.*
*23 Oratio de ore pronunciantis ſuſcipitur ab Angelis.*
*24 Plus aliquando lucratur uetula quæpiam orãdo, quam mille milites præliando.*
*25 Orandum ad Symeonis exemplum.*
*26 Orationis mira virtus: Ac ad id plura apud Eborenſem extare exempla.*
*27 Dæmones ſtudioſi ſatagunt nos ab orando diuertere.*
*28 Falx orationis quæ.*
*29 Mozmor in quinquaginta pſalmis David.*
*30 Makmer falcem ſignificat.*
*31 Oratio ſancta aſsimilatur falci.*
*32 Locus Hieremiæ 3. Threnorum declaratur.*
*33 Orationis modus, & qualitates variæ colliguntur ex multis autoribus.*

CAPVT



## CAPVT SEXTVM.

ILla quidem eſt omnium Theologorum
conſtans ſententia, quam etiam profitetur expreſſim Zoar Hebræus, dum de
1 oratione diſſerit, † quod tria ſunt potiſſimum neceſſaria ad orationem faciẽdam, quæ dirigatur ad hoc, vt Deus Opt. Max. nobis gratiam, aut benedictionem quampiam conferat.
2 Mens. videlicet primum, † quia non caſu fortuito debet quiſquam ad orandum accedere, ſed probe noſſe, ac ſpeciatim intelligere, quidnam ſit a Domino petiturus. Deinde requiritur intentio, vel ſcopus, quo ten-
3 dat oratio, quia ſicut † omne quod agit (vel ipſa natura compellente) agit propter finẽ, vt omnes Philoſophi tradidere, ita multo magis actio tam præclara, qualis
4 eſt † oratio ad Deum directa, debet finem aliquem præſeferre, eumq. Deo ſummo gratiſſimũ. Deniq. ne-
5 ceſſaria ſunt in oratione verba: † quia perſpicue debet enunciari id omne, quod conſequi cupit oraturus; quod quidem de vocali oratione intelligimus, vt inferius cap. 7. num. 3. eſt explicatũ. Cum igitur ſacerdos, qui aquã ſanctificare deſiderat, debeat hoc ipſum oratione mediãte conficere, conſentaneũ admodũ hone-
6 ſtum, atque decens eſt, † vt ſeipſum in primis diligẽter expurget, & ab omni peccatorũ ſorde per pænitentiam ſe lauet, cõteratur & confiteatur ſcelera cũcta, vt nitidus poſſit ſermonẽ habere cũ Domino. Et quam-
7 uis hoc † non ſit præciſe neceſſarium, vt pote cum be-

nedictio ſit etiã eo prætermiſſo valitura: eſt tamẽ opti-
mi, ſanctique conſilij, id quaſi neceſſarium exiſtima-
re, vt hilarius poſſit ad Deũ accedere, & tutiſſime diui-
nam gratiam promereri, necnon ſuæ petitionis effe-
ctum. Quis enim reperietur adeo vecors, ac ſtolidus,
qui ad Principem hominẽ accedat, non dicam bene-
ficium aliquod petiturus, ſed tantum locuturus ad ip-
ſum, ſi ſe illi ſentiat vel ſciat inuiſum, aut quod ma-
gis eſt, etiam iniurium? Multo igitur minus acceden-
dum erit ad Principem verum, ad Regem, ad Impera-
torem omnium Regum, Principum, atque Imperato-
rum, non tantum, vt loquamur cum ipſo, ſed vt peta-
mus ab eo munus, & tale quidem munus, quod tanti
8 ſit precij, quanti † eſt Dæmones eijcere, pacem, fertili-
tatem, bonam valetudinem, aliaque plura commoda
obtinere. Maxime itaque cauendum eſt, ne ad bene-
dicendum accedamus abſque diuinæ gratiæ argumen
tis, multoq. magis, ne addicti, ſeu deuincti ſimus dæ-
monijs ob peccata noſtra: quippe quoniam, *Qui facit*
*peccatum, ſeruus eſt peccati*. Eam ob cauſam Deus in
Deuteron. cap. 21. dicebat: *Sacerdotes accedant ad me,*
*& benedicant in nomine meo.* Accedant, ſcilicet per cõ-
feſſionem, pænitentiam, & debitam contritionem, ac
deinde benedicant in nomine meo. Ob id etiam Pro-
9 pheta Malachias cap. 2. dicebat. † *O ſarcerdotes, ſi nolue-*
*ritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis glo-*
*riam nomini meo, vt ait Dominus exercituum, mittam in*
*vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris.* De-
bet igi-



bet igitur ſacerdos, dum ſe ad aquam benedicendam
accingit, illud præſertim intendere, vt optet, & petat a
Domino ea tantum, quæ ad animæ, tam ſuæ, quam
aliorum ſalutem pertineant; & hac intentione iugiter
retenta, petat alacriter, quia effectum ſine dubio ſua
conſequetur petitio: quemadmodum & S. Baſilius
dicebat, & S. Auguſtinus, quos refert, ac ſequitur S.
Thom. 2.2. q. 83. art. 15. & 16. Id etiam confirmat
Nauarrus in tractatu, quẽ edidit de oratione, cap. 19.
num. 164. necnon in libello de ſilentio in Diuinis
offic. exhibendo. Potiſſimum vero expediet, ſi ad
10 † Beatiſsimam Virginem Deiparam, hominumque
aduocatam ſe ipſum conuerterit, vt interceſsionẽ pro-
11 mereatur eiuſdem. Eſt enim ea tam † Deo cara, tantis
exornata, & cumulata benedictionibus, vt enarrari,
aut recenſeri nulla prorſus eloquentia poſsint; quem-
admodum licet abunde colligere ex Petro Caniſ. de
corruptelis verbi Dei, in eo quem ibi librum exarauit
copioſiſsimum de hac intemerata, ſanctiſsimaq. Vir-
gine. Teſtatur id ipſum quoque Petrus Comeſtor,
qui Eccleſiaſticam ſcribit hiſtoriam, dum de eadem
ſacratiſsima Virgine ijs carminibus concinit:

*Si fieri poſſet, quod arenæ, puluis, & vndæ,*
*Vndarum guttæ, roſæ, gemmæ, lilia, flammę,*
*Æthera, cælicolę, nix, grando, ſexus vterque,*
*Ventorum pinnę, volucrum, pecudum, genus omne,*
*Siluarum rami, frondes, auium quoque pennę,*
*Gramina, ros, ſtellę, piſces, angues, & ariſtę,*

*Et lapides, montes, conualles, terra, dracones,*
*Linguę cuncta forent, minime depromere poſſent*
*Quę ſit, vel quanta Virgo Regina Maria,*
*Quę tua ſit pietas, nec littera, nec dabit ętas.*

Quod vero præſentiſsimum ſit ea Virgo ſubſidiũ
omnibus eam humiliter, ac deuote rogantibus, vel
vnum poteſt ſatis exemplum, illudque recentiſsimum
confirmare, quod Romæ nuper contigiſſe audio, vbi
ob miraculorum ingentium frequẽtiam colitur præ-
13 cipue Virgo ipſa Deipara, in Eccleſia Beatæ † Mariæ,
quam de Montibus appellant; cum enim podagræ
14 morbo, † qui quidem miſere torquere plerumq. ſolet,
nobiles viros, ad exitium fere laboraret vir omni officio & humanitate præditus Ferdinandus de Torres, nullumque ad id remedium (quod & omnibus fere accidit, qui ægritudine illa vexantur) ex humanorum medicorum conſilijs comparare poſſet; Ad miſericordiæ, pietatiſq. Matrem intima deuotione conuerſus, impetrauit ex eius precibus a Deo Opt. Max. dolorũ ac morbi vis leuamen maximum, membrorumque vſum a multo quidem tempore fere deperditum, ex eiuſdem Virginis interceſsione recuperauit; cuius beneficij magnitudinem pie teſtatus eſt, & picta, quod & alij ſolent, tabella, & carmine hoc elegantiſsimo:

15 *† Terra, ſeu denſis tegeretur vmbris,*
*Siue ſol noctis tenuaret vmbras:*
*Lucis extinctę rutilo nitore*
*Damna reponens.*

*Semper*



*Semper angebat nimio dolore*
*Corpus affectum crucians podagra*
*Conterens artus gelidos ſenecta*
*Feruidus ardor.*
*Cumque iam tandem moribunda membra,*
*Et pedum attritos, manuumque nodos,*
*Sępe fruſtratus medicis, nequirem*
*Arte leuare;*
*Virgo quę cæli reſidens in arce*
*Montium gaudes titulis vocari,*
*Hic, vbi & templum tibi dedicatum*
*Surgit in aſtra;*
*Ad pias verſus lachrymas preceſque,*
*Et tuum numen veneratus alma*
*Virgo, mox ſenſi minui dolores*
*Corpore toto.*
*Quis neget tantum precibus moueri*
*Matris? humanus capere haud potens eſt*
*Senſus, vt mater ſubito iacentem*
*Subleuet ęgrum.*
*Ergo vt laudes, meritoſque honores*
*Concinam, digne veniens in ęuum:*
*Da mihi, & poſſim Pario dicare*
*Marmore ſignum.*
*Interim compos opis inuocatę*
*Ad tuas aras varijs quaſillum*
*Floribus plenum, ſimul & ſacratam*
*Thuris acerram.*

*Nunc*

*Nunc reus voti meritam tabellam*
*Et dico, & pono memor, & beatis*
*Queſtibus ſupplex rediuiuus aris*
*Oſcula figo.*

Huius autẽ ornatiſsimi viri mentionẽ libentius eo fecimus, quod genitor ſit Ludouici de Torres S.D.N. in vtraq. ſignatura Referendarij pietate, prudentia, & doctrina præſtantis: Nepos autem Ludouici ſenioris Archiepi Salernitani deceſſoris noſtri, cuius in adminiſtrando eo munere magna laus fuit: Frater vero alterius Ludouici Archiepiſcopi Montis regalis Cameræ apoſtolicæ Decani, qui vt ob egregias animi dotes in omniũ oculis ferebatur, ita recentem eius obitum boni omnes iure moleſte ferunt.

Vt igitur ad rem noſtram redeamus, debet ſacerdos ad benedicendam aquam accedens, toto ſpiritu ad Deum conuerti, atque animi vim effundere erga Virginem beatiſsimam, vt per eam poſsit facilius obtinere quod cupit, ac præcipue illud intendere, & precari, vt aqua illa, quam ipſe benedicit, plenam ſanctificationem obtineat a Deo, & effectus omnes paſſim operetur, quos ſancta mater Eccleſia cupit, ac flagitat: ſicque debet ex viſceribus cordis huiuſmodi virtutem ipſe quoque deuotiſsime poſtulare, vt voti compos efficiatur. Quod ſi cupiat efficaciſsimum orandi modum ediſcere, proponat ſibi ad imitandum glorioſum
16 illum, ac ſeraphicum patrem B. † Franciſcum Aſsiſinatem, qui fuit princeps, & inſtitutor ſanctiſsimæ
illius



17 illius † familiæ, ac religionis, quæ floruit ſemper, atq. floret hac præſertim ætate noſtra, ſub nomine Franciſcanorum, ex qua veluti campo feraciſsimo fructus præclariſsimi, hoc eſt viri ſanctiſsimi prodierunt, ex qua Romani aliquot Pontifices etiam emicuere, quos & ſanctitate, & prudentia, & in Deũ pietate non ęquat modo, ſed generoſe ſuperat Pontifex, qui nunc ſum-
18 mus, atq. ſanctiſsimus regnat, ſub feliciſsimo † SIXTI QVINTI nomine. Legitur nanq. de ſeraphico illo Sãcto, quod rapiebatur in ecſtaſim cum oraret, & quaſi extra ſe ipſum exibat, maxima cum admiratione illorum, qui aderant. Nec tali contentus lætitia, quæritabat adhuc ſæpiſsime locos maximæ ſolitudinis, & Eccleſias (ſi quæ fuiſſent) deſertas, ac ſemidirutas, vt attentius & efficacius orare poſſet. Quemadmodum ex B. Bonauẽtura refert doctus vir Aloyſius Lippomanus in uita illius inclyti Patris apud Surium tomo. 5 in menſe Septembri, cap. 10. Nec ab re quidem
19 Dionyſius comparabat † orationem aureæ cuidam catenæ, quæ a ſummo cælo in terram vſque pertingeret, quæ videatur quaſi a Dei manu emiſſa: & quamuis omnes illi, qui eam apprehendunt, videantur eam quaſi ad ſe ipſos trahere, vere tamen trahuntur ipſi potius ab ea vſque ad cælum; ſi illam ipſi non deſerant. Aptiſsima quidem videtur hæc orationis ſanctæ figura; quippe quæ primo quidem aſpectu cæleſtia bona e cælo ad ſe ipſum trahere velle videtur qui orat: ſed re-
20 uera tamen † rapitur ipſe potius in cælum, precibus,
atque

atque præcordijs,indeque tandem gratiam,auxilium,
fauoremque diuinum reportat. Et vt ſummatim ali-
21 quid de oratione dicamus; non ſolum † debet aptum
ad eam eligi, atque obſeruari tempus, vt tradit poſt
alios Marcellus Francolinus vir doctus & pius, in ſuo
22 lib. de temp. horarum canon. † Sed debet eſſe deuota,
perſeuerãs,pura,humilis,cum charitate:quia rite pro-
23 cedens de ore orantis † ſuſcipitur ſtatim ab Angelis,
24 & ante Deum offertur, † pluſque aliquando lucra-
tur vetula quæpiam deuote orando, quam mille ar-
mati milites præliando,vt dicit Alex. Anglus in ſum-
ma Deſtructoriũ vitiorum, par.4.cap. 35.nu.1.Opti-
mum vero fuerit orationem in ſpiritu potiſſimum
25 agere, † ad Symeonis exemplum, vt Luc. 2. traditur,
qui dicitur quandoque accepiſſe reſponſum, non vi-
ſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domi-
ni;ſicque ad Templum acceſſit in ſpiritu,& vidit aper-
tiſſime Saluatorem;& ita Io.4. docemur: *Spiritus eſt Deus, & eos,qui adorant eum,in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Hoc itidem modo conſolabimur etiam
nos a gratia diuina; ſi eodem animi feruore, eademq.
in Deum propenſione ad Templum accedemus,ean-
demque catenam apprehendemus; vt pie admodum
meditatur Hector Pintus ſuper Eſa. cap. 56. circa illa
verba: *Domus mea,domus orationis vocabitur cunctis populis*.

Quod autem mira ſit efficacia orationis, quoties
deuota dirigatur ad bonum;perſpicue poterit quilibet
intelli-



intelligere ex Leonardi Vairi lib.3. de faſcino,cap.10.
26 † iaculo 11.Sed in hanc rem plura licet exempla vide-
re apud And. Eborenſem tom 2. tit. de orationis vir-
tute. Vt autem nos arceant ab actu tam proficuo dæ-
27 mones, † incredibiles nobis quotidie, & in momen-
ta parant inſidias;& ideo ſecretiores ſymbolicę Theo-
logiæ doctores dicunt,quod aduerſus dæmones neceſ
28 ſaria eſt † falx orationis,prout appellatur,vt prædictas
inſidias euitemus,& ſuperemus: Iuxta quos illud item
eſt obſeruandum, quod in quinquaginta præcipue
29 pſalmis Dauid reperitur hæc vox מִזְמוֹר † Mizmor,
qui numerus eſt myſterio refertus,cum ex ſeptimo ſe-
ptenario conficiatur,addita vnitate,ſecundum ea,quę
diximus ſupra in cap. de ſeptenario numero,& deriua
30 tur ea vox Mizmor, a voce iſta מַזְמֵר † Mazmer, quę
ſignificat falcem; neq. ob aliam cauſam ipſa vſurpata
videtur a Propheta Dauid,niſi quia ſicut falx præcidit
31 herbas in animaliũ cibũ,† ita oratio denſiſsimos ma-
lignorum ſpirituũ cuneos, qui aerem hunc circum-
ſtant,penetrat,ac deijcit, vt liberius animæ paſcantur;
ſicut magno cum myſterio conſiderant myſtici Theo
32 logi. † De hac ipſa oratione loquebatur Hieremias in
3.Threnorum in littera ס Samech. cum vice populi
Iudaici dicebat: *Appoſuiſti nubem tibi,ne tranſeat oratio*; & paulo poſt in littera ג Ghimel, cum dixit: *Sed cum clamauero & rogauero, excluſit orationem meam*.
Ad recte autem orandum multæ requiruntur cir-
cumſtantiæ, multæ quoque ſunt adhibendæ conſide-



rationes:

33 rationes: quas licet colligere † ex pluribus autoribus, qui ex profeſſo ex ſanctorum Patrum autoritatibus de oratione pertractant; maxime autem ex libro, qui dicitur, Antidotarium animæ, tract. 11. ex Roſario Theologiæ in verbo, oratio, ex Alexandro Anglo in ſumma nuncupata, Deſtructorium vitiorum, par. 4. cap. 36. num. 1. & cap. 39. num. 4. ex Simone de Caſſia, de ſermone montano Saluatoris lib. 10. cap. 26. & ſeq. ex Pico in expoſitione orationis Dominicæ, ex Cardinali Caietano in ſumma, in verb. oratio, necnō ex alijs ſummis vulgatioribus, ex Thoma a Campis cognomento Malleolo. homil. 8. tit. Sine intermiſſione orandum, & in lib. 5. de ordin. ſpirit. exercitij cap. 2. ex Rainer. Piſano in Pantheologia par. 2. in tracta. de oratione, ex Roſar. Buſti, par. 1. ſermone 11. ex Innocentio Sum. Pont. operum ſuorum tom. 1. lib. 4. myſteriorum Miſſæ, cap. 17. & ſeq. ex Cornelio Muſſo Epiſcopo Bituntino Franciſcanæ familiæ concionatore eximio, ac longe pręſtantiſſimo & eloquentiſſimo in ſuo ſerm. Romæ habito anno 1540. ſuper Euang. Duo aſcenderunt in templum, vt orarent, de quibus quidem cicunſtantijs, & requiſitis orationis agemus paulo diligentius in cap. ſubſequenti. Interim vero ſufficit generatim admonuiſſe, quod præcipua illa debet eſſe ſacerdotis cura, dum aquam benedicere, ac ſanctificare deſiderat, vt ſit ad orandum probe inſtructus, & hoc ad interiorem eius admonitionem pertinet: nunc exteriorem recenſeamus, quæ tota circa formam benedicendi verſatur, hoc eſt circa verba ac ſigna, quæ debent a ſacerdote proferri.



## ARGVMENTVM.

Quæ ve item ea ſint, quæ exterius, dum aquam benedicit, præſtare Sacerdos debeat.

## RERVM SVMMÆ.

1 *Oratio quæ requirit vocem expreſſam, & claram.*
2 *Pſallendi vtilitas maxima.*
3 *Oratio vocalis maximæ virtutis.*
4 *Oratio poteſt etiam eſſe mentalis.*
5 *Oratio ad aquam benedicendam, ita debet eſſe vocalis, vt verba ipſa forma ſint eius.*
6 *Forma mutata, actus nequaquam inducitur.*
7 *In conſecratione corporis Chriſti, nullum verbum omittendum.*
8 *Sacramentum operatur ſignificando.*
9 *Significatio materiæ non reſtringitur ad effectū determinatum, niſi per formam.*
10 *Sacramenta nouæ legis id faciunt quod figurant.*
11 *Forma verborum in ſacramentis poſſunt eſſe deprecatiua.*

12 *Oratio,præſertim publica,requirit oĩa verba.*
13 *Sana verba quæ ſint,apud Paul. Apoſtol.2. ad Timot.*
14 *Matrona quædam, ex ſacerdotis conſilio, dæmonium illudit.*
*Forma quæ ſit.*
*Benedicendo aquam ſi quid omittatur,non vitiatur benedictio.*
*Verborum omiſſio in ſacramentis,et ſacramentalibus,quidnam efficiat.*
15 *Aquæ benedictio perficitur duobus mediantibus,ſcilicet verbis, & figuris.*
16 *Oratio ſtillicidium dicitur,ſecũdum Hebræos.*
17 *Multa requiruntur, vt idonea ſit oratio.*
18 *Decem conditiones generales, quæ orationi cõueniunt.*
19 *Conditiones quædam particulares, quæ ſunt orationi neceſſariæ.*
20 *Qui Angelus ſit inuocandus,ad repræſentandum Deo animam defuncti.*
21 *Ignis in altari meo ſemper ardebit.*
22 *In oratione requiritur cognatio, & affinitas quædam cum Deo.*
23 *Oratio requirit,vt Deo appropinquemus.*
24 *Angelus ſex alarum apparere ſolebat B. Frãc. oranti,ex priuilegio ſingulari.*



25 *Orans debet adhærere Deo.*
26 *Ad orationem requiritur vnio quædam cum Deo.*
27 *Creata omnia conficiunt circulum in diuinis.*
28 *Orando deprecamur Deum,& Angelos,vt ad Deum redeamus, vnde ſumus.*
29 *Sacerdotes Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, debent appropinquare Hierarchiæ cœleſti,quoad fieri poſſit.*
30 *Sordidus oculus non poteſt recte inſpicere.*
31 *Orans debet ad parietem vertere ſe,cum Ezechiele.*
32 *Deus ſtat poſt parietem,quomodo intelligatur.*
33 *Deus apparet in nubibus.*
34 *Aqua benedicta conficitur per ſeptem inuocationes.*
35 *Quare ſeptem inuocationes in aqua benedicẽda exigantur.*
36 *Aqua benedicitur per quatuordecim cruces.*
37 *Cruces in aqua benedicenda, quomodo diſtribuendæ.*
38 *Crux a Catholicis non eſt in gyrum formanda, ſed rectis lineis.*
39 *Circuli ſignum dicitur etiã ſignum dæmonis.*

Signum

40 *Signum Crucis Eſaiæ notum.*

41 *Aquam minus rite benedictam, dæmones non pertimeſcunt.*

42 *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*

*Exorciſmorum vſus quando in Eccleſia cœperit, tum & ratio cur aqua exorciʒetur.*

43 *Aqua non poteſt benedici tempore interdicti generalis.*

44 *Benedicens aquam tempore interdicti, an fiat irregularis.*

45 *Aquæ benedictæ portandæ facultas, an vendi poßit.*

46 *Aqua benedicta non poteſt fieri precio, vel dari, quia ſimonia eſſet.*

## CAPVT SEPTIMVM.

EXplicaturus ea, quæ exterius ſacerdotem præſtare oportet in benedicenda aqua; lubet ab eo exordiri, quod Paul. Apoſt. 1. ad Corinth. 14. dicebat: *Si oraueris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ? quomodo dicet, Amen ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit. orabo igitur lingua, orabo & ſpiritu.* Eſt igitur
1 † orationi neceſſaria vox clara: ideo Dauid pſalm. 5.

*Voce*



*Voce* inquit *mea ad Dominum clamaui*. Non enim excitaretur populus ad deuotionem, niſi oratio voce ipſa exprimeretur: vnde inquit Iſidorus in lib. de ſum-
2 mo bono. & Caſſiod. quoque ſuper pſal. † *Pſallendi vtilitas triſtia corda conſolatur, gratiores mentes facit, ſtudioſos oblectat, peccatores ad lamenta inuitat, & ad affectum pietatis animos eorum inducit*. Quod ſi vox non eliceretur, diuerſa populi ac miniſtri eſſet intentio. Idque etiam maxime refert; præſertim quia dum voce oramus, non ſolum anima noſtra intellectualis tollitur in cælum, ſed animalis quoque. Etenim Dio-
3 nyſius Carthuſ. dicebat ſuper pſal. † *Oratio ſacra ad animorum noſtrorum proficit deificationem, & continua ſacratiſſimorum uerborum emologia noſtros habiles habitus, id eſt habitudines, & potentias coadunat, & diſponit ad cæleſtia.* Dauid quoque pſal. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis.* & paulopoſt: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Necnon Damaſc. lib. 4. cap. 4. de fide ortho. quia ex intellectuali & ſenſibili compoſiti ſumus natura, duplicem Cõditori orationem offerimus, quando intellectu pſallimus, & labijs corporalibus: & ideo Cant. 8. in perſona Chriſti dicitur Eccleſiæ: *Fac me audire vocem tuam.* & iterum cap 2. *Sonet vox tua in auribus meis.* & Eccleſiaſt. 39. *Confitemini illi in voce labiorum veſtrorum.* & Eſa. 43. *Populum iſtum formaui mihi, & laudem meam narrabit* Hæc autem de publica oratione dicta intelligantur; non quod neceſſarium
4 ſit, orationem adeo eſſe vocale† non vt ea m poſſit etiã

eſſe

eſſe mentalis, vt communis eſt Theologorum ſenten-
tia. Alex. de Ales 4. par. q. 5. Ricard. in 4. diſt. 15. S.
Tho. 2.2. q. 83. Durand. in 4. q. de oratione: Gabr.
Biel. in canonem Miſſæ, lect. 62. Angelus, & alij ſum-
miſtæ in verb. oratio, poſt S. Auguſt. ad Probam. Vt
quid autem de vocis neceſſitate diſſerimus? Fateamur
tandem ad propoſitum noſtrum, quod exprimere ver-
5 ba voce, † ipſa forma eſt, cui ſane formæ a Deo data
6 eſt ſanctificandi virtus: & ideo ſi mutaretur † forma;
actus quidem (vt bene norunt philoſophi) non indu-
ceretur. Quapropter, ſi in admirabili auguſtiſsimi
7 † corporis Chriſti conſecratione, ex præſcriptis inſti-
tutisque a Saluatore noſtro verbis, vnũ aliquod omit-
teretur, abſque dubio corpus non efficeretur, vti vera
eſt & cõmunis omnium Theologorũ ſententia in lo-
cis inferius citandis. Id autem iure factum eſt, quo-
niam, vt animaduertit S. Thom. in additione ad ter-
8 tiam partem q. 29. art. 7. † quodlibet ſacramentum
(& quod ad noſtrum propoſitum pertinet) vnũquod-
9 que ſacramentale operatur ſignificando, † materiæ
autem ſignificatio non reſtringitur ad effectum deter-
minatum (ſi forte poterit ad plurima referri) niſi per
formam verborum. Ideo in omnibus ſacramentis no-
10 uæ legis, † quæ id faciunt quod figurant, & res, & ver-
11 ba neceſſario concurrunt, † quorum forma poteſt etiã
eſſe deprecatiua, vt vere eſt in ſacramento extremæ
vnctionis, vt aſſerit idem S. Thom. loco citato art. 8.
12 Tunc vero multo magis † neceſſaria ſunt verba, quan-
do ora-



do oratio, aut preces publice fiunt, iuxta eiuſdem ſen-
tentiam 2.2. q. 83. art. 12. quod & ibi Caietan. no-
tat: nec ſatis eſt intentio, ſit illa quantumuis optima, vt
docet Glo. magna in Clem. 1. verſ. Sed dubitatur, de re-
liq. & venerat. Sanctorum, fuſe & Adrian. in quodli-
bet. 8. littera H. Io. Medin. de oratione q. 7. Coſmas
Gumier. in pragma. ſanctio. tit. quomodo dicen. ſit di
ui. off. & Nauarr. de oratione cap. 17. nu. 38. Vnde B.
13 Paul. 2. ad Timoth. cap. 1. dixit: † *Formam habe ſano-
rum verborum, quæ a me didiciſti.* Sana autem verba in-
terpretatur B. Vincẽtius de Valentia, diſt. 21. id eſt, di-
ſtincta, & per affectus nõ diuiſos; vbi vt clarius id expli
14 cet, † adducit exemplum cuiuſdam matronæ, cui ſæ-
pe dæmon apparens, ei in forma ſpecioſi iuuenis ſua-
ues afferebat fructus, eos præſertim, qui eo anni tem-
pore non reperiebantur, quos illa cum videret, quaſi
admirando dicebat Ieus; dæmon vero propterea non
fugiebat: quod cum illa cuidam probo religioſo dixiſ-
ſet, ab eo inſtructa, Ieſus poſtea, non Ieus dicebat; & ſic
dæmon amplius non apparebat. Ideo præcipiebat
Apoſtolus loco indicato, vt ſana verba dicerent, non
inciſa, aut imperfecta; quo ſenſu ſtatuit Concil. Late-
ranen. ſub Innocentio III. cap. 17. & refertur in cap.
dolentes, de celebratione Miſſarum, verba diuini offi-
cij non eſſe ſyncopanda, vt fuſius explicat Coſmas in
pragm. ſanctio. loco proxime ſuperius adducto. Non
enim formæ eadẽ ratio eſt, quæ materiæ, a qua ſi par-
tem demas, reliqua manent: quoniam ſi e forma ali-

 quid

quid minuas, tota corruit. Non eam certe dixerim aquæ benedicendæ formam, quæ tam magno, tantoque myſterio, ac ita ad vnguem ſit ſeruanda, vt in ſacramentis ipſis, quorum forma Chriſti ore eſt inſtituta; Sed eam tamen, quam ſi quis contemnat, ab inſtituto Patrum & Eccleſiæ ritu recedat, contemnenſque hæc omnia nihil agat. Quis enim non videt virũ adeo male affectum, temerariumque, dum virtutes tot a Deo ipſi aquæ benedicẽdę precatur infundi, nullatenus exaudiendum?

Illud vero erit animaduertendum, quod ſi in benedicenda aqua verbum aliquod intercidat, etiam ad orationis perfectionem pertinens; erit tamen aqua benedicta. Pia enim mater Eccleſia in ſtatuto hoc a ſe, præfinitoq. ritu ſacerdotis in primis mentem, & intentionem ſpectat, quemadmodum & in omiſſione verbi, *Enim*, in conſecratione Euchariſtiæ a Theologis conſtanti ſententia affirmatur. S. Tho. 3. par. q. 78. art. 2. ad 5. Alex. Aleſ. 4. par. q. 10. memb. 4. art. 2. §. 3. Scot. in 4. diſt. 8. q. 2. ad 2. Durand. q. 2. memb. 16. Dionyſ. Carthuſ. q. 5. ad 1. Thom. Argentin. 2. ad 3. Gab. Biel. q. 3. concluſ. 2. & in canon. Miſſæ lect. 48. Richard. q. 1. & docet poſt alios Sot. in 4. diſt. 11. q. 2. art. 2. ad 5. & art. 3. & autor tractat. de defect. occurrẽt. in Miſſ. de defect. formę. Qui tamen illud perpetuo docent, vt in ſacramentis omiſſio verborum ſubſtantialium nullũ reddat id quod agitur. S. Thom. 3. par. q. 60. art. 3. & in 4. diſt. 1. q. 1. art. 3. Palud. ibidem

q. 4.



q. 4. Scot. diſt. 3. q. 1. 2. & 3. Bacco. diſt. 4. q. 2. Altiſſio. lib. 4. cap. 4. Carthuſ. diſt. 3. q. 2. Duran. diſt. 1. q. 3. & Sot. q. 1. art. 6. & 7.

15 † Forma igitur aquæ benedicendæ duobus perfici-
tur concurrentibus, verbis ſcilicet & figuris quibuſdã
præciſis, atque peculiaribus. Verborum forma oratio
eſt a ſacerdote dicenda iuxta Eccleſiæ ritum, vt infe-
16 rius patebit. Et vocatur hæc † oratio ab Hebræis,
תְּפִלָּא idest Tephila, quod ſignificat ſtillicidium, &
quaſi fluctitationem, vt ſignificetur, quod per oratio-
nem deuote factam efficitur, vt fluat, & ſtillatim cadat
diuina gratia, & optatos etiam producat effectus. Ve-
17 rum enim vero † multa in oratione requiruntur, vt ea
ſit Deo grata, & afferat fructum, prout in capite pręce-
denti notauimus; multis ad id autoribus cumulatis,
18 & expreſſim ſecundũ Alex. Anglum † decem condi-
tiones, ſeu qualitates videtur expetere; nẽpe, quod ſit
humilis, cum fide perfecta, cum ſpe firma obtinendi
quod petitur; cũ charitatis feruore, cũ ieiunio, & elee
moſyna, cum mente omni iniquitate vacua, cum ma
gna deuotione erga Deum; quod ſit lachrymoſa; quod
ſit diſcreta; quod ſit continua: ſed ijs conditionibus
quæ ſunt plane præcipua, non ab re fuerit alias dili-
genti conſideratione dignas adijcere; & in primis ſe-
cũdum ſecretiores Theologos, vt recte etiam docebat
19 Proclus, requiritur cognitio † diuinorum ordinum,
prout ad inuicem diſtinguuntur: (de his ſcilicet lo-
quimur, qui peritiores ſunt, diſtinctæque orare ſibi

 propo-

propoſuerunt) vt ſciamus particulatim ad quos ſit re-
currẽdum; & ideo ſingula eorum munera debent orã-
ti eſſe nota, ne forte dum Angeli miniſterium ad ani-
mam defuncti Deo repræſentandam implorare vel-
20 les, † Gabrielis auxilium, atque opem expoſceres, cũ
potius tibi ad id muneris Michaelis Archangeli fauor
ſit expetendus. Vnde Eccleſia ait: *Sanctus tuus Archan-
gelus Michael repræſentet eam in lucem ſanctam.* Hanc
autem cognitionem in orante requirendam ignis ille
figurabat, de quo veteri lege cauebatur, vt ſemper in
21 ſacrificijs adeſſet. Leuit. 6. † *Ignis in altari meo ſemper*
22 *ardebit.* Scdo requiritur † cognatio (vt eorũ vocabulis
vtamur) atque affinitas cum Deo, quantum noſtræ po
terunt præſtare vires, ſincere, pure & fideliter operan-
do. Ideo dicitur Matth. 12. *Qui fecerit voluntatem pa-
tris mei, qui eſt in cælis, ille meus frater, & ſoror, et mater*
23 *eſt.* Tertio vero † requiritur, vt appropinquemus Deo,
& quaſi mentis animique acumine diuinam eius eſ-
ſentiam attingamus; quo pertinent illa Beati Ioann.
verba epiſt. 1. cap. 1. cum dixit: *Quod audiuimus, &
vidimus, & contrectauimus de verbo vitæ.* Et ita credẽ-
dus eſt ſæpe feciſſe glorioſus ille Franciſcus, cui ſane
quandoque ex priuilegio admodum ſingulari appa-
24 ruit † Angelus ſex alis pulcherrime exornatus, vt præ-
ter alios teſtatur Burgonouenſ. fol. 134. in ſuo lib.
25 Dogmatũ. Quarto autẽ requiritur, † vt hæreamus, &
quodãmodo ſolidiori ſpiritu copulemur Deo: Vnde
pſal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Quinto
tandem



26 tandem † vnio requiritur, qua quidem poſſimus ani-
mi noſtri cogitata ad Deum deferre, & in eo ſic ſtabi-
les ſimus, vt nihil præter quã Deum ipſum oleamus,
in quo & cuncta noſtra eſſe repoſita exiſtimemus, cu-
ius lumine ad Deum ipſum poſtea ducimur quaſi in
gyrum: cum ex ipſo Deo omnis noſtra exordiatur
operatio, & in ipſo demum terminetur. Si quidem
27 † omnia quæ creata ſunt (vt ex Platonis mente Pro-
clus dicebat) ex Deo profecta quaſi circulari linea ad
Deum ipſum ducũtur. Vt igitur ad Deum, a quo pro-
cedimus, reuertamur, ipſius auxilio indigemus, quod
haud dubium eſt, orationibus impetrari, quibus Deũ
& Angelos eius ſupplices deprecamur, illum quidem,
vt iubeat; Angelos autem, vt ex Dei iuſſu ſenſus, ſermo-
28 nes, actuſque noſtros dirigant, cuſtodiant, † faciant-
que demum, vt illuc opera noſtra perueniant, ad Deũ
ſcilicet ſummum, vnde principium duxerunt. Quæ
omnia in oratione ſane quæruntur: quoniã (vt docet
S. Dionyſius Areopagita in ſua Theologia, ſacerdotes
29 † Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & quotquot ſancte operari
contendunt, cæleſti debent hierarchiæ, quantum fieri
poſſit, approximare; &, vt ille inquit, virtute analogica
comparari, proportione videlicet conformi, & illi con
ſona: & ita poſſent orationes noſtræ diuinæ voluntati
perſpicue reſpondere, & a Domino exaudiri. Omni
igitur crimine purgandus ille eſt, cuius oratio, ſicut
incenſum in conſpectu Domini debet aſcẽdere: ideo
30 dixit Plotinus: † *Sordibus infectus oculus, nec dum bene
purga-*

*purgatus, aut debilis, ſi in ſpectaculum lucidiſſimum intendatur, illico caligabit; oportet enim viſurum videndo cognatum ſimilemque prius effici, quam ad ſpectandum adhibeatur: neque enim oculus vnquam videret ſolem, niſi factus ſolaris; neque animus, niſi factus pulcher, ac diuinus ipſam pulchritudinem & Deum intuebitur; neque lucem ſuſcipiet, niſi factus lucidus & clarus. Hinc Salomon in Prouerbijs cap. 4. Semita iuſtorum ſicut lux ſplendet, vadens, aut perficiens, & lucens vſque ad perfectum diem.*

Vertenda demum tota mens noſtra eſt, atque intentio
31 ad Deum, & imitandus Ezechias, † qui dum vellet
32 orare, vertit ſe ad parietem, ſcilicet ad Deum, † qui eſt
poſt parietem; qui quidem haud poteſt, niſi recto, ac mundo ſpiritu penetrari: cum inter nos, ipſumque ille opponatur murus, quem Ezechiel vidit, eiuſque gloria ſit nobis abſcondita.. Vnde etiam dicitur poſt
33 parietem, & † quandoque in nubibus apparere, vt
Exod. 16. legitur, quod dum Aaron loqueretur ad populum, apparuit ei gloria Domini in nube, & Moſi dixit Deus: *Veniam ad te in caligine nubis*. Exod. 19. Et cum transfiguratus eſt Ieſus, inquit Matth. cap. 17. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.*

Ad rem igitur redeundo, debet oratio dicenda a ſa-
34 cerdote, vt ſanctificet aquam, † ſeptem diuini nominis continere inuocationes myſticas.

Prima quidem, cum dicit: *Adiutorium noſtrum.*

Secunda cum dicit: *Exorcizo te creatura ſalis.*

Tertia cum dicit: *Inuocamus te Domine.*

Quarta



Quarta cum dicit: *Exorcizo te creatura aquæ.*

Quinta cum dicit: *Deus, qui ad ſalutem humani generis.*

Sexta cum ſal in aquam immittitur.

Septima cum dicit: *Deus inuictæ uirtutis.*

Vt propterea merito de ſeptenario numero fuerit a nobis ſupra tractatum.

35 Ratio autem, cur † ſeptẽ inuocationes potiſſimũ in
huiuſmodi benedictione cõcurrãt; illa ſane creditur, quia ſanctificatur aqua in virtute ſeptem donorum Spiritus ſancti, ideoque expreſſe, ac diſtincte ſingulæ ſunt explicandæ verbis. Dicebamus ſupra, quod forma aquæ benedicendę in duobus verſatur, verbis ſcilicet ac figuris. Hactenus de verbis, nũc figuras breuiter demonſtremus.

36 Huiuſce benedictionis † figura quatuordecim per
ficitur crucibus ea deuotione expreſſis, quæ grauem & religioſum virum decet, & tunc faciendæ ſunt, cum
37 ſeptem illæ inuocationes dicuntur. † In prima quidẽ
inuocatione, crux vna fieri debet, in ſecunda tres, in tertia duæ, in quarta tres, in quinta vna, cum dicit: *Infunde benedictionem tuam, &c.* in ſexta ſimiliter vna, cum ſal in aquam inijcitur, in ſeptima tandem tres. Hæ quidem euidenter, ac explicite fieri debent, quemadmodum & verba ipſa diximus clare & explicate eſſe pronuntianda. Ideo B. Paul. ad Philipp. 3. ſcripſit: *Obſeruate eos, qui ita ambulant, vt*
38 *habetis formam.* † Neque crux vlla debet fieri per modum

39 dum circuli, † hoc enim ſignum dæmonis eſt, ſed
dextra ſurſum porrecta; inde quaſi recta ducatur de-
orſum linea, & tranſuerſalis altera extendatur a ſi-
40 niſtro ad dextrum latus. † De quo quidem ſigno Eſa.
49. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego leuaui manus
meas, & exaltabo ad populos ſignum meum.* Maximique
refert hæc ſigna adamuſſim fieri, ac euidenter: legitur
41 enim quandoque, † dæmones nequaquam timuiſſe
aquam ſanctam, quippe quia non fuerit rite benedi-
cta. Sed cum alia poſtmodum, quæ recte, & approbato
in Catholica Eccleſia ritu, ſanctificata erat, fuerit alla-
ta, continuo dæmones aufugiſſe, vt teſtatur B. Vincē-
tius d. diſt. 21. de benedictione aquæ. Debent itaque
ſacerdotes (quorum id munus eſt) ad benedicendam
aquam attente & deuote accedere, diligenter inſtructi
ijs omnibus, quæ dicta ſunt; memores præſertim eius,
42 quod legitur: † *Maledictus homo, qui fecerit opus Dei
negligenter.*

Quoniā vero inter cætera, quæ ſanctificandæ aquę adhibentur, eſt exorcizatio, opportunū erit aliqua de exorciſmi vſu ſtrictim referre, tum etiam & rationem afferre, cur exorcizentur aquæ.

Exorciſtarum ordinem antiquiſſimum fuiſſe in Eccleſia, ac magnā eorum in dæmones poteſtatem, ſatis colligere licet ex Tertulliani libro ad Scapulam, S. Cypria. epiſt. 2. 55. & 76. & aduerſus Demetrianum. Minutio in Octauio.

Exorcizandi vero vſus apud Hebręos erat frequentiſſ.

tiſſ.



tiſſ. vt eſt locupletiſſimus teſtis Fla. Ioſeph. lib. 8. antiquita. Iudaic. qui Salomonem modos coniurationū, quibus dæmones effugantur, inueniſſe dicit, quod retulit & Beda in ca. 19. Act. Apoſtolo. Et colligitur etiā ex Luc. cap. 11. *Si ergo*, inquit, *in beelzebub principe dęmoniorum eijcio dęmonia, filij veſtri in quo eijciunt?* quo loco aperte indicatur exorciſmorum apud illos vſum, vt declarat etiam S. Hieronym. in 12. cap. Matth. Hanc exorcizandi, hoc eſt, dæmones eijciendi poteſtatem diuina ſua autoritate tradidit Chriſtus ſuis diſcipulis, Matth. 10. Luc. 10. Mar. 16. qua & deinde vſos fuiſſe Apoſtolos Act. 19. quæ græca voce ὁρκίζω expreſſa, adiurationem vſitata voce apud Latinos ſignificat, qua hoc ſenſu Liuium alicubi vſum quidam ſenſere. ἐξορκίζειν enim adiurare eſt & execrari; & ita in Eccleſiam defluxit. Quem vetuſtiſſimum Chriſtianorum morem, vel gentiles ipſi teſtantur: Nā Domitius Vlpianus in l. 1. §. medicos. ff. de var. & extraord. cognitio. *Non tamen*, inquit, *ſi incantauit, ſi imprecatus eſt, ſi (ut uulgari verbo impoſtorum utar) exorciſauit, non ſunt iſta medicinæ genera; tametſi ſint qui hos ſibi profuiſſe cum prędicatione affirment.* Impoſtores enim Chriſtianos vocabant; quo ſenſu Suetonius in Nerone Chriſtianos appellat genus hominū ſuperſtitionis nouæ & maleficæ. Iacob. Pamel. in epiſt. 76. S. Cypria. nu. 54. Hanc vocē ita explicat S. Aug. lib. 1. de vita beata: Exorcizare eſt per diuina immundū ſpiritū adiurādo expellere. & huius vſus meminit lib. 10. de ciuita. Dei

Kk c.22.&

cap. 22. & lib. 2. de grat. Dei ex pecca. origin. cap. 40. ac lib. 2. de nup. & concupiſ. appellat antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem. Eiuſdem etiã meminit S. Io. Chryſoſt. homil. de Adam & Eua. Optat. Mileuita. contra Parmen. S. Gregor. Nazianz. orat. de baptiſ. B. Gregor. magnus homil. 39. S. Dionyſ. Areopag. Eccleſiaſt. hierarch. cap. 1. dum exſufflationis in dæmonem meminit, quæ in exorciſmis exerceri ſolet; cuius meminit etiam Tertull. lib. de idololat. cap. 11. & S. Auguſt. in epiſt. ad Criſpinum. Raban. Maur. lib. 1. de inſtitu. clerico. cap. 10. vbi & formam ordinationis, qua hodie vtimur, affert ex concil. Carthaginenſi IIII. can. 7.

Huius vero vſus nedum energumenis curandis erat, verum etiam in baptiſmo, vt intelligere quilibet poteſt ex autoribus proxime citatis. Sed & cæteris rebus benedicendis & ſanctificandis adhiberi ſolitus eſt, vt ex libro qui Ordo Romanus inſcribitur, aperte patet; vt inde dæmones ſicut e corporibus humanis, vel ne illa vexent, expellantur: quod etiam docuit Alphon. Caſtren. contra hęreſ. ver. exorciſmus, & ante eũ Tho. Vualden. tom. 3. cap. 169.

Cur autem aqua exorcizetur, referemus verba Tertulliani, ex quib. id apparebit, quæ erunt & vtilia & iucunda. Is ergo lib. de baptiſmo, cap. 5. ſic habet: *Igitur ſi de ſola naturæ aqua, quod propria materia ſit ad legendi auſpicij emundationis blandiuntur, quanto id verius aquæ præſtabunt per Dei autoritatem, a quo omnis natura earum conſtituta eſt? Si religione aquam medicari putant, quæ potior religio, quam Dei viui? quo agnito hic quoque ſtudium diaboli recognoſcimus res Dei æmulantis, cum & ipſe baptiſmum in ſuis exercet. Quid ſimile? Immundus emundat, perditor liberat, damnatus abſoluit. Suam videlicet operam deſtruet, diluẽs delicta, quæ inſpirat ipſe. Hæc quidem in teſtimonium poſita ſunt repellentibus fidem, ſi minime credant rebus Dei, quarum affectationibus apud æmulum Dei credunt. an non & alias ſine vllo ſacramento immundi ſpiritus aquis incubant, affectantes illam in primordio diuini ſpiritus geſtationem? Sciunt opaci quique fontes, & auij quique riui, & in balneis piſcinæ, & euripi in domibus, vel ciſternæ & putei, qui rapere dicuntur, ſcilicet per vim ſpiritus nocentis: Nam & enectos, & lymphatos & hydrophobos vocant, quos aquæ necauerunt, aut amentia vel formidine exercuerunt. Quorſum iſta retulimus, ne quis durius credat Angelum Dei ſanctũ, aquis in ſalutẽ hominis temperandis adeſſe, cum angelus malus profanus cõmerciũ eiuſdẽ elementi in perniciẽ hominis frequentat, &c.* Quibus ex verbis perſpicuũ ſatis fit, quãta mala dæmones inferãt hominibus ex aquis; quod cauſę fuit, vt Eccleſia exorciſmis atq. adiurationibus vtatur ad illos inde expellẽdos, eorũq. vim nocuã lõge profligandã. Quod & de ſale poſſumus etiã aſſerere, quãdo & is ex aquæ elemẽto conſtat, vt copioſe & vere docuit Bernardinus Miedes lib. 1. commentariorum de ſale.



Sed & illud admonendi ſunt ſacerdotes, quod
43 † tempore interdicti generalis aqua non poteſt benedici, niſi ianuis clauſis, voce ſubmiſſa, non pulſatis

campanis, & excluſis excommunicatis, & interdictis iuxta moderationem cap. vlt. §. adijcimus. de ſentent. excom. lib. 6. vbi Couar. Nauarr. in Manual. confeſſ.
44 cap. 27. num. 174. Imo ſic † benedicens aquam, non adhibita ea moderatione, fieret irregularis, vt in ſum. Armil. in verb. interdictum, num. 63. & in verb. benedicere, num. 6. Idem quoq. dicendum eſſet de benedictione cerei, oliuarum, frugum, & cæterorum, ſi fierent in habitu & forma debita. Calderinus in tract. de Eccleſiaſt. interd. Simon Maiolus Epiſcopus Vulturarienſis vir doctiſs. & diſertiſs. de irregularit. lib 3. cap. 20. num. 8. Paul. Bolgaſius, & Speculum Chriſtianæ relig. vbi agunt de irregularitate.

Demum videtur addẽdum hoc loco, quod tametſi
45 facultas † portãdi aquam benedictam aſperſionis vẽdi poſſet, iuxta quorundã ſentẽtiam, vbi hoc haberet conſuetudo, quia viderentur vendi oblationes illę quę ex aſperſione recipiuntur; vt cenſuit Michael Loumachier in parochial. curato. tit. vlt. de prouẽtib. curato. cuius tamen ſententia accuratius eſſet conſideranda:
46 ipſa tamen aqua † non poſſet pretio benedici, vel dari, quia ſimonia eſſet, ſicut idem docet, & Guliel. Redoan. in tractatu de ſimonia, par. 3. cap. 18. num. 1.

Atque hactenus ſatis dictum cenſemus de ijs, quæ exterioris benedictionis formam, figuramque reſpiciunt. nunc reliqua proſequamur.

M. AN-



# M. ANTONII MARSILII COLVMNAE BONONIENSIS. I. C. ARCHIEPIS. SALERNITANI

# HYDRAGIOLOGIAE

## Sectio Tertia.

*In qua de aquæ benedictæ dignitate, & vi, pluribus ad id adſcriptis miraculis; deq. hæreticorum circa illam controuerſijs late diſſeritur.*

### ARGVMENTVM.

An eandem vim habeat aqua a ſacerdote minus probo benedicta, quam illa cui bonus benedixerit: An ve ſacerdos cenſura aliqua irretitus, aquam benedicendo irregularitatem incurrat.

### *RERVM SVMMÆ.*

1 *Sacerdos improbus aquæ benedictionem non inficit.*

2 *Hæreſis eſt aſſerere, quod mali ſacerdotis oratio ſit*

tio ſit

*tio ſit blaſphemia.*

3 *Cretenſes mendaces dicit Paul. Apoſt.*

4 *Demeritorium non eſſe actum extra gratiam factum.*

5 *Sacerdos benedicens, duas perſonas præſefert, ſuam ſcilicet, & Eccleſiæ,*

6 *Sacerdos quatenus Eccleſiã repræſentat, æqualiter benedicit ſiue bonus, ſiue malus.*

7 *Sacerdotis boni oratio fructuoſior eſt extenſiue in Eccleſia noſtra.*

8 *Eccleſia primitiua habuit minorem numerum iuſtorum, ſed ij fuerunt iuſtiores.*

9 *Benedictio facta a ſacerdote minus probo vix eſt benedictio ſecundum B. Vincentium; idq. quo ſenſu ſit accipiendum.*

10 *Sacerdotis mali vita, & mores ſibi tantum nocent.*

11 *Procuratori captiuorum datur eleemoſyna eorum contemplatione, non autem propriæ perſonæ.*

12 *Sacerdos benedicens qualis eſſe debeat.*

13 *Lucerna, ſuper candelabrum poſita ſacerdotem bonum deſignat.*

14 *Homo lineis, & podere veſtitus quis.*

15 *Utrum ſuſpenſus, aut excommunicatus ſacerdos*



*dos conficiat Chriſti corpus.*

16 *Sacerdos nullus conficit Chriſti corpus, qui omittit formam.*

17 *Si ſacerdos formã ſeruauerit, videtur quod nõ conficiat, niſi bonus exiſtat; tamen ſecus eſt.*

18 *Hæreticus, aut ſchiſmaticus ſacerdos non benedicit, ſed eius benedictio in maledictionem conuertitur.*

19 *Hæretico, ſchiſmatico, aut ſuſpenſo ſacerdoti tollitur vſus actiuus, & paßiuus ſacramẽtorum rectus, non autem poteſtas.*

20 *Sacerdos improbus conficit, & ſacrificat.*

21 *Reſpondetur rationibus in cõtrariũ adductis.*

22 *Hæreticus ſacerdos nullam gratiam confert ſcienti eius conditionem.*

23 *Deus non arctatur vlla bonitate, vel malitia cuiuſquam.*

24 *Sacerdos excommunicatus abſoluendo quempiam, ſacrilegium cõmittit vna cum eo, qui ſcienter abſoluitur.*

25 *Pœnitens, qui ignoranter abſoluitur ab excommunicato, eſt vere abſolutus.*

26 *Sacerdos excõmunicatus non debet ab officio deſiſtere, quamdiu excommunicatio non eſt nota omnibus.*

Conſtan-

*27 Conſtantienſis ac Lateranenſis Concilij De-*
*cretum de vitandis excommunicatis.*
*28 Sacerdos excõmunicatus, an irregularis fiat,*
*ſi bendixerit aquam.*
*29 Suſpenſus ab ordine, ſi faciat id quod eſt ordi-*
*nis, efficitur irregularis.*

## CAPVT PRIMVM.

VSV quidem facillime poteſt eue-
nire, vt aqua a ſacerdote minus
probo benedicatur, quo adue-
1 niente caſu † benedictioni id vi-
tio vertendum eſſe, credere non
debemus. Nõ enim blaſphemia
eſt, ſi malus ſacerdos orauerit,
2 † & ſi quis id dixerit, in Vvicleſitarum hæreſim palã
incideret, vt fuſius declarat Vvaldenſis tom. 2. cap. 9.
his verbis: *Oratio ex euangelicis verbis tranſumpta, &*
*euangelicis myſterijs adaptata, in cuiuſlibet polluti ſacer*
*dotis ore reperta, nunquam debuit dici blaſphema, ſicut*
*nec catholicus quiſpiam euangelicum volumen maledictum*
*appellat, nec euangelium ipſum dicit blaſphemum, vel hæ-*
*reticum, quando in ore, vel manibus Vvicleſitarum tur-*
*piſſime eſt compertum. Apoſtolus honorauit teſtimonium*
*Ethnici, ad Tit. primo dicens: Quidam ex ipſis proprijs eo-*
3 *rum propheta dixit: † Cretenſes ſemper mendaces, malę*
*beſtię,*



*beſtię, ventres pigri, teſtimonium hoc verum eſt. Si ergo*
*Apoſtolus teſtimonio neſcio cuius alienigenę, quia verum*
*illud cõperit, etiam ipſe aſſentitur: cur nos malum dicemus,*
*ſi quod apud quęlibet inueniremus, quod Chriſti eſt, & ve-*
*rum eſt, etiam ſi ille apud quem inuenitur peruerſus &*
*fallax eſt; cur non diſcernemus vitium, quod homo habet,*
*& veritatem, quam non ſuam, ſed Dei habet?* Ita & Rhe-
natus Benedictus in ſua Panop. fol. 74. ſuper illis ver-
bis Matth. cap. 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus fa*
*cere.* inquit: *Dicere omnem humanum actum extra gratiã*
4 *factum eſſe demeritorium, † falſiſſimum eſt: quamuis enim*
*doceat ſacra ſcriptura, ſine gratia Dei non poſſe fieri ope-*
*ra vitę ęternę meritoria; tamen paſſim affirmat, oportere ip*
*ſum concurrere, & diſpoſitionem quandam facere gratię*
*Dei, quę ſeſe habet in hominibus, vt ad illam recipiendam*
*diſponatur.* Quo *referuntur ea verba, ſcilicet, ſi credideri-*
*tis, &c. item ea: ſi vis ad vitam ingredi, &c. conuertimini*
*ad me, &c. & ſimilia.*

Id igitur ſi forte contigerit, breuiter quidem, & ex-
plicate dicemus, quidnam communi omnium con-
ſenſu ſacri Theologi aſſerant circa hanc aquam. Num
ſcilicet ea pariformiter ſancta ſit, eundemq. fructum
afferat, ſi a bono ſacerdote, quemadmodum ſi a mi-
nus probo benedicatur. Eo igitur contingente caſu,
5 † ſacerdotem dicimus præſeferre duas perſonas, qua-
rum altera Eccleſiæ eſt, altera ſui ipſius. Eccleſiæ nimi
rum, quando vt curatus, qui animarum curam gerit,
illam benedicit, ſui vero ipſius, dum vt priuatus ho-

 mo,

mo ſuis meritis deſiderat a Deo benedicto gratiam obtinere.

Quod ad primum attinet, ſcilicet dum Eccle-
6 ſię perſonam repręſentat, † æqualis eſt fructus: quoniam ſemper eadem eſt Eccleſia, abſtrahendo perſonam. Id quod intelligendum eſt ad differentiam eius, quod eſſet, fructum non facere: nam Eccleſia æque reddit fructus ſuos, & ſuas pariter omnibus elargitur benedictiones. Sed quoniam non poteſt ita abſtrahi ſimpliciter, quantum attinet ad fructum faciendum; dubium non eſt (vt etiam Scotus in 4. ſentent. diſt. 13. q. vlt. aſſerit) quod in hac Eccleſia, dum eius oratio di-
7 citur a ſacerdote probo, † ea eſt fructuoſior extenſiue: quia iſta Eccleſia maiorem habet numerum iuſtorũ in ſe: & ideo hac comparatione Eccleſia iſta eſt plenior, quam primitiua, vt cõſiderat etiã Ioſeph Angles de miniſtro Euchariſtiæ, difficult. 11. concl. 4. dicẽs, ꝙ in primitiua Eccleſia erãt magis fructuoſæ orationes,
8 & † minor numerus iuſtorũ; erant quippe illi multo iuſtiores, ita vt quemadmodum in illa erat intenſiue, ſic in pręſenti extenſiue fœcundior eſt oratio ſacerdotis boni. Vtraque tamen æque benedicta dicitur, dum benedictio ipſa in nomine Eccleſiæ facta exiſtimatur. Quamuis quo ad perſonam, & nomine perſonæ, quæ peccatrix eſt, non æque afferat fructum ac illa, quæ a probato quoquam fuerit benedicta. Imo illam
9 B. Vincentius ſupra citatus exiſtimat † benedictam non eſſe, refertq. illud Malach. 2. *O ſacerdotes; ſi nolue-*

ritis



*ritis audire, & ſi nolueritis ponere ſup cor, vt detis gloriam nomini meo, vt ait Dominus exercituum, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris.* Et Deuter. 21. *Sacerdotes accedant ad me, & benedicant in nomine meo.* Quãquã hac in re is autor videtur omnibus aduerſari; pie tamẽ, ac iuxta ſuũ ſenſum eſt intelligendus; vt videre eſt in cap. Maledicam. cum aliquot ſeqq. 1. q. 1. Illud vero ſciendum eſt hoc loco, quod
10 † mali ſacerdotis vita, ſi proprium demeritum conſideremus, ſibi ipſi tantum detrimento eſt, prętere a nemini. Quemadmodum facula, dum tenebras accenſa fugat, alijs quidem collucet, ipſa vero ſuomet igne, quem nutrit, paulatim, leniterque conſumitur, quamuis exemplo alijs grauius noceat, quod erit deinde grauiori punitione dignũ: procurat propterea ad eundem modum ſibi ipſi gehennam ſacerdos, dum criminum reus, & letali culpæ obnoxius ſacramenta miniſtrat, quamuis poteſt pro alijs impetrare, quod exorabit, non ſecus ac ſi quiſpiam ad captiuos redimendos
11 † procurator conſtitutus, quid petierit, ſolet equidem ei, quamuis improbo, a pleriſq. benigne conferri ſubſidium; quia non ipſius precãtis, ſed captiuorum perſonam reſpiciunt. Igitur, vt ſuo muneri integre ſatisfa-
12 ciat † ſacerdos, tanta debet virtute, probitate, & charitate præditus eſſe, vt vere iudicent homines, illum talem eſſe, vt in eo ſeruari id ſanctitatis, & continentiæ lumẽ, quod in alijs forte reperiretur extinctum. Hinc
13 eſt, quod pro ſacerdote bono intelligitur † lucerna il-

 la ſu-

recte exercere,quæ ſi nihilominus exrecebunt,vera ſa
cramenta eſſe non dubitamus. Conceditur quoqué,
quod horum benedictio in maledictionem vertatur:
hoc tamen verum eſt, quoad gratiam conferendam,
22 quam † certe hæreticus vti talis ex perſona ſua non
confert,nec illam ab eo poteſt quiſquam recipere,qui
ſciuerit illum hæreticum eſſe. Et patet quidem ratio,
namque in his miniſterijs, vt miniſter tantum ſacer-
dos eſt; & id, quod facit miniſterium tantum eſt, ni-
hilque quod eius ſit in ſacramento vere conficiendo
concurrit; ſed omnia ex illa forma,& gratia dependét,
quam debitæ materiæ, & intentioni faciendi, quod
mater Eccleſia facere intendit, Chriſtus Dominus ſa-
cramentorum inſtitutor tradidit congruenter, qui
23 † nec bonitate, nec malitia alicuius vnquam reſtrin-
gitur, aut coarctatur, quominus admirabilem illum
in ſacramentis operetur effectum,vt inquit D. Thom.
in par. 3. quæſt. 38. art. 2. & quæſt. 82. art. 7. Hinc etiá
24 efficitur, † quod ſi ſacerdos excommunicatus quem-
piam a peccatis abſoluerit, incidit quidem ipſe in
ſacrilegium, & pariter ille, qui ſciens curauerit ſe ab
excommunicato abſolui. arg. cap. ſi celebrat. de cler.
excom. miniſtr. cap. ſacris. de his quę ui met. cau. lucu-
lenter Nauarr. in cap. fratres. num. 40. & 45. de pænit.
diſt. 5. poſt Caieta. in ſumma verſ. abſolutionis impe-
dimenta, & verſ. confeſſionis iteratio. & Caieta. tom. 1.
opuſc. 5. quæſt. 2. Nauarr. in Manuali confeſſ. cap. 9.
25 num. 4. & ſeqq. & Catecheſis Neap. fol. 320. † At ſi
pœnitens



pœnités id procurauerit, neſciens excõmunicatũ eſſe
ſacerdoté; procul dubio rata eſt abſolutio, vt inquit idé
Nauarr. in d. cap. 9. num. 10. Quinimo addunt qui-
dam, licet hoc modo non diffiniam, quod ſi excom-
26 municatio ipſa nondum publica, aut nota ſit, † ſacer-
dos debet ſuum munus obire, ne ſcandalo id cuiquá
ſit, ſi forte ceſſauerit, vt videtur ſenſiſſe Caieta. ad S.
Tho. 3. par. q. 64. art. 3. & Nauarr. in Enchirid. con-
feſſar cap. 9. nu. 9. dum declarant mentem conſtitutio
27 nis, Ad euitanda. quæ habetur in cõcilio † Lateranen-
ſi vltimo; quam diffuſe examinat Io. Baptiſta Antonu-
tiũs, vir pius & accuratus in d. Catecheſi tit. de eui-
tand. excommunicatis, fol. eodem.

Poſito igitur, quod ſacerdos, qui aquá benedicit, ſit
excõicatus, aut ſuſpenſus, hinc alia emergit quæſtio,
28 † an ſacerdos ille excõicatus, aut ſuſpenſus benedicés
aquá, irregularis euadat; & manifeſtiſſimũ eſt, quod ir
regularis efficit. Si enim hæc aquæ benedictio ſpectat
ad ordiné certũ, népe (vt ſupra diximus) ad ſacerdota-
lé, dum ſacerdos ab ordinũ miniſterio ſuſpéſus, illam
benedixerit, abſq. dubio irregularitatem incurrit. Ita
ſentiunt Innoc. cap. vlt. nu. 2. de exceſſ. prælat. Hoſtié.
Io. And. Panormi. & alij in cap. 1. de cler. excom. mini
29 ſtran. Communis eſt enim opinio, † quod ſi quis ab
ordine ſuſpenſus, aliquid fecerit, ad illum ordinem
ſpectás, irregularis efficitur. Sic equidem doctiſſimus,
& religioſiſſ. Nauarr. inquit in ſuo Enchirid. confeſſ.
cap. 27. num. 244. Armill. in verb. aqua nu. 3. in verb.
inter-

interdictum num. 67. & in ver. benedicere, num. 6. Epiſcopus Maiol. in ſuo tractatu de irregularitate, lib. 3. cap. 20. nu. 8. & ante omnes Angelicus Doctor par. 3. q. 64. art. 6.

## ARGVMENTVM.

Aquam benedictam non eſſe ſacramentum, ſed ſacramentale: Tum, qui illius ſint fructus.

## *RERVM SVMMAE.*

1 *Aqua benedicta non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale.*

2 *Aqua benedicta non eſt per Chriſtũ immediate inſtituta, nec eo dirigitur, vt gratiam conferat, ſed vt exteriora impedimenta tollat.*

3 *Exorciſmus inſtitutus eſt, vt impedimenta interiora repellat.*

4 *Exorciſmus differt ab aqua benedicta.*

5 *Lex gratiæ non procedit per ſaltus, ſed diſponit primum, mox imprimit gratiæ benignitatem.*

6 *Orationes præparatoriæ plures inductæ per Eccleſiam ad varios actus benedictionum.*

7 *Benedictio ſummi Pont. eſt ſacramentalis.*

8 *Cineris aſperſio ſacramẽtalis, non ſacramẽtũ.*

*Crucis*



9 *Crucis deoſculatio ſacramẽtalis, nõ ſacramẽtũ.*

10 *Aſperſio aquæ ſanctæ quid operetur in corde hominis.*

11 *Mulier Zelotypica in veteri lege probabatur per aquam.*

12 *Idololatræ probabãtur in veteri lege per aquã.*

13 *Aquam ſanctã aſſeruari in domo laudandũ.*

14 *Aqua benedicta mirabilis contra tentationes dæmonum.*

15 *Aqua benedicta dimittit venialia peccata, & num. 27.*

16 *Aqua ſancta valet plurimum contra incantationes.*

17 *Aqua ſancta noſtra maioris eſt efficaciæ, quam aqua aſperſionis, de qua in veteri teſtamento fit mentio.*

18 *Per baptiſmum renaſcimur.*

19 *Aſperſio Altaris, Eccleſiæ, & populi cur fiat. & num. 36.*

20 *Aqua benedicta figuratur in ſanguine agni paſchalis, qui in poſtibus ponebatur.*

21 *Aquam benedictam habere prope lectum, bonum eſt.*

22 *Dæmon quare perſuadeat hæreticis aquæ ſanctæ neglectum.*

Mm *Multi*

23 *Multi recenſentur fructus aquæ benedictæ.*

24 *Aqua ſancta tollit exteriora impedimēta, quæ efficiunt quo minus diuina gratia fruamur.*

25 *Aqua ſancta mentes a prauis cogitationibus flectit ad meliores.*

26 *Sal quomodo benedicitur, & num. 28.*

27 *Aqua ſancta cor noſtrum ad Deum conuertit.*

28 *Verba quædam in ſalis benedictione.*

29 *Aqua ſancta remittit venialia.*

30 *Aqua ſancta aſpergitur a Pentecoſte, ad Paſcha, & quamobrem.*

31 *Aqua benedicta ſimilis baptiſmali.*

32 *Cinis vitulæ rubræ in lege veteri fuit aquæ ſanctæ figura.*

33 *Aqua ſancta nos ad orationem præparat, & inuitat.*

34 *Immundus nō intrabat caſtra, niſi aqua aſpergeretur.*

35 *Aqua ſancta vtilis eſt ad Eccleſiæ myſteria facienda.*

36 *Vſus laudabilis aſpergēdi Eccleſiam, Populū, & Altaria aqua benedicta.*

37 *Aqua ſancta ſterilitatem tollit.*

38 *Aqua benedicta multiplicat omnia bona.*

39 *Terra Hierico aſperſa fuit per Eliſeū aqua benedicta.*





40 *Aqua benedicta ſanitatem affert.*

41 *Aqua benedicta peſtilentes morbos repellit.*

42 *Oratio, quæ recitatur in aquæ benedictione.*

43 *Non omnia beneficia paſſim, & continuo obtinentur ab aqua ſancta.*

44 *Deus dat omnibus affluenter, & non improperat.*

45 *Eccleſia fruſtra nihil precatur.*

46 *Effectus aquæ ſanctæ poſſunt ex benedicentis deuotione incrementum recipere.*

47 *Deuotio vehemēs inducit in Cauana: quidue id ſit declaratur iuxta myſticorum Theologorum ſententiam.*

48 *Deuotione mediante adhæret quis Thronis, & Dominationibus Angelorum.*

49 *Piſcina benedictionum omnium, Beherſebah.*

## CAPVT SECVNDVM.

ET ſi auctores de catholica Eccleſia optime ſentientes merito quidem aquam benedictam multis cōmendarunt laudibus: mente tamen ſua cōcipere
1 † nemo debet, illam eſſe ſacramentū, quod

procul dubio eſſet hęreſis dicere, poſteaquam Concil. Florentino decretum eſt ſub Eugenio IIII. & repetitum in nouiſſimo Tridentino, ac millies etiam ſtatutum, ſeptem tãtummodo eſſe ſacramenta Eccleſię. Eſt igitur aqua benedicta non ſacramentum, ſed præparatoria ad ſacramenta, id quod ſacramentale a ſacris Theologis appellatur, vt ait S. Thom. in 3. par. q. 65. art. 1. ad 6. & in 4. diſt. 2. q. 1. art. 2. ad 7. & ſumma Tabien. in ver. aqua, & alij paſſim: id autem ea ratione potiſſimum demonſtratur, quia hæc luſtralis aqua non eſt e ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutis. Et quamuis per eam accedente deuotione, & reuerentia ſuſcipientis ſanctificetur homo, vt ſupra diximus; non
2 tamen † eo directa eſt, vt gratiam conferat, ſed vt exte-
3 riora eius impedimẽta dimoueat, non ſecus ac † exorciſmi baptiſmales inſtituti ſunt, vt interiores, ac exteriores dæmonum impugnationes repellãt, non vt gratiã conferant. S. Thom. in 3. par. q. 71. art. 2. ad 3.
4 Quamuis alioqui † differat plurimum ab exorciſmo: quia aqua benedicta ſæpiſſime iteratur; cum tamen nequeat huiuſmodi baptiſmalis exorciſmus iterari, vt aduertit S. Thom. in 3. par. q. 71. art. 2. ad 3. Et re vera quemadmodum natura in ſuis quibuſque operationibus miro quodam ordine non per ſaltus, ſed gra-
5 datim procedit, ita & lex gratiæ † diſponit primum, mox ipſam imprimit gratiæ benignitatẽ. Ideo mater
6 Eccleſia pręcepit, vt ſacerdos celebraturus, † quibuſdã ſe præpararet orationibus, ſimul & proprias deprecationes



tiones inſtituit, quæ præcedere debeant, quando ſit populum benedicturus, vel Epiſcopus calices, veſtimenta, aut aliqua Eccleſiæ vaſa conſecraturus. Ita igitur in aqua luſtrali videmus, quia vt excitarentur fideles ad maiora merita, & deuotius ac plenius gratiam reciperent, inſtituta eſt atque ſancita aqua luſtralis; quæ tamen non ſacramentum eſt, ſed (vt diximus) ſacramentale, vt explicat D. Thom. in 4. diſt. 2. Roſell. in verſ. aqua, & in eadem ſententia reliqui omnes ſunt autores.

7 † Benedictio pariter, quam impartiuntur Pontifices, eſt itidem ſacramentalis, non ſacramentum, &
8 ideo venialia remittit peccata. † Cineris quoque be-
9 nedicti aſperſio ſuper caput, † deoſculatio Crucis, & id genus ſimilia, ſimili modo ſunt ſacramentalia. Vnde Claudius Guillaud. ſuper illud Matth. 12. *Dominus eſt enim filius hominis etiã Sabbathi*, de aqua ſancta
10 dicebat: † *Dum aqua benedicta aſpergimur commonefimus baptiſmi, per quem in requiem ſpiritualem Chriſti cõſepulti ſumus, ac veluti ſigno monemur, nos oportere ſubinde mortificare carnem, & cum Chriſto quieſcentes nos obedire Deo.* Quamuis autem illa non ſit ſacramentum, ſed ſacramẽtale: tamen multos ac mirificos operatur effectus, maxime dum circa eam meditemur, & modo, quo idem Guillaud. meditandum cenſuit. Quo circa S. Hieronym. ſup. Reg. 1. cap. 7. tom. 3. in hebraicis
11 quæſtionib. dicebat, quod ſicut † mulier adulterij inſimulata zelotypiæ, aqua hauſta probabatur in lege, vt ha-

vt habetur Numer. cap. 5.(quem locum accuratiſſime
12 explicat Philo, de ſpecialib. legib.) ita hac aqua † ido-
lolatræ probati ſunt verba S. Hieronymi hæc ſunt: *Ab-
ſtulerunt filij Iſrael Baalim, & Aſtaroth, & ſeruierunt
Deo ſoli, et conuenerunt in Maſphat; hauſerunt aquam &
effuderunt in conſpectu Domini: Hebræi tradunt, quod co-
ram Domino in eadem aqua, maledicta congeſta ſunt: &
ſicut in lege mulier zelotypica, hauſta aqua probabatur;
ita & hic idololatræ hac aqua probati ſunt, hi ſcilicet, qui ſe
idola coluiſſe penitus denegabant. Tradunt etiam quod
quicunque idololatra hanc aquam guſtaſſet, labia eius ita
ſibi adhęrebant, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra
ſeparare poſſet.* quod & ſequentia demonſtrant in
eo quod dicitur: *Iudicauit autem Samuel filios Iſrael in
Maſphat. Iudicare in hoc loco idololatras, ſecundum leges
morti tradere intelligendum eſt. Dicunt etiam, quod hoc
modo Moyſes idololatras, qui vitulum fecerant probaue-
rit quando arripuit vitulum, & combuſſit, & contriuit
vſque ad puluerem & ſparſit, in aquam proiecit, & dedit
ex ea potum filijs Iſrael:* quod & refert Valdenſis to.
3. tit. 24. cap. 168. Hugo etiam de ſancto Victore in
tract. de ſacram. inquit: *Sunt alia, quę & ſi non ſunt ne-
ceſſaria ad ſalutem, proficiunt tamen ad ſanctificationem;
quia his exerceri, & gratia amplior acquiri poteſt, vt aqua
aſperſionis, & cineris ſuſceptio;* cuius quidem inſtituti
ſuſcipiendi cineris originem explicuit Ant. Cãpanus
primũ deinde diſerta oratiõe Ioſephus Stephanus, vir
multa Patrũ lectione, pietate, & doctrina inſignis, qui
ob



ob prę ſtãtes animi dotes Eṗs Veſtanus vltro a Sixto V.
creatus eſt. Quæ Hugonis ſentẽtia & Alex. de Ales, te-
ſtimonio roboratur par. 1. vbi agit de ſacram. euange-
licis art. 2. 1. mẽb. Nec Viguerius omittẽdus, qui ĩ lib
de Chriſtian. inſtitu. c. 16. & 58. ver. 2. dixit, non eſſe
13 vitio dãdũ ijs, qui deuotione adducti † aquam ſanctã
domi aſſeruant, ad agros deferunt, ipſiquemet ea aſper
guntur, vt e dæmonum tentationibus, atque ab aere
infecto, & peſtifero liberentur: quippe aqua ipſa pro-
pter hæc omnia expreſſe benedicitur, immo vero ad-
debat idem Viguer. quod virtute benedictionis ip-
ſius excitantur fideles ad petendum a Deo, vt ſicut in
ſacro baptiſmatis fonte purgati ſunt aqua, ita pariter
contritionis aqua eorum conſcientias emundare di-
gnetur: & ſic palam exiſtimat aquæ ſanctæ aſperſione
venialia peccata dimitti. Addit quoque Silueſt. Prie-
14 rius lib. 2. de Strigimagis, cap. 12. in 2. puncto, † aquæ
benedictæ mirabilem eſſe virtutem contra tentatio-
nes, ac ſtimulos dæmonum, adeo quidem, vt hæc ne-
gare ſit hæreſis, quia eſt contra vſum tam antiquum
laudabilem Eccleſiæ catholicæ, & contra decretum
Alexandri primi in cap. aquam, ſuperius allegato, vt
ſenſit etiam Paul. Griſald. in deciſionibus fidei Ca-
thol. in verb. aqua, & colligi poteſt ex S. Thom. ſup. 4.
diſt. 6. vbi etiam habetur aquæ huius proprium pecu-
15 liare, & præcipuum eſſe, † vt ea aſperſis peccata venia-
lia dimittantur. Idque confirmant Io. Althenſtaig. in
Lexico Theologico in verb. aqua Richard. in 4. diſt. 1.
art. 1.

art. 1. Paluda. ibidẽ diſt. 11. Sed illud etiã docent non-
16 nulli, † aquam ſanctam plurimum valere contra in-
cantationes, ſiue magica carmina, laruaſque diaboli-
cas expellere; tantæque virtutis eſſe, vt per eam oratio
citius exaudiatur, deuotio augeatur, ſacri baptiſmatis
memoria, diuinique nominis inuocatio recolatur.
17 Poſtremo concludunt, † maioris eſſe efficaciæ aquam
ſanctam (cum in ea inuocatum ſit nomen Chriſti, &
perfectionis multo capaciorem, quam aquam illam,
quæ in teſtamento veteri aſperſoria nuncupabatur.
Quamobrem dixit Vualfrid. Strabo. de reb. Eccleſiaſt.
c. 29. & Rabanus de inſt. clericorũ lib. 2. cap. 55. nul-
lum eſſe elementũ aliud, quod in hoc mundo purget
18 vniuerſa ac viuificet cuncta, quã aquam. † Ideoq. cum
baptizamur in Chriſto, per Chriſtũ renaſcimur, vt vi-
uificemur, quod in tempore paſſionis vna cum ſan-
guine de latere Chriſti profluxit, ad oſtendendum vti-
que omnis ſanctificationis, & munditiæ validum ſe
inde habere ſacramentum. Mirificos igitur hæc aqua
operatur effectus, deditq. ſcriptorib. anſam, vt ea nihil
poſſint fere aut dignius, aut prętantius enarrare. vnde
S. Auguſt. in lib. 1 de Symbolo, relatus in cap. ſicut no
ſtis, de cõſecrat. diſt. 3. dixit: *Paruuli exſufflãtur, & exor-
cizantur, vt propellatur ab eis diaboli poteſtas inimica in
aqua; quæ in ea exorcizata manere creditur ad eundem
effectum efficaciam habens.* Ita & Guliel. Durand. in Ra
tionali diuinorum lib. 4. cap. 4. *Sacerdos*, inquit,
19 † *aqua benedicta altare, Eccleſiam, & populum aſpergit,*

*vt omni*



*vt omni immundorum ſpirituũ ſpurcitia, tam de habitacu-
lo, quam de cordibus fidelium propellatur. Hæc enim virtus
aquę exorcizatę ineſt, & etiam quia nouus Chriſtianorum
populus baptiſmatis ſacramento renatus, ita miniſterio
aquę lota renatorum corpora diluit, ſicut ſanguis agni a pri
ſco populo ad repellẽdum percuſſorem in poſtibus ponebatur.*
Idemque aſſerit Hugo de S. Victore, dicens: *Hac
igitur aqua ſanctificata fideles aſperguntur, & habitacula
fidelium illuſtrantur ab illuſione, & infeſtatione maligno-
20 rum ſpirituum; in quo effectu † aqua benedicta figurari
poteſt in ſanguine agni Paſchalis, qui in poſtibus habitacu-
lorum ad repellendum exerminatorem Dei mandato pone-
21 batur;* vt Exod. 12. Et † ideo bonum eſt ſemper habe-
re aquam benedictam prope lectum, & ſæpius ea ſe
aſpergere, præſertim ægrotãtibus, vt ait Diſcipulus in
ſermone 110. littera R. Appoſite igitur aduertit, imo
quaſi Chriſtiano zelo vehementer accenſus, Card. de
Turrecrem. in d. cap. aquam ſale, perfidorum hære-
22 ticorum malitiam corripit, docens, quod † non alia,
nec magis præcipua cauſa adductus dæmon huius
ſacramentalis aquæ fidem, ac venerationem in cordi-
bus eorum extinguit, niſi vt Chriſtianę Religionis ar-
mis (illo perſuadente) contemptis, quibus humani ge-
neris hoſti facillime obſiſteret, magis liberum ſibi eſ-
ſet eos inuadere, eorumque corda, atque animas ob-
ſidere.

Sane & illud a prauitatis hæreticæ inquiſitoribus
obſeruatum eſſe ſcimus, dæmonem, quotieſcunque a

nefarijs,& perditis maleficis homagium exigit,ſolere
id die Dominico, ante benedictionem aquæ luſtralis
expoſtulare. Id quod vſu forenſi,ac maleficorum con-
feſſione eſſe compertum teſtatur Iacob. Sprenger, in
Mall.maleſi.par.2.q.1.cap.2.ad fin. Vt hinc manife-
ſtius propterea liceat intelligere,quam timeāt,ac hor-
reant dæmones huius aquæ benedictæ vim, ac pote-
ſtatem,quantoque ſtudio,vt proxime ex Card.Turre-
crem. ſententia dicebamus, ad extinguendum, abo-
lendumque illius vſum nitantur.

Cæterum operæpretium eſt, vt ex potiſſimis aquæ
23 ſanctæ fructibus † aliquos colligamus, eoſque præ-
ſertim,qui e ſacris hiſtorijs, veluti e diuinarum arborū
24 ramis pulcherrime pendent,quorum † primus eſt, vt
per aquam benedictam ea exteriora impedimenta tol
lantur, quæ non ſinunt nos libere (vt ſupra diximus)
25 perfrui diuina gratia. Secundus vero, † vt mentes no-
ſtras a prauis cogitationibus ad meliores deflectat: ini-
micus enim homo, etſi aſſidue nos inficere,& obtur-
bare, arrepta e rebus quibuſque ſenſibilibus atque
humanis occaſione conatur; eæ tamen omnes ipſius
inſidiæ luſtrali aqua facili negotio expelluntur. Ideo-
26 que a ſancta Eccleſia cum ſal benedicitur, † hæc ver-
ba dicuntur: *Vt efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem cre-
dentium,& ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ &
corporis. Effugiat, atque diſcedat ab eo loco, in quo aſper-
ſum fueris omnis phantaſia,& nequitia,vel verſutia dia-
bolicæ fraudis,omnisq. ſpiritus immundus adiuratus,&c.*
Hinc



27 Hinc tertius erumpit fructus, † vt cor noſtrum e ter-
renis cogitationibus ad ſe ipſum reuocet,& ad Deum
Opt.Max.conuertat. Vnde venerabilis Beda exponēs
illa verba Luc.11. *Amicus meus venit de via, &c.* in-
quit, quod toties a nobis ipſis animus diſcedit, quo-
ties temporalia deſiderando vagatur: at immoderata
rerum cupiditas aquæ huius aſperſione ſedatur, &
(adiuuante gratia Dei) ſpiritus in ſeipſum contrahi-
tur, fitque deuotior. Ea etiam potiſſimum de cauſa
adducta mater Eccleſia,fecit, vt in ſalis benedictione
28 diceretur: † *Deus inuictæ virtutis autor, ſuppliciter de-
precamur, ac petimus, vt hanc creaturam ſalis, & aquæ
dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſan
ctifices, vt vbicunque fuerit aſperſa, per inuocationem ſan-
cti nominis tui infeſtatio immundi ſpiritus abijciatur, ter-
rorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſan-
cti ſpiritus nobis miſericordiam tuam paſcentibus vbique
adeſſe dignetur.* Quartus autem aquæ ſanctæ effectus
29 eſt, † venialium peccatorum remiſſio. S. Thom. in 3.
par.q.65.art.1.ad 6.& 8.& q.67.art. 3.in corp. & q.
83.art.3.ad 3. Et in 4.ſenten.diſt.2.q.1.art.2.ad 7.&
diſt.16.q.2.art.2. Idq. iam dicta Alexandri Pont.con
ſtitutione innuitur in d.cap.aquam.q̄ inquit: *Aquam
ſale conſperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi
ſanctificentur,& purificentur. Nam ſi cinis vitulæ populum
ſanctificabat, atque mundabat; multo magis aqua ſale
conſperſa, diuiniſque precibus ſacrata populum ſanctificat,
atque mundat.* Eadem quoque eſt B.Cypriani ſenten-
Nn 2 tia di-

tia dicentis: *Homines ideo aqua benedicta aſpergantur, quia valet ad ſanctificationem.* Quo factum eſt, vt cum
30 aqua benedicta paſſim aſpergitur, † a die ſancto Petec. vſque ad Paſcha, ſeu alio quoque tempore pro locorũ opportunitate, aut cõſuetudine canere ſolet ſancta mater Eccleſia: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.* ex pſal. 50. & eiuſdem beneficij memor, dum in die Paſchatis eadem aſperſio fit, cantat: *Vidi aquam egredientem a latere dextro.* Qui locus, licet ad aquam baptiſmatis referatur, nihilominus, cum luſtralis aqua, quatenus ad ueniale peccatum dimittendum attinet,
31 † regenerationis lauacro ſimilis quodammodo ſit, hac analogica applicatione ſancta Eccleſia vtitur, cu-
32 ius figura fuit in lege veteri † cinis ille vitulæ rubeæ, quo quidem expiandus (vt ſupra dictum eſt) populus aſpergebatur.

At quintus ex ijs, quæ dicta ſunt ſequitur effectus. Ea enim e terrenis ad cæleſtia, æternaque conſideranda nos reuocans, diabolicas tentationes, ac malas co-
33 gitationes expellens, † aptiſſime quidem nos præpa-
34 rat ad orationem. Ideo in caſtra † nullus ingrediebatur immundus, ni prius expiationis aqua expurgaretur, Num. 19. Cum igitur, vt fructuoſius orare poſſimus, oporteat nos conformes fieri Deo, & ei quantum liceat propius adhærere, conſiderare poſſumus, quanto hæc nobis adiumento ſit aqua, cum ea auferat quidem, quæ obſtare impedimenta poſſunt, ne id fiat, ſitque ad expurgationem ipſam aduerſarij dæmonis

quam



quam aptiſſima.

Sextus ex aqua ſancta percipitur fructus; quod
35 † ea multum afferat vtilitatis, vt ſanctius facere diuina catholicæ Eccleſiæ myſteria valeamus, quod probe intelligens S. Thom. dixit in 4. diſt. 2. *Aqua benedicta valet contra omne quod ſacramentorum effectum impedire*
36 *poteſt.* † Hinc nobis in laudabili, & quotidiano vſu eſt, vt non homines tantum, ſed Eccleſiæ ipſę, & altaria aſpergantur, vt inde maligni ſpiritus (vt Durandus inquit) procul expellantur.

37 Septimus vero eſt, † vt ſterilitatem auferat, fœcunditatem inducat, de quo quidem effectu (præter ea, quæ dixit B. Vincentius in ſuis ſermonibus diſt. 21.) ſentit Alexander Pontif. dum ait in canone ſupra relato: *Si ſale aſperſo per Eliſeum ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis diuinis precibus ſacratus ſterilitatem aufert rerum humanarum?* Vbi etiam ſubdit, quod
38 † aqua benedicta multiplicet cuncta bona. Ideoque
39 † terram Hierico, quæ ſterilis primum erat, mox aqua ſancta aſperſam ab Eliſeo propheta fructũ copioſiſſime produxiſſe.

40 Octauus effectus † ſanitas eſt, & ideo in benedictione ipſius inquit Eccleſia: *Vt ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis, vt quidquid ex ea tactum, vel aſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ.*

41 Nonus tandem † eſt peſtilentium morborum expulſio, quorum cauſa mater Eccleſia cum benedicit

aquam

42 aquam ſic precatur: † *Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quęque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus pręparato, benedictionis tuę virtutem infunde; vt creatura tua myſterijs tuis ſeruiens, ad abigendos dęmones, morboſque pellendos, diuinę gratię ſumat effectum: vt quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa; non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant inſidię latentis inimici; & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti; aſperſione huius aquę effugiat, &c.* Quæ quidem
43 omnia tametſi † non continuo, vel paſſim obtineri
ſoleant; tamen ſciendum eſt, ſatis eſſe, ſi viua fide pe-
44 tantur, ac ſperentur a Deo, † qui dat omnibus afflueñ-
ter, nec improperat: ſcriptum eſt enim Ioan. 14. & 16.
45 *Petite, & accipietis.* † Nec credendum eſt fore, vt fruſtra Eccleſia id ſemper precetur. Effectus vero omnes ita etiã poterimus ſummatim colligere, vt alij quidẽ ſpirituales ſint, ij que ſeptem.

1 Profligantur dæmones ex creaturis, & locis.
2 Remittuntur peccata venialia.
3 Excluduntur phantaſmata diabolica, prauæq. cogitationes, ac mẽtis diſtractiones in oratione, alijſque temporibus.
4 Colligitur mens a terrenis rebus.
5 Diſponitur animus ad orationem, & deuotionem.
6 Gratia, fauor, & pręſentia Spiritus ſancti impetrat̃.

Prępa-



7 Pręparatur mens hominis, vt rectius diuina myſteria peragat, ſacramentaque ſuſcipiat.

Corporales alij itidem ex ea effectus prodeunt.

1 Hominum, iumentorum, aliarumq. humanarum rerum ſterilitas curatur.
2 Multiplicatio, & vbertas bonorum impetratur.
3 Sanitas mentis, & corporis conceditur: tum curando infirmitates, tum illas pręcauendo.
4 Aer noxius purgatur, omniſque peſtiferi, ac contagioſi morbi vis propellitur.

Quod vero attinet ad expellendos dæmones, ſic ſane videbatur conuenire, vt dęmonis ſuperbia deprimeretur, vt qui ſe vt Deum erigere velle non dubitauerit, nunc leui aquæ huius ſanctificatæ aſperſione cogeretur, & ea imbecilliorem ſe profiteretur. Pleroſq. alios ex aqua ſancta fructus colligere, veluti e loco ipſo pomiferis arboribus conſito, poſſemus. Eos tamen vberius licebit colligere, cum ad miracula, quę etiam recenſere promiſimus, deueniemus.

46 Omnes autem fructus, † ſiue effectus prædicti poſſunt ex deuotione ſacerdotis aquam benedicentis, & eorum, qui ea aſperguntur incrementum recipere. Spirituales quidem ſemper ſequi ſolent, ſi ea, qua par eſt reuerentia, ac deuotione aſpergamur, niſi ex cauſa, vt maiorem conſequamur vtilitatem, aliud diuinæ prouidentię videatur. Corporales vero & ipſi non raro conſequuntur pro Dei voluntate & beneplacito, quãdo ad ſui nominis gloriam ita expedire iudicat, vt re-

ctemo-

ɫte monuit Perellius loco ſuperius citato. Conuenit propterea, vt is, qui aqua benedicta ſe aſpergit, intentionem ſuam ad Deum dirigat, illamque cum Eccleſiæ precibus coniungat. Vtaturque hac aqua ſumma reuerentia, interiorique deuotione vel aſpergendo, vel ſumendo, ſeu cibis, potibuſque miſcendo. Qui enim nulla deuotione nec actuali, nec habituali, reuerentia prȩuia id agunt, vel nullum, vel ſane exiguum fructum

47 conſequentur. Per † animi, mentiſque deuotionem ſolet homo frequenter ad gradum illum eleuationis pertingere, quo facilius ſibi contingit poſſe ipſius Dei attributa contemplari, ex quibus veluti riuis profluũt influxiones diuinæ, quibus poſtea mirum in modum exornatur.

48 Præter quam quod † mediante huiuſmodi cõtemplatione, virtutũq. ſymbolo adhærere poteſt thronis, ac dominationibus Angelorum, quibus bene cognitis, immergitur quodammodo in illam benedictionũ

49 omnium † piſcinam, quȩ dicitur Beherſebah, & Berachamin, de qua nos ſuperius diximus. Nunc quia vidimus plurimos ex luſtrali aqua fructus prodire ſollere; e re fore putamus breuiter enarrare; utrum illos aqua ipſa per ſe faciat; an ex adminiculo quopiam accedente: hoc eſt (vt ſacri Theologi dicunt) vtrum producat ex opere operantis, ſcilicet ex meritis perſonæ, an vero ex opere operato, &c.

ARGV-



# ARGVMENTVM.

Aquam benedictam ſuos effectus, præcipue vero venialium peccatorum remiſſionem, ex opere, quod aiunt, operato inducere. Tum & de horum verborum latinitate.

## *RERVM SVMMAE.*

*1 Aqua benedicta remittit venialia ſecundum doctores.*

*2 Quomodo venialia dimittantur.*

*3 Venialia dimittuntur ex opere operãte, & quid ſit ita dimitti.*

*4 Venialium remiſſio non requirit nouam infuſionem gratiæ.*

*5 Triplici ratione remittuntur venialia.*

*6 Tunſio pectoris venialia remittit.*

*7 Motus reuerentiæ dimittit venialia, vt Epiſcopalis benedictio, aquæ ſanctæ aſperſio, & ſimilia.*

*8 Sacramẽtalia remittunt nobis venialia ex vi clauium.*

*9 S. Thomas declaratur ſecundum Dominicum de Soto.*

*10 Quamuis dici poſſit, aſperſionem aquæ ſanctæ quando fit ex habitu reuerenti remittere venialia,*

nialia.

11 *Melius eſt dicere, quod id fiat accedēte actuali deuotione.*

12 *Inſinuandum eſt catholicis, qualiter remedijs ſalutaribus ſit vtendum.*

13 *Actus deuotionis, qui non procedit ex habitu, non operatur remiſſionem.*

14 *Multa non ſunt neceſſaria ad ſalutem, quæ tamen ad maiorem purificationem proficiunt.*

15 *Deuotio actualis in ſe aſpergendo maiorē gratiam acquirit, quam actus purus deuotionis ex habitu ſolo proueniens.*

16 *Opinio quorundam dicentium, venialia non remitti ex vi ſacramenti, ſed quatenus excitatur motus voluntatis per modum meriti.*

17 *Albertus Magnus declaratur circa hanc remiſſionem venialium.*

18 *Aqua benedicta non remittit peccata ex opere operato.*

19 *Barbara videtur hæc locutio, ex opere operato, ſecundum Dominicum de Soto.*

20 *Diſtinctio de opere operato, vel operante nō eſt reprehēdenda, quoniam a Paulo Apoſt. proficiſcitur.*

21 *Termini recepti per ſcholas Theologorum non*

*ſunt*



*ſunt variandi, aut culpandi.*

22 *Vocabula vetuſta contemni non debent.*

23 *Pedum appellatio in muſica bene ſe habet, & reprehendi non debet.*

24 *Quæſtiones nominum plus loquacitatis quam vtilitatis habent.*

## CAPVT TERTIVM.

INter effectus aquæ benedictæ, qui & plurimi ſunt, & longe præclari, vnus eſt præcipuus, vt ſcilicet per eam ante
1 conſpectum Domini † peccata venialia remittantur: id quod communi cōſenſu doctores profitentur. S. Thom. in 3. par. q. 65. art. 1. ad 6. & 8. q. 83. art. 3. ad 3. & q. 87. art. 3. & in quarto diſt. 2 q. 1. art. 2. ad 7. & diſt. 16. q. 2. art. 4. & q. 4. gloſ. in §. cui nimis. 25. diſt. & in proœm. Sexti ſuper verb. benedictionem, vbi id communiter omnes docuere.

2 Sed circa † modum, quo per aquæ ſanctæ aſperſionem ipſa venialia peccata condonantur, aliqua videtur eſſe diuerſitas.

Cęterum vera quidem & certa S. Thomæ ſententia eſſe videtur, per aquam benedictam remitti peccata
3 † ex opere operante, id eſt, quod actus ille deuotionis, & reuerentiæ, qua homo ad ſacra recipienda mouetur,

peccatorum remiſsionem operetur; non ſane confe-
4 rendo gratiam, vt in ſacramentis: † quia neceſſaria
non eſt gratiæ infuſio pro uenialibus remittendis, ſed
propter actum deuotionis prædictum, prout diſtin-
cte quidem, & ſatis egregie id explicat idem S. Tho-
mas par. 3. q. 87. art. 3. in corpore, dum ait: *Ad remiſ-*
*ſionem venialis peccati non requiritur nouæ gratiæ infuſio,*
*ſed ſufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis*
*deteſtatur peccatum veniale, vel explicite, vel ſaltem im-*
5 *plicite, ſicut cum aliquis feruenter mouetur in Deum. † Et*
*ideo triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium*
*peccatorum, vel per infuſionem gratię; & ſic per Euchari-*
*ſtiam, & ſacramenta nouę legis. Secundo in quantum ſunt*
*cum aliquo motu deteſtationis peccatorum: & hoc modo*
6 *confeſſio generalis, † tunſio pectoris, & oratio Dominica*
*proſunt ad remiſſionem venialium peccatorum. Tertio mo-*
7 *do inquantum ſunt cum aliquo † motu reuerētiæ in Deum,*
*& ad res diuinas: & hoc modo benedictio Epiſcopalis,*
*aquæ benedictæ aſperſio, quælibet ſacramentalis vnctio,*
*oratio in Eccleſia dedicata, & ſimilia operantur ad remiſ-*
*ſionem venialium peccatorum.* Hæc ille.

Et licet Dominicus Sotus in quarto ſent. diſt. 15.
8 quæſt. 2. art. 3. dicat aquam benedictam † habere vim
remittendi venialia, ex vi clauium Eccleſiæ, ex opere
operato, vt patet in verbis, quibus benedicitur aqua.
9 Vnde reſponſio S. Thom. ſecundum Sotum † ſic eſt
intelligenda, quod iſta dimittant veniale peccatum,
quia inclinant animum ad motum pænitentiæ, non
quod



quod ſēper requiratur iſta excitatio, ſed quod de ſe ad
hoc ſint inſtituta. Quare illa ſuſcipere, tanquā per illū
effectum ab Eccleſia accommodata continet actus
pænitentiæ: nihilominus tamen nobis magis ſimplex
& plana videtur ſuperior ſententia.

Et quamquam ex relatis iam doctoribus colligi
præterea videatur, per actum aſperſionis aquæ bene-
dictæ, qua quiſque ſe ipſum intingit vel aſpergit, cum
10 procedit ex habitu reuerenti, † & deuoto iam ante
concepto, abſque actuali deuotione dimitti venialia
peccata, cum actus ille reuerenter recipiendi aquam
luſtralem in ſe ipſo continere videatur implicitam de-
uotionem & voluntatem, & propterea ſufficere videa-
11 tur ad remiſſionem venialium: † tamen ad prædictā
remiſſionem conſequēdam, tutius, ſecurius, & melius
eſt adhibere actualem deuotionem & reuerentiam in
12 ipſo actu recipiendi aquam benedictam, quod † po-
pulis videtur inſinuandum, vt intelligant quomodo
his ſalutaribus remedijs ſit vtendum.

13 Verum † ſi ex habitu deuotionis hic actus minime
proficiſceretur, & aliter, vel ad alium finem, quam Ec-
cleſia ſancta præcipiat, aſperſio fieret, obſtaret ſane hu
iuſmodi impedimentum, & eam venialium peccato-
rum remiſſionem operari nequaquam poſſet aſperſio
prædicta. Quod ſi non concurrant impedimēta, ſem-
per operabitur, vt dictum eſt. Quocirca Hugo de ſan-
cto Victore dicebat in tract. de ſacrament. vt ſupra re-
14 tulimus, quod alia ſunt, quæ etſi † non ſunt neceſſa-
ria ad

ria ad ſalutem, proficiunt tamen ad maiorem ſancti-
ficationem ſeu purificationem: quia his exerceri, &
amplior gratia acquiri poteſt, vt aqua aſperſionis, &
ſuſceptio cineris, vt refert Alex. de Ales, par. 4. art. 2.
15 membri primi. † Si igitur actualis deuotio ineſt, cum
quiſpiam aſpergitur, tunc maior gratiæ gradus acqui-
ri videtur: ſin autē illa non adeſt, ſed adeſt purus actus,
ob illum etiam deuotionis actum, venialia remittun-
tur, vt pluries teſtatur Sotus in quarto diſt. 1. q. 6. art. 1.
& diſt. 6. q. 2. art. 3.

16 Aliorum aſſertio videtur, † quod ea remittuntur,
non per virtutem, aut vim ſacramenti, ſed in quan-
tum excitatur motus voluntatis per modum meriti,
vt in ſumma Aſtenſ. lib. 4. primæ partis tit. de ſacra-
ment. in communi, cap. 3. poſt Richardum in 4. diſt.
1. q. 3. ad 1. Item in ſumma, quæ dicitur ſupplementū,
in verb. aqua. Sum. etiam confeſſorum, Ioan. de Tri-
burg. lib. 3. tit. 24. de ſacrament. iterandis, vel non q. 3.
17 † Sed Albertus Magnus in 4. diſt. 1. art. 2. ad 11.
magis conſentanea veritati & ſententiæ S. Thomæ
tradens, recte dicebat: *Aqua benedicta, & benedictio, &
huiuſmodi non iuſtificat ex opere operato, ſed potius ex ope-
re operante.* Eſtque Albertus, quo ad effectum potius,
de quo loquitur, intelligendus: ideſt, quod aqua be-
nedicta non ſit ſacramentum; non enim operatur
18 † ex opere operato, ideſt nō recipit virtutē, vt remittā-
tur peccata ex opere operato, ſed ex opere operante, vt
pote ex orationibus, quæ ſaltem nomine Eccleſiæ di-
cuntur,



cuntur, dum aqua benedicitur, vt docuit etiam Perellius de aqua luſtrali, vel ex habitu reuerenti, vel ex actu recipiendi aquam ipſam, ex deuotione proficiſcente, & applicante ad ſe remedium illud ex Eccleſiæ catholicæ inſtitutione. Atque ex ſupradictis patet quomodo per luſtralis aquæ aſperſionem, peccata venialia dimittantur.

Quoniam autem mentio facta eſt a nobis operis
operati, & operantis; de his vocibus obiter hic nonnul
la in gratiam lectoris adiungam. Ac primum, Domi-
19 nico Soto in 4. ſent. diſt. 1. q. 3. art. 1. † barbara viden
tur hæc verba, opus operatum, nec illa in paſſiua ſigni-
ficatione inueniri vnquam exiſtimat. At forte non
probe ſentire videtur. Et pariter dicere potuiſſet, quod
nec alia verba, ſcilicet (ex opere operante) ſint recte
appoſita.

Nos vero omittentes, quæ grammaticorum ſunt,
20 quærere, cenſemus † non eſſe reprehendenda: Qui-
nimo quod ea ſit optima diſtinctio, & locutio a Paulo
Apoſtolo proficiſcatur. Scribit contra hæreticos Ro-
bertus Epiſcopus Arboricenſis de vtriuſque gladij fa-
cultate tom. 2. theoremate 9. Sed & ſi demus barbaras
eſſe voces huiuſmodi, aut certe parum latinas, cum ta-
21 men iſti † termini Theologorum ſint ab omnibus
recepti, eos variare, corrigere, aut cur ita dicantur, ra-
tionem anxius quærere non oportet, vt idem Sotus vi-
detur aſſerere, & aperte tradit (licet aliud intendat)
Ariſt. in lib. de interpretatione in cap. de nomine. S.
Auguſti-

Auguſtinus quoque idem ſentit in lib. de muſica cap.
22 1. cuius hæc ſunt verba: *Sed quia† non ſunt contemnenda vetuſta vocabula, nec facile a conſuetudine recedendum,*
23 *dum, vtendum eſt his nominibus †pedum, quæ Greci inſtituerunt, & noſtri iam vtuntur pro Latinis, quæ plane ita vſurpemus, vt non quęramus originem nominum. Multum*
24 *enim habet† iſta res loquacitatis, vtilitatis parum. Neque enim quominus vtiliter in loquendo appellas panem, lignum, lapidem, quod neſcis cur ita ſint appellata.* Quæcunque igitur, aut qualiacunque illa verba ſint quantum ad veritatem rei, parum, aut nihil refert, vt a nobis iam declaratum eſt.

## ARGVMENTVM.

Aquam non benedictam, ſi benedictæ miſceatur, & ipſam ſanctificari, ac quomodo id ſit accipiendum.

## *RERVM SVMMÆ.*

1 *Aqua non benedicta, an tota ſanctificetur, ſi benedictæ adijciatur.*

2 *Oleum non benedictum an fiat ſanctum ſi admiſceatur ei quod ſanctum ſit.*

3 *Ex aliquorum ſententia aqua non ſit benedicta per admixtionem, niſi modicæ ſit quantitatis.*

4 *Veſtis ſacra non indiget noua benedictione, quando in parte ſarciri debet modica; ſecus ſi in parte maiori.*



5 *Aqua non ſancta ſit ſancta per admixtionem ſanctæ, etiam ſi illa maximæ quantitatis fuerit, hæc autem modicæ vt alij cenſuerunt.*

6 *Mare totum benedici quare nequeat, aſperſa aqua ſancta in ipſo.*

7 *Obicem diuinæ virtuti ponit, qui ſacramentis abutitur.*

8 *S. Bonauentura vult, vt aqua non ſancta ſit proportionabilis aquæ ſanctæ, quæ miſceatur vt tota ſit benedicta.*

9 *Alij volunt quod aqua ſancta ſit maioris quantitatis, non minoris, aut æqualis.*

10 *Frater Bartholomæus de Angelis notatur.*

11 *Opinio illa verior, quod indiſtincte tota ſit benedicta.*

12 *Benedictio eſt qualitas ſpiritualis, quæ tranſit ad omnes partes.*

13 *Commixtibilia vſque ad minima non mutant ſpeciem.*

14 *Diuiſibilia in minima ſunt bene promiſcibilia.*

15 *Humidorum permixtorum ſit vna ſuperficies.*

16 *Aqua aquæ permixta etiam maximæ quantitatis, ſemper aqua eſt.*

*17 Benedictio ſpiritualis communicatur perfecte in commixtis, ex rati habitione Eccleſiæ.*

*18 Reſpondetur ad obiecta aduerſariorum.*

*19 Qui mare totum aſpergeret, non ageret id, quod intendit Eccleſia.*

*20 Partes propinquiores in mari aſperſo, quæ miſcerentur per minima, poſſent dici ſanctæ, nõ tamen mare totum.*

*21 Mixtio, quæ fieret in vino conſecrato, non dilataret ſacramentum.*

*22 Ex conſecratione tranſubſtantiatur vinum in ſanguinem; & ideo additæ ſpecies nõ poſſunt tranſubſtantiari.*

*23 Pars aquæ aut vini addita uino, conſecrato nõ fit ſanguis Chriſti.*

*24 Honorius Papa III. reprobauit conſuetudinem miſcendi plus aquæ, aut tãtundem cum vino conſecrando.*

*25 Incongruum non eſt, quod magis dignum trahat ad ſe minus dignum.*

*26 Prudentis eſt proportionabiliter admiſcere aquam benedictam non benedictæ.*

CAPVT



## CAPVT QVARTVM.

FAcillimum eſt, vt quandoq; contingat, vel caſu fortuito, vel etiam data opera, quod aqua ipſa benedicta miſceatur cum alia, quæ minime ſancta ſit. Quo caſu contingente, multum ambigitur,
1 † an tota aquæ quantitas cenſenda ſit ſanctificata, ſi-
2 cut etiam dubitari ſolet† de oleo ſacro, quod cum alio quolibet profano fuerit immixtum. Qua in dubita-
3 tione breuiter reſpondetur, † quod tota aqua efficitur benedicta, dũmodo (ſi quorundam ſentẽtia vera eſt) non ſit immenſa quantitas aquę non benedictæ: tunc enim creditur, non totam benedictam eſſe ad exem-
4 plum † ſacræ cuiuſpiam veſtis, quæ dum pro parte modica debeat reſarciri, nouam benedictionem non exigit: at ſi pro maiori, vel principaliori parte ſit ſarcienda, nouam proculdubio benedictionem requirit. Sic enim dicit B. Vincentius in diſt. 21. in fin. nec nõ Hugo Card. ac etiam Card. Turrecremata in cap. aquam, de conſecrat. diſt. 3.

Cæterum S. Thom. in 4. diſt 2. q. 6. & Alex. Alen-
5 ſis loco iam citato vidẽtur aſſeuerare, † quod tota penitus aqua ſit ſancta ſimpliciter & indiſtincte. Idem quoque cenſuit S. Thom. in par. 3. q. 77. art. 8. ad 3. q. 83. art. 3. ad 3. q. 87. art. 3. & in 4. diſt. 12. q. 1. art. 2. quæſt. 6. art. 2. ad 2. Io. Maior q. 7. art. 12. Petrus Palu-

 danus

danus in 4. diſt. 12. q. 5. per totum. Aſtenſ. par. 1. lib. 4. tit. de ſacrament. in genere, cap. 3. circa fin. Roſell. etiam in verb. aqua, Summa cõfeſſ. Io. de Tribur. lib. 3. tit. 24. de ſacrament. iterand. vel non, q. 2. & B. Antonin. par. 3. ſummæ tit. 12. q. 10. §. 3. Pelbart. in Roſar. Theolog. tom. 4. ver. aqua. §. 2. At vero cenſuerunt nonnulli diligenter eſſe cauendum, ne nimium excedat aquæ non ſanctę quantitas: alias enim ſequeretur,
6 quod † mare totum ſanctificari poſſet, ſi minimum
7 quid aquæ ſanctę illuc proijceretur. Sed videretur † diuinæ virtuti obicem quendam opponere quicunque temere in hunc modum ſacris rebus abuteretur. Qua de re loquũtur ſumma Armilla, & aliæ plures in verb.
8 aqua: & † quod proportionabiliter miſceatur, docet S. Bonauentura in 4. diſt. 12. q. 2. in corpore. Summa tamen Nicolai de Auximo, quæ dicitur Supplementum, in verb. aqua, dicit hãc concluſionem procedere,
9 † ſi aqua benedicta ſit maioris quantitatis, non mino
10 ris, vel æqualis. Idem etiam videtur ſentire † Frater Bartholom. de Angelis in ſuo Exam. ordinandorum & confeſſariorum, in Dialog. 3. de ſacram. confirmationis §. 100.

11 Sed nobis longe magis arridet alia ſententia † S. Thomæ, quæ communis eſt, vt ſcilicet indiſtincte fiat benedicta tota; quam tenent paulo ſuperius citati autores: quæ videtur etiam ratione validiſſima con-
12 firmari, ſecundum Paludanum, † quia benedictio eſt quędam qualitas ſpiritualis, non habens obſtaculum,

&ideo



& ideo tranſit ad omnes partes non benedictas, maxi-
13 me quia † in ijs liquoribus, qui ſunt commixtibiles vſque ad minima, ſaluatur ſpecies, & nulla fit corru-
14 ptio, † & ea, quę diuiſibilia in minima, ſunt bene promiſcibilia. Vnde etiam infert Ariſtoteles 1. de gene-
15 ratione tex. com. 88. quod † humidorũ permixtorum
16 fit vna ſuperficies. Quamobrẽ ſequitur, quod † aqua etiam in maxima quantitate addita, remanebit ſemper ſpecies aquæ. Et ideo cum acquirat virtutem quandam ſpiritualem ex benedictione illa aqua, quæ ſit benedicta, dicemus, quod ſicut perfecte ſe immiſcent ad inuicem vna & altera, cum non habeant impedi-
17 mentum: ita † etiam communicabitur perfecte ſpiritualis quoq. benedictio ex rati habitione Eccleſiæ, & tota benedicta fiet, nempe quia illarum aquarum vna tantum erit ſpecies.

18 † Nec obſtat abſurdum, quod multi comminiſcuntur de mari toto, quoniam primo reſpondetur, quod
19 † qui hoc modo vellet benedicere mare totum, non ageret id, quod intendit Eccleſia, per quam benedicitur aqua; & ſic abuteretur modo benedicendi, vt aduertit ſumma Tabiena ĩ verbo benedictio. Poteſt etiã
20 ſecundo reſpõderi, quod † partes illæ propinquiores, quæ miſcerentur per minima, cum ipſa aqua benedicta, poſſent dici benedictæ; aliæ vero non. Nec enim exiſtimandum eſt virtutem hanc benedictionis vltra progredi, quam ſacerdos precatur, ac miſcens cogitat: precari autem, ac mente gerere ea debet, quæ rationi

ſint

ſint conſentanea. Neque igitur benedictionis qualitas in infinitum extenditur. Neque vlla erit illius vis, ſi temere, ac contra Eccleſiæ ritum quis præſumat a Deo infinitam benedictionem precibus contendere. Reſtringenda enim hæc ſunt ad Eccleſiaſticæ traditionis rituſue limites, ac ad illius tantum amuſſim expendenda. Non igitur ſequeretur, quod totum mare benedictum fiat, ſicut expreſſe tradit Petrus de Palude, vbi ſupra: & ſic videtur vera determinatio prædicta, quod etiam addita aqua in maiori quantitate, tota fiet benedicta. Et hæc dicitur communis Theologorum opinio, vt teſtatur ſumma Tabien. Paludanus, Bonauen. Richard. Roſell. & ante omnes S. Thom. in locis ſupra citatis. Maius enim dignũ trahit ad ſe minus dignum, cap. quod in dubijs, vbi communiter Canoniſtæ, de conſecrat. eccleſ. vel altar.

21 Non ſic autem contingeret in vino, † quod aquæ, aut vino conſecrato admiſceretur in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, quia non fieret mixtio, vt trad. S. Thom. in 3. ſent. quæſt. 77. art. 8. per totum; quia cũ
22 ex conſecratione † tranſubſtantietur vinum in verum corpus & ſanguinem Chriſti, non poſſunt additæ ſpecies in illud tranſubſtantiari, ſed ad ſummum vino
23 miſceri: † & tunc in parte, quæ admiſcebitur, deſinet eſſe, immo vero non fiet ſanguis Chriſti, ſed remanebit tantum in alia non admixta. Et ideo recte Honorius III. Sum. Pôt. in cap. pernicioſus, de celebrat. miſ
24 ſar. † reprobauit conſuetudinem illam, vt plus aquæ quam



quam vini poneretur in calice, cum ſacrum Miſſę fiat: quoniam aqua ad ſe conuerteret vinum, & non conſecraretur. Noluit etiam, quod æqualis eſſet quantitas vtriuſque, quoniam aut ad ſe vinum conuerteret, aut extenuaret adeo, vt ſpeciem quodammodo amittere videretur. Ita dicit Ioſeph. Angles in par. 1. de eſſentialibus Euchariſt. ar. 6. difficultate 2. concluſ. 1.

25 Ad rem igitur noſtram redeundo, dicimus, † quod non incongruum eſt, quod magis dignum trahat ad ſe minus dignum, quando per mixtionem non fit mutatio ſpeciei, pręſertim autoritate Eccleſiæ concurrẽte, ratione perfectæ mixtionis, quæ in vino non cadit.

26 Erit tamen prudẽter † cauendum, ne aquæ non benedictę quantitas nimium excedat, vt ſupra tetigimus; quia tutius eſt admiſcere proportionabiliter, quamuis futurum eſſet, vt tota aqua fieret indiſtincte benedicta. Atque hæc quidem de materia, de forma, de miniſtro aquę ſanctę dixiſſe ſufficiat: nunc quędam celebriora ipſius aquę miracula, ex probatiſſimis quibuſque autoribus recenſeamus.

ARGV-

# ARGVMENTVM.

Miracula, quæ ab exordio naſcentis Eccleſię ad annum Chriſti octingenteſimum aquę benedictæ vſu accidiſſe inueniuntur.

## RERVM SVMMAE.

1 *Miracula habent ſuam linguam, ſi intelligantur ex ſancti Auguſtini ſententia.*

2 *Benedictio ſimplex ne, an ſolemnis fuerit in miraculis aqua benedicta effectis, nō eſt ſpectandum, dummodo ſanctificata fuerit.*

3 *B. Petrus 118. cæcos aqua benedicta illuminaſſe narratur.*

4 *S. Martha aqua benedicta interemit draconem miræ magnitudinis, qui Terraſcurus appellabatur: inde eſt, vt cum aſperſorio aquæ benedictæ & dracone pingatur.*

5 *Aqua in regione Chonenſi, quæ apud Eccleſiam B. Michaelis Archangeli ſingulis morbis medebatur, quæue item in ea aqua tuenda aduerſus hominum inſidias miraculoſe geſta ſunt.*

6 *Aqua in oleum conuerſa a S. Narciſſo Epiſcopo Hieroſolymitano ad vſum lucernarum ad veſperam Paſchæ.*

Aqua



7 *Aqua cum ſale benedicta a B. Parthenio, conſperſa retia, ingentem thynnorum capiunt multitudinem.*

8 *Ioſeph Iudæus comes a Conſtantino creatur. Eccleſiam in Tyberiade primus ædificauit in Hadriano templo.*

9 *Aqua benedicta ignem accendit, & num. 26. & 39.*

10 *Aqua benedicta B. Macharius mulierem, quæ magicis præſtigijs equa videbatur, priſtinæ reſtituit formæ.*

11 *Dæmoniacum puerum aqua benedicta curat B. Macharius.*

12 *Lactis abundantiam B. Abraham Abbas mulieri fecit per aquam benedictam.*

13 *Locuſtarum vim omnia conſumentem aqua benedicta extinxit B. Aprahetes.*

14 *B. Macedonius aqua benedicta curauit mulierem a morbo ingluuiei.*

15 *Aqua benedicta curat mulierem emotæ mētis.*

16 *Abortus conceptionis B. Theodoreti aqua benedicta a B. Macedonio prohibitus.*

17 *Aqua benedicta multa effecit miracula B. Iacobus.*

18 *Luis morbus aqua benedicta a B. Martino*



cura-

curatur.

19 Aqua, quæ ſancti Martini tumulum abluerat ſanat Eborini Comitis uxorem.

Quartanæ morbum expellit.

Frigoreticos curat, ſi patena ſancti abluatur aqua.

Febricitantes ſanat puluis ſepulchri aqua epotus.

20 S. Euphraſia a dæmonis moleſtia liberatur, aſperſione aquæ benedictæ.

21 Aqua benedicta S. Io. Chryſoſtomus reddidit ſanum matri filium.

22 Hæretici præſidis uxorem ſanat S. Io. Chryſoſtomus aqua benedicta, unde & cõuerſi ambo ſunt.

Maris tempeſtatem ſedat S. Germanus Epiſcopus aqua benedicta.

23 Aqua benedicta a S. Vvinualoco mortua mulier reſuſcitatur, quod ſane inſigne eſt miraculum.

24 Felix cæcus a B. Eugenio ad fontem baptiſmalem illuminatus.

25 Aquæ ſtilla in templo B. Michaelis Archangeli in monte Gargano, quæ febribus medetur.

Ignis



26 Ignis vim auxit aqua a B. Marcello Apameorum Epiſcopo benedicta, dæmonemque impedientem expulit, unde & Iouis delubrum eſt conſumptum.

27 S. Quintianus aqua benedicta ſanitatem præſtat uniuerſæ domui cuiuſdam Senatoris, qui illius præcepto non obtemperauerat.

Baptiſmi aqua euanuit, dum Arianus Epiſcopus Deutherius impio ritu volebat baptizare.

28 Leproſos aqua benedicta curauit B. Brigida Virgo.

29 Item paralyticos.

30 Alios item languores.

31 Aqua ignis vim adauxit.

32 S. Fortunatus aqua benedicta cuidam Gotho coxam reſtituit.

33 Sale benedicto a S. Monegunde Abbatiſſa pluribus morbis allatum eſt remedium.

34 S. Euſichius, aqua benedicta, quartanarijs medebatur.

35 Cæcus illuminatus ex aqua, qua S. Domnulus Epiſcopus Cenomanenſis manus abluerat.

36 Fontium baptiſmalium ſponte repletorum miracula ſane inſignia a B. Gregorio Turonenſi

*nenſi relata.*

37 *Idolorũ templa in Anglia ſanctificatis aquis reſpergi, & in baſilicas dedicari mandat S. Gregorius.*

38 *Leproſum mundat aqua benedicta B. Theodorus Sicæorum Archimandrita, & filium Imperatoris Mauritij, nu. 41.*

39 *Armenta item.*

40 *Cæcum etiam illuminauit.*

42 *Locuſtas profligauit.*

43 *Cauponem dæmoniacum liberauit.*

44 *Domum item totam a ſpiritibus immundis liberam reddidit.*

45 *Letalem morbum expulit.*

46 *S. Eligius aqua benedicta quinquaginta dæmoniacos curauit.*

47 *Aqua benedicta monachorũ habitacula muniebat S. Aichardus Abbas.*

48 *Maximum morbum curauit S. Cuthbertus, aqua benedicta.*

49 *Item & ſemimortuum.*

50 *Aqua benedicta peſtilentem morbum ſanat S. Villibrordus.*

51 *Domum item a dæmoniaca vexatione liberat, eadem aqua.*

*S. Huber-*



52 *S. Hubertus aqua benedicta dæmonum phantaſmata expellit.*

53 *S. Vſmarus Veronenſis Epiſcopus pauorem, qui puellæ a dæmone liberatæ ſupererat, aqua benedicta aufert.*

54 *Aqua benedicta dæmoniacam puellam curat S. Opportuna Abbatiſſa.*

55 *S. Jo. Epiſcopus Eboracenſis aqua benedicta in dedicationem Eccleſiæ infirmum ſanat.*

## CAPVT QVINTVM.

HActenus, & rationibus & autoritatibus a nobis, vt exiſtimamus, ſatis comprobata eſt aquæ luſtralis & inſtitutio, & vſus, ac varij multiplicesque illius effectus. Quia tamen longe magis ea omnia probabuntur, ſi rerum euentibus ac miraculis ipſis, quæ vbique, ac a primis Eccleſiæ incunabulis acciderunt, manifeſtiora fiãt: cum rerum geſtarum fides maiorem quandam habere videatur vim ad ea quæ
1 tractantur confirmanda, habeantq. † miracula ipſa, ſi intelligãtur, linguã ſuã, vt grauiter docebat S. Auguſ. tract. 24. in Ioan. Decreuimus ea colligere exempla, quę diuerſis ſæculis, diuerſisq. locis ab ipſo fere naſcẽtis Eccleſiæ exordio in hanc vſque diem, aquæ huius benedictæ vſu accidiſſe, inuenire potuimus. Sic porro

ro fiet,vt vel perditiſſimus quiſque intelligat,ſanctam hanc Eccleſiæ traditionem diuino eſſe ſpiritu inſtitutam,eſſeque ſummopere Chriſtianis omnibus proficuam.

Horum vero,quę ſubijcietur exemplorum aliquot, ſolemnis aquæ benedictæ cum ſale vſum reſpicient: aliquot vero ſimplicis benedictionis vim referent, prout ſanctis ſe ſe occaſio ferebat. Aliquot vero aquæ, tactu ſacrarum reliquiarum, ſepulchrorum ue ſanctificatæ,vſum ſpectabunt alia, quæ vel interuenietibus pijs ſanctorũ orationibus & precibus ad Deũ fuſis,vel crucis ſalutiferæ ſigno miracula continebũt. Omnia vero eo tendunt, vt illius poteſtatem atque efficaciam
2 apertiſſime declarent. † Nam cum aqua benedicta ſit, ſiue ſimpliciter, ſiue ſolemni ac ſtata prece id acciderit,parum refert, dummodo ſit benedicta;certo nobis perſuadentes, quod ſi aqua ſolemniter benedicta ijs caſibus fuiſſet adhibita, quibus ſimpliciter benedicta multo forte certius eadẽ accidiſſent miracula. Sed veniamus iam ad exemplorum enarrationem,qua tamẽ in re dabitur nobis venia, ſi in his exactam omnino temporum rationem non ſumus ſecuti, quando eorum multa illam non patiantur.

Igitur narrat S. Vincentius Ferrerius Valentinus, vir diuinis pręcipue reuelationibus illuſtris, & ſacri ordinis Prædicatorum ſingulare decus & ornamentũ;
3 diſtinctione 21. dum agit de aqua benedicta, † Beatum Petrum Apoſtolorum principem, aquę huius benedictæ



nedictæ aſperſione,cæcos centum ac decem & octo illuminaſſe. Quę certe res vti Eccleſiæ initium tantumque Apoſtolum reſpicit, ita a nobis ex ſancti illius viri autoritate præponitur.

Hoc ipſum Eccleſiæ naſcentis exordium aliud ſane *An. Christi 50.* inſigne reſpicit miraculum, quod B. Martha Chriſti hoſpita,ſororque Magdalenæ & Lazari,huius aquę aſ-
4 perſione perfecit: † Nam in quodam nemore ad Rhodanum Galliæ flumen, iuxta ciuitatem Arelatem, & Auinionem,immenſa feritate draconem, quem Tiraſcurum illi appellabant, crucis ſigno, & aqua benedicta interemit,& mox S.Maximini Epiſcopi Aquenſis ſuaſu ibidem remanens,mulierum multarum congregato conuentu Eccleſiam,in honorem B. Virginis monaſteriumque conſtruxit,ac illi Præfecta optimis id præceptis & inſtitutis communiuit: cuius quidem miraculi hac aqua effecti fides,licet in Gallijs certiſſima ſit, ac toto orbe picturis, præcipue vero ex ea quæ in Eccleſia B. Marthæ prope templum Vaticanum ex poſteriori parte eſt,comprobetur: adijciemus tamen nos verba, quæ habentur in vita eiuſdem ſanctæ, quã S.Marcilia ſeu Marcilla, vel vt alijs placet Marcella eius famula hebręo ſermone conſcripſit: exinde vero in latinum tranſtulit Sinteces,vt præfatur Mombritius Boninus tom. 2. de vit. ſanctorum: *Erat*, inquit, *tunc temporis ſuper Rhodanum iuxta rupem ingentem in nemore quodam, inter Arelatem & Auinionem, verſus occidentalem plagam draco ingens, medius animal terreſtre, medius*

*medius piſcis, qui multos tranſeuntes, & ſuperueniētes homines, aſinos etiā et equos perimebat. Naues etiam, quę per Rhodanū tranſibant, ſubuertebat. Veniebant ibi gentes ſæpe, & populi armati, nec illum perimere valebant: quoniam proiectus a nemore in flumine latebat. Et erat groſſior boue, longior equo, os & caput habens leoninum; dentes vt ſpata acutos; comas equinas; dorſum acutum, vt dolabrum; ſquamas hirſutas vt tarauos ſcindentes, ſenos pedes, & vngues vrſinas, caudam vipeream binis parmis vt tortua vtraq. parte munitus. Duodecim leones, aut totidem vrſi illum ſuperare nequibant. Cum autem incolæ eum vllo modo perimere nequiſſent; audierunt fama præconante, beatam Martham miraculis coruſcantem, & dæmonia eijcientem; veneruntq. ad eam rogantes, vt veniret, & draconem a finibus ſuis expelleret. Perrexit itaq. ad locum ſancta Dei amica, Chriſti hoſpita, confidens in vero hoſpite ſuo, reperitq. draconem in nemore, hominem quē iugulauerat, comedentem: & iacta ſuper eum aqua ſacrata, quam ſecum tulerat, & ſigno ligneo ſanctæ Crucis ei oſtenſo, draco ſtetit victus vt ouis: & beata proprio cingulo eum alligauit, & illico a populo lanceis & lapidibus attritus eſt totus. Nuncupatur autem draco ille Tiraſcurus: vnde locus ille ab hinc poſtea vocatus eſt Tiraſconus, qui antea vocabatur Nerluc, ideſt, niger lucus: eo quod ibi erant nemora vmbroſa, & nigra.* Huius etiam miraculi meminit Pet. de Natalibus in catalogo Sanctorum, lib. 6. cap. 151. B. Vincentius Valentinus in ſermone de S. Martha, Guilielmus Eiſengrenius centen. 1.





par. 3. diſt. 3. cap. 1.

Inſigne vero eſt illud, quod accidit in regione Chonenſi apud baſilicam S. Michaelis Archangeli, cuius meminit Metaphraſtes 5. Septemb. de quadam aqua, quæ ſingulis morbis medebatur. *Sed ille quidem*, ait, *iuit etiam ad alias ciuitates, talentum doctrinæ ſibi creditum volens multiplicare: Reuera autem impleta ſunt, quæ prius ab eo prædicta fuerant; † & aqua ex illa terra emanauit paulo poſt, quæ ſi quis ſeu morbo laboraret, ſeu aliqua alia premeretur affectione, ſimulatque eam ſumpſiſſet, præbebat curationem.* (Anno Dñi 80.)

Et paulo poſt: *Certe cum ſimul coijſſent, & dentem inſtar apri in vtrumque acuiſſent, alij quidem crinibus Archippum apprehendunt, & virgis (o manus ſceleratas) eum cædunt crudeliter. Alij autem confluunt aduerſus illam ſanctam aquam, hanc quoque male conantes afficere; ſed illis quidem manus obtorpuerunt: his autem flamma illinc exaduerſo occurrens, fecit, vt redirent inanes. Vnde etiam ad aliam conuertuntur machinationem, volentes Archippū tollere de medio, & ſuperare ipſam aquę operationem. Quęnam eſt ergo ea machinatio? Templi arcam ad ſiniſtrā pręterfluebat fluuius, nomine Chryſus. Eius ſtatuerunt deriuare fluentum, & in aquam ſanctam immittere, vt in hac congreſſione cum aqua fluuij aqua illa diuina admixta, non amplius haberet eandem operationem, ſed perderet virtutem curationum. Atque hęc quidem illi: & ab eis deinde conuertitur aqua fluuij, vt immittatur in aquam ſanctificatam. Illa autem (o Dei virtutem, & inanem impiorum*

*laborem) non, vt contendebant, fluxit ad ſiniſtram: ſed conuerſa eſt in contrariam partem, quomodo etiam in hodiernum vſque diem cernitur fluere.*

Anno Dñi 200. Benedictione quoque aliquando aquam in oleum conuerſam perſpicue licet intelligere ex Nicephoro lib. 5. cap. 9. quamuis & alias ſæpe in vinum conuerſa ſit vt paſſim conſtat ex ſanctorũ hiſtorijs. Nicephorus autem lib. 5. cap. 9. ſic habet: *Ea tempeſtate Alexander ex illis vnus, qui plurima in perſecutione ſub Seuero pro vera pietate ſuſtinuerant, a Deo ſeruatus, adminiſtrationem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſuſcepit: Narciſſo, qui ibi munus id geſſerat, adhuc ſuperſtite. De quo Narciſſo eius loci homines quum multa alia admiranda opera memorãt,*
6 *tum hoc etiam in litteras relatum tradũt.* † *Dicunt enim, ad veſperam Paſchæ oleum ad vſum lucernarum defeciſſe: quod cum populus ęgre ferret, Narciſſum mandaſſe, vt eius rei miniſtri ex propinquo puteo aquam haurirent, atq. ad ſe afferrent. Hoc ſic facto, illum precatum eſſe, aquæ benedixiſſe, & germana, certaque fide, vt in lucernas infunderetur, iuſſiſſe. Quare vt iuſſerat peracta, diuina vi, & efficacia aqua de repente in olei naturam colore, & qualitate verſa, igni nouam quandam, clarioremque lucem præbuit: ex quo tempore id oleum a multis miraculi gratia diutiſſime eſt ſeruatum.* Cuius quidem miraculi meminerat ante Euſebius Eccleſiaſticę hiſtor. lib. 6. cap. 7.

Anno Dñi 325. Narrat etiam & aliud miraculum Criſpinus in vita S. Parthenij, quæ habetur apud eundem Metaphraſtem





ſtem 2. Februarij in hæc verba: *Audite aliud quoq. magnũ miraculũ, quod factum eſt a ſancto patre noſtro Parthenio. Tempore piſcationis Thynnorũ cernebantur quidem piſces a piſcatoribus. tamq̃ qui iam eſſent in manibus. Cum laxarẽtur autẽ retia, nihil proficiebant, ſed laborem inanẽ ſuſtinebant. Fuit vero hoc a diabolica aura impedimentũ, non in vno tantũ, aut altero emporio, ſed in tota regione maritima vſq. ad Abydum. Omnes autẽ ſimul congregati, rogarunt virũ iuſtũ, vt Deũ pro eis precaretur. Eo vero precante cum ieiunio & fletu, Deus ei aperuit cauſam, & ſatanicã operationẽ. Experrectus autem citra moram profectus eſt in vnumquodq. emporium vſq. ad Abydum,* † *& aquã* 7
*benedicens, & ſal inijciens, & Deum inuocans, iuſſit afferri retia, & eo præſente piſcium conſuetam facere piſcationem. Tunc cum magno gaudio ſua retia laxantes, Domini virtute, & Sancti precibus tanta bona conſecuti ſunt in piſcatione; vt præteriti temporis defectum ſuppleuerint. Sedente autem viro ſancto in emporio Catapteleæ, cum piſcatio fieret piſcium, reteq. traheretur, Thynnus maximus e rete exiliens, ſe proiecit ad pedes Sancti: quem cum ſignaſſet, & precatus eſſet, iuſſit ſcindi, & diſtribui fratribus ad gloriam Dei.*

Anno Dñi 330. Quod vero refert de Ioſepho Iudæo ad fidem conuerſo S. Epiphanius miraculum, vti eſt admodum inſigne, ita erat omnino ſubijciendum. Is autem lib. 1. tom. 2. hæreſi 30. ſic habet: *Verum ipſe paulo poſt ſacro lauacro adhibetur, ſeruatus enim fuit. Aſcendit autem ad Comitatũ, & Conſtantini Regis amicus euadit, & obtulit*

atque expoſuit omnem ipſi ſuarum rerum ſtatum, quomodo
eminentiſſimam apud Judęos dignitatem habuiſſet, &
quomodo viſiones Dei ipſi penitus apparuiſſent, Chriſto ip-
ſum vocante ad ſanctam vocationem, & ſalutem fidei, ac
cognitionis ſuę. At bonus ille Rex, cū Chriſti ſeruus eſſet in
veritate, & zelum Dei inter Reges poſt Dauidem, &
Ezechiam, ac Ioſiam haberet, honorem dat ipſi, velut iam
8 dixi, dignitatis in regno ſuo. † Comitem enim ipſum conſti
tuit, iuſſitque inſuper petere quidquid vellet. Ioſephus autē
nihil petijt, pręterquam, vt maximum hoc beneficium a Re-
ge conſequeretur, vt permitteretur ipſi per mandatum Re-
gium, quod Chriſto Eccleſias ædificaret in Ciuitatibus, ac
vicis Iudęorum, vbi nunquam quiſquam potuit Eccleſias
extruere, propterea quod neq. Græcus, neq. Samarita, ne-
que Chriſtianus inter ipſos eſſet; & hoc maxime in Tybe-
riade, & in Diocæſarea, quæ & Sepphurin appellatur, &
in Nazareth, & in Capernaum. Obſeruatur enim apud
ipſos, vt non ſit aliquis alterius gentis. Joſephus itaque ac-
ceptis litteris, & poteſtate vna cum dignitate, in Tyberia-
dem venit, habens etiam epiſtolas, vt de regijs expēſis ſum-
ptum faceret: imo etiam ipſe ſtipendijs a Rege honoratus
erat. Jncipit itaque in Tyberiade ędificare. Templum autē
maximum prius in vrbe fuit, & puto Hadrianum hoc fuiſ-
ſe vocatum. Quum vero hoc Hadrianum imperfectum per-
manſiſſet, ciues ad publicum balneum id inſtaurare cona-
bantur, quo comperto, Ioſephus ex hoc occaſionem habebat:
& vbi inueniſſet id per lapides quatuor cubitorū, ac qua-
tuor pedum ad aliquam altitudinem euectum, hinc incipit
facere



facere Eccleſiæ ſtructuram: erat autem opus calce, & alia
materia. Caminos itaq. extra Vrbem multos facere iuſſit,
forte ſeptem numero: fornaces autem vernacula lingua vo-
cant. At vero callidi & omnia facere audentes Iudæi, a
præſtigijs apud ipſos fieri ſolitis non abſtinuerunt. Incanta-
tionibus enim quibuſdam, ac curioſa ſedulitate ignem liga-
re, ac diſperdere generoſi illi aggreſſi ſunt, ſed non perfecte
potuerunt. Ceſſabat itaque ignis, & non operabatur: ſed ex-
tra propriam (vt ita dicam) naturam conſtitutus erat. Vbi
autem hi, qui combuſtilem materiā igni addere iuſſi erāt,
ligna videlicet, ſiue ſarmenta, nihil effeciſſent, Ioſepho rem
ipſam ſignificauerunt. Cōmotus igitur vir ipſe, & zelo erga
Dominum correptus, extra ciuitatem currit: & vbi aquā
in vaſe afferri iuſsiſſet, accepto vaſe aquæ coram omnibus
(multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad ſpecta-
culum, euentum videre cupidi, & quid Ioſephus factu-
rus eſſet) magna voce † Crucis ſignaculum proprio ſuo di- 9
gito vaſi impoſuit, & inuocato nomine Ieſu, ſic dixit: Jn
nomine Ieſu Nazaræi, quem crucifixerunt patres mei, &
omnium horum circumſtātium, fiat virtus in hac aqua, ad
reprobationem omnis incantationis, ac magiæ, quam hi
fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficien-
dam domum Domini. Et ſic accepit aquam in manum,
& de aqua ſingulas fornaces reſperſit: & diſſoluta ſunt
incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit. Turbę
vero pręſentes clamore edito, Vnus Deus, qui auxiliatur
Chriſtianis, ſeceſſerunt. Porro cum ſępe illi viro moleſti
eſſent, poſtea parte aliqua templi in Tyberiade extructa,
&

*& parua Eccleſia abſoluta, ſic illinc diſceſſit. Ad Scythopolim vero digreſſus, illic permanſit: verum in Diocæſarea, & alijs quibuſdam Vrbibus perfecte ædificauit.*

Anno Dñi 350.

In libro item, qui Paradiſus Heraclidis dicitur, cap. 6. in vita B. Macharij, quam Palladius Cappadociæ Epiſcopus conſcripſit huiuſmodi inſigne admodum refertur miraculum. *Nam Ægyptius,* inquit, *quidam cum amore veſano alienæ vxoris arderet, nec poſſet ad effectum tam ſceleſtæ cupiditatis peruenire, eo quod illa pudicitiæ dedita, virginitatis ſuæ coniugem nimis amaret; maleficum precatus eſt, vt ſe amari ab ea faceret, aut quocumque illam modo à marito proprio repudiari. Maleficus autem multis muneribus illectus, ſolito propriæ artis ingenio fecit illam equam videri, non feminam. Quam vbi talem vir eius, domũ regreſſus aſpexit, tam monſtruoſa nouitate turbatus (quod iacere in lectulo ſuo equam videret) ingemiſcebat, ac flebat, eo quod ipſum alloquens animal, nullum loquentis poterat audire reſponſum. Rogabat igitur presbyteros ipſius vici, duxitq. eos domum, & quod illa pateretur, oſtendit. Et ne tunc quidem cauſam tantę calamitatis agnoſcunt: quę tamen iam per triduum, nec vt equa fœno, nec pane vt homines vtebatur, vtriuſq. eſcę alimonijs deſtituta. Ad poſtremum, vt magnificaretur gloria Dei, & vt ſancti illius Macharij virtus innoteſceret cunctis, ſubito in cor mariti eius aſcendit, vt cum ea loca deſerta penetraret: Illigatam igitur eam ita vt iumenta vinciri ſolent, ad deſerta deduxit. Cumque ita ſancti*

*cti*



*cti Macharij cellulę appropinquarent, iuxta quam monachi ſtabant, obiurgare cœperunt memoratum virum eius, cur cum equa ad monaſterium venire voluiſſet. Ad quos ait ille: Veni huc, vt poſſit miſericordiam Sancti orationibus promereri; illiſq. interrogantibus, quid mali haberet: Vxor, inquit, mea fuit hęc, ſed in equam videtur eſſe conuerſa. Habet autem hodie tertiam diem, ex quo nullum penitus cibum ſumit. quod cum ſupradicti fratres, oranti ſancto Machario (cui iam & hoc ipſum Deus notum fecerat) retuliſſent, vt pro eadem inſtanter oraret, hęc fratribus dixit: Vos, inquit, equi eſtis, qui equorum habetis oculos. Illa enim mulier eſt, nec transfigurata in aliam naturã videtur, niſi eorum oculis, qui pręſtigij vanitate falluntur: Confeſtimq. † benedictam a capite ipſius nudæ infundens aquam (oratione completa) ſubito videri eam omnibus feminam fecit, iuſſitq. eam refici, & gratias agentem Deo cum coniuge ſuo remeare pręcepit, hoc dicens: Numquam omnino a communione Sanctorum myſteriorum ſeparetur, nũquam quod ab Eccleſię oratione diſcedat: hoc enim idcirco perpeſſa eſt, quia per ſeptimanas quinq. myſteria diuina non attigit.*

Et deinde longius poſt prædicta: *Poſthæc,* inquit, *adducitur ad eum in mei pręſentia puer quidam, qui ſęuiſſimi dęmonis ſpiritu laborabat: cumq. vnam ſuper caput eius poſuiſſet manum, & ad cor ipſius aliam, tamdiu deprecatus eſt, quandiu ſuſpẽdi in aere eum faceret, qui puer in morem vtris totus inflatus, ſupra quam ęſtimare quis poſſet intumuit, & ſubito aquam ex omni parte membrorũ*

*cum*

*cum clamore maximo vocis effudit. Itaq. omni illo tumore reſidente, ad priſtinam ſui corporis rediјt ſanitatem, quē*
11 *ſancto perfuſum oleo, & † benedicta perfuſum aqua, proprio*
*reddidit patri, prēcepitq. vt per quadraginta dies nec carnes eum edere, nec vinum potare permitteret; & ſic eum perfectæ reddidit ſanitati.*

Anno Dñi 370.

Abundantiā vero lactis huius aquæ potū cōtuliſſe narrat Ioan. Caſsianus collationum Patrum lib. 2. collat. 15. cap. 4. de B. Abrahamo, qui vixit ann. 370. Quid ſi etiam, inquit, *Abbatis Abrahæ geſta commemorem, qui pars, id eſt, ſimplex pro ſimplicitate morum & innocentia cognominatur. Qui cum metendi gratia de eremo ad Ægyptum perrexiſſet, & a muliere quadam paruulum ſuum lactis inopia iam tabidum, atq. ſeminecem prēferente lachrymoſis precibus fuiſſet obſtrictus, calicem*
12 *† ei aquē potandum impreſſo crucis ſignaculo dedit: cuius*
*hauſtu confeſtim mirum in modum arida iam penitus vbera, copia lactis redundante confluxerunt.*

Anno Dñi 370.

Magnam quoque locuſtarum vim, omnia conſumentem, huius aquæ vſu extinxiſſe B. Aphratem narrat idem Theodoretus in illius vita, his verbis: *Iam vero dicunt etiam, quod cum locuſtē aliquando regionem repente inuaſiſſent, & inſtar ignis omnia conſumerent, ſegetes, arbores, prata, & nemora: venit ad eum quidam vir pius, rogans, vt opem ferret vnum quidem agrum habenti, ex eo autem, & ſe, & vxorem, & filios, & familiam alenti, & a quo etiam imperatoria exigeretur collatio. Is ergo rurſus Dominicam imitans benignitatem, iuſſit ad*

*ſe afferri*



*ſe afferri congium aquē. Poſtquam autem † aquē congium* 13
*attulit is qui orabat, ei quidem manum impoſuit. Deum autem eſt precatus, vt fluentum impleret diuina virtute. Deinde finita oratione, iuſſit, vt in prēdiј limitibus aqua aſpergeretur. Qui eam attulerat, fecit vt iuſſus fuerat: idque fuit illis agris pro vallo ſacroſancto, & inexpugnabili. Nam vſq. ad illos fines reptantes, & circumuolantes locuſtē inſtar exercitus, rurſus retroceſſerunt, benedictionem impoſitam extimeſcentes, & veluti quodam freno ſuffocatē, & vltra progredi prohibitæ.*

Anno Dñi 370.

Plura vero nec minus admiranda, quæ huius aquæ vſu effecit B. Macedonius refert S. Theodoretus in hiſtoria ſanctorum Patrum, in illius vita quæ 13. eſt in numero, quorum ſeriem hic ſubijcimus: *Vxor quædam,* ait, *cuiuſdam locupletis nobilis inciderat in morbum ingluuiei: & alij quidem eum morbum appellabant operationem, ſeu vexationem dæmonis; alij autem eum exiſtimabant imbecillitatem corporis: ſiue autem hoc, ſiue illud eſſet, erat huiuſmodi. Dicebant eam comedentem in die triginta gallinas non poſſe appetitionem extinguere ſatietate. ſed adhuc alias appetere. Cum ſic ergo in ea conſumerentur facultates, eius miſerti, qui ad eam attinebant, diuinum illum hominem obſecrant. Ille autem venit quidem, & precatus eſt, & cum † aquæ dexteram impo-* 14
*ſuiſſet, & ſalutare efformaſſet ſignaculum, & iuſſiſſet bibere, curauit morbum: & adeo retudit immoderatam illam appetitionem, vt deinceps parua aliqua gallinæ particula quotidie eius alendæ vſum impleret. Hic quidem mor-*

*Ss* *bus*

*bus hoc modo eſt curatus.*

Deinde ſubdit: *Mulier quædam nobili loco nata, & longe ditiſsima, ea autem vocabatur Aſſyria, erat quidē emotæ mentis, ex domeſticis autem agnoſcebat neminem: vt cibum autem & potum ſumeret ferre non poterat. Plurimo autem tempore aſsidue delirabat: & hoc alij quidem dicebant eſſe vexationem, & operationem dæmonis. Medici autem dicebant eſſe morbum cerebri. Cum omnis ergo ars eſſet conſumpta, & ex ea nullum daretur auxilium, eius maritus (erat autē is Abrodianus vir, qui & erat ex Magiſtratibus, & magna dignitate præditus) ad diuinum illud caput accurrēs, narrauit morbum coniugis, & orauit, vt ea aſſequeretur curationem. Ceſſit vir diuinus, & domum quidem venit, & magno, ac vehementi ſtudio Deo obtulit orationem. Perfecta autem oratione, cum iuſſiſſet*
15 *†aquam afferri, & feciſſet figuram ſalutaris ſignaculi, iuſſit illam bibere. Cum autem prohiberent medici, vtpote quod potu aquæ frigidæ morbus creſceret, expulſa tota illorum caterua, obtulit mulieri potionem. Illa autem ſimulac bibit, ad ſe redijt, & a morbo omnino liberata, diuinum virum agnouit, & vt dextram acciperet rogauit, oculiſq. eam impoſuit, & ori admouit, & deinceps ſemper fuit mentis compos.*

Et paulo poſt gratiam ſuæ conceptionis, abortuſque prohibiti huius Sācti precibus, ſic proſequitur B. Theodoretus: *Cum mater mea vna cum patre meo habitaſſet tredecim annis, ea nō fuerat facta mater filiorū: erat enim ſterilis, vt quæ fructum ferre a natura prohiberetur.*





*Et ipſa quidem id non valde ægreferebat. Quæ enim erat in rebus diuinis erudita, credebat hoc eſſe vtile: magnam autem moleſtiam accipiebat pater, quod careret filijs, & circumquaq. curſitans, rogabat Dei ſeruos a Deo ei peterent filios. Alij ergo pollicebantur ſe & Deum deprecaturos, & iubebant, vt eſſet Dei voluntate contentus. Hic autem homo diuinus eſt aperte profeſſus, ſe vnum petiturum ab vniuerſi opifice, & ſe petitionem accepturum eſt pollicitus. Cum tres itaq. anni præterijſſent, & promiſſio finem nō accepiſſet, rurſus acceſſit pater promiſſum exigens. Ille autem iuſſit, vt ad ſe mitteretur coniunx. Cum autem veniſſet mater, dixit ille vir diuinus, ſe & petiturum, & eam filium accepturam, & quod oportet eum ei qui dederat dedicari. Cum autem mater ſolum rogaret, vt animę ſalutem acciperet, & vt liberaretur e gehenna: Præter hoc, inquit, liberalis, & munificus Deus tibi dabit filium: iis enim, qui pure, & ſincere petunt, duplices largitur petitiones. Illinc reuerſa eſt mater afferens promiſſi benedictionem. Et quarto anno a promiſſione concipit, & gerit vterum, & accedit ad diuinum hominem, benedictionis oſtendens manipulos. Quinto autem menſe a conceptione fuit periculum abortionis: illa autem rurſus miſit ad nouum ſuum Eliſæum: vetabat enim morbus, ne ad ipſum veniret, & ei reuocauit in memoriam, quod nolebat fieri mater filiorum, & eius promiſſa adduxit in medium. Ille autem cum procul vidiſſet venientem, & agnouit, & cauſam ſignificauit. Noctu enim & morbum, & ſalutem ei oſtenderat Dominus. Accepto ergo baculo, venit*

*ei innitens: & cum fuiſſet intra ædes, & pacis ſalutatio-
nem dediſſet, vt conſueuerat; Bono, inquit, ſis animo: nec ti-
mueris. Neq. enim donum auferet is qui dedit, niſi tu pa-
cta conuenta tranſilieris. Pollicita es autem te ei redditu-
rum eum, qui datus fuerit, & ei conſecraturum ad diui-
num miniſterium. Sic autem, inquit, mater ego & opto &
volo. Exiſtimo enim vel imperfectiſſimum fœtum eſſe magis
expetẽdum, quam a Deo alienam filij educationem. Cum*
16 *itaq. † aquam accepiſſet, & benedixiſſet: Bibe ergo, in-
quit, vir diuinus hanc aquam, & ſenties diuinum auxi-
lium. Bibit itaq. vt iuſſerat, & abortionis effugit pericu-
lum. Hæc ſunt noſtri Eliſæi miracula.*

*Anno Dñi 370.* Multitudinem vero miraculorum, quæ hac aqua
adhibita patrauit B. Iacobus, paucis verbis complexus
eſt B. Theodoretus in eius vita dicens: *Ex his labori-
bus collegit bona diuinæ gratiæ, quorum volunt omnes eſ-
ſe participes. Illius enim benedictione multæ quidem extin-
ctę ſunt, & extinguuntur febres, & multę ægritudines
ceſſarunt, & omnino abierunt: multi autem dęmones coacti*
17 *ſunt fugere, † & aqua quæ ab illius dextera benedicitur,
fit ſalutare pharmacum.*

*Anno Dñi 380.* Peſſimę quoque luis morbum aqua ex ablutione
tumuli S. Martini Turonenſis ſanctificata curare re-
fert S. Gregorius Turonenſis de miraculis eiuſdem
Sancti, lib. 3. cap. 34. his verbis: *Superiori quoq. anno
grauiſsime populus Turonorum a lue valetudinaria va-
ſtabatur. Erat enim talis languor, vt apprehenſus homo
a febre valida, totus veſicis, ac minutis puſtulis ſcateret.
Erant*



*Erant autem veſicę albę cum duritia nullam habentes
molliciem, niſi tantum dolorem nimium inferentes. Iam
ſi data maturitate crepantes cœpiſſent defluere, tunc adhę-
rentibus corpori veſtimentis, dolor validus augebatur.
In qua ęgritudine nihil medicorum poterat ars valere, niſi
cum Dominicum affuiſſet auxilium. Multi enim de baſili-
ca Sancta † benedictionem petentes opem merebantur. Sed* 18
*quid de plurimis memorare neceſſe eſt, cum id meruerint
cęteri, quod vnam vidimus meruiſſe? Vxor ergo Ebori-
ni comitis, cum ab hac lue detineretur, ita his operta veſi-
cis eſt, vt neque manus, neq. plantę, neq. vlla pars cor-
poris eius remaneret vacua, ſed & ipſi quoque oculi ab his
continebantur obtecti. Cumq. iam in diſcrimine mortis
haberetur, ſancti Sepulchri benedictionem expetijt. Tunc
tranſmiſſum eſt ei de † aqua, qua Beati tumulus eſt* 19
*in Paſcha Domini ablutus. Denique delibutis ex ea
vulneribus, ipſa exinde potum ſumpſit. Mox igitur re-
ſtincta febre, ſine dolore decurrentibus veſicis ſana-
ta eſt.*

Et eodem lib. cap. 50. de aqua ex papiro cerei ardẽ-
tis ad ſepulchrum eiuſdem ſanctificata tale refert mi-
raculum: *Lupus*, inquit, *Burdegalenſis vrbis presbyter
quodam tempore grauiter a quartano typo vexabatur,
ita vt accedente febre, neq. cibum, neq. potum ſumere poſ-
ſet: interea aduenit feſtiuitas ſancti Martini Antiſtitis,
& ille celebratis cum reliquo populo vigilijs, mane præce-
dit omnes, & ad Baſilicam Sancti feſtinat. Dum autem
properaret, obuium habuit Iudęum, & eo inquirente quo
pergeret,*

*pergeret, reſpondit: Typum quartanum incurri, & nunc ad Baſilicam Sancti propero, vt me virtus eius ab infirmitate hac diſcutiat. Qui ait, Martinus tibi nihil proderit, quem terra opprimens terreum fecit, & tu caſſo eius ædem expetis. At ille deſpiciens verba ſerpentis antiqui, abijt quo cœperat, & proſtratus coram ſanctis pignoribus, orationem fudit, reperitq. ibi duas candelas ex cera, & papiro formatas: quibus aſſumptis ad domũ redijt, illuminatisq. eis, fauillam papiri cum aqua mũda hauſit, moxq. ſanitatem recepit. Iudæus vero ab hac infirmitate correptus, per anni ſpatium ventilatus eſt. Sed mẽs iniqua neq. tormẽtis mutari potuit vnquam.*

Et lib. 4. cap. 10. *Eſt apud nos patena colore ſaphurnio, quam dicitur Sanctus de Maximi Imperatoris theſauro detuliſſe, de qua ſuper frigoreticos virtus ſæpe procedit. Nam in acceſſu febrium quis poſitus, qui cum tremore fieri ſolet, aduenerit, & de ea aquam hauſerit, mox ſanatur. Eſt & apud Condatenſem vicum, alia quoq. patena a Sãcto exhibita olocryſtallina, ſimile infirmis beneficium præbens, ſi fideliter expetitur. Bodilo vnus de notarijs noſtris cum ſtomachi laſſitudine animo turbatus erat, ita vt nec ſcribere iuxta conſuetudinem, nec excipere quę ei dictabantur, poterat: Tunc cum ſępius verbis increparetur, ſuper hanc beati viri patenam, quam nobiſcum eſſe diximus, aquam fudit, ipſamq. ore tranſponit. Mox ſenſui ſuo redditus, opus officij ſagacius quam conſueuerat, expediebat.*

Et eodem lib. cap. 25. *Leonis ait, presbyteri noſtri vernacula cum ad villulam vbi proximam, parentalibus vlnis deportata ſeceſſiſſet, vi febris opprimitur, & die, ac nocte valde commota, in mortis diſcrimine cernitur: quam videns presbyter exanimari violentia morbi, nocte aſcenſo equo ad Baſilicam ſancti confeſſoris acceſſit, pulſansq. oſtium cellulæ, in qua ęditu us quieſcebat, virum ſuſcitare nequiuit. Cumq. Baſilicam ſancti ingredi non valeret, coram abſida ſepulchri fudit orationem, collegitq. parum de puluere terreno, quod ſecum fide plenus euexit, eumq. dilutum, vt puellulę ad bibendum protulit, protinus febris abſceſſit.*



Et cap. 28. eiuſdem libri: *Nobis quoq. cum rege morantibus, Claudius quidam ex cancellarijs regalibus a febre corripitur. Cumq. cibum, potumq. nimia oppreſſus febre exhorruiſſet, nobis quę patiebatur queſtus eſt, dilutumq. puluerem, quem de Sancto beati ſepulchro pro ſaluatione leuauimus, vt hauſit, mox compreſſa febre, ſanatus eſt.*

Et cap. 33. *Cum autem puer eius in valetudine acerbisſima febre exuſtus iaceret in lectulo, & iam quaſi exanimis haberetur, vt de hoc puluere diluto porrexit infirmo, protinus fugata febre, puer conualuit de labore.*

Et cap. 37. *Tempore autem, quo poſt obitum glorioſiſſimi Regis Gunitranni Childebertus Rex Aurelianenſium vrbem adijt puerorum vnus aulicorum grauiter a typo tertiano, accedentibus, diſcedentibusq. febribus, tremore ſuperueniẽte quatiebatur. Id cum nobis fuiſ-*

*fuiſſet queſtus, de puluere ſancti Sepulchri ei porreximus: quem hauriens compreſſo tremore conualuit. In ſequenti vero nocte, cum dies ille, quo frangi conſueuerat, aduenifſet; vidit per viſum venientem perſonam teterrimam, dicentemq. ſibi: Ecce iam tempus tui tremoris aduenit, quid diſſimulas? Age quod conſueuiſti. Hęc eo dicente, aduenit vir quidam vultu ſplendidus, cęſarie nitens, aſpectu decorus, dicens ei: Ne tremueris, ſed facito ſuper frontem tuam ſignum venerandę Crucis, ſtatimq. ſaluaberis. In hac viſione expergefactus, munitusq. hoc ſignaculo, quo fuerat iuſſus, nunquam vlterius quę pertulerat paſſus eſt. Ab hoc typo Reginę puella fatigata, a potu huius ſancti medicaminis ſumpto ſanata eſt.*

Et cap. 42. *Alius quoq. puerulus Euthymi presbyteri noſtri, cum in valetudinem febris nimię incidiſſet, ac exanimari ab eadem putaretur, de puluere ſancti Sepulchri presbyter leuans, ac fimbrias pallæ ſuperpoſitæ dirumpens ſecum detulit, pulueremq. puero hauriendum dedit, fimbrias vero collo eius alligauit: mox febre reſtincta ſanatus eſt. Non diſpari modo, & Vlfaricus presbyter alteri puero febricitanti ſtudium adhibens ſubuenit; & ille protinus per virtutem Sancti febre carens conualuit.*

*Anno Dñi* 380.

De S. Euphraſia vero huius aquæ aſperſione liberata narratur in vitis Patrum: id autem ſic refert Surius to. 2. die 13. Martij. *Cumq. ille concurreret, & clamores*
20 *ederent, Abbatiſſa † aquam benedictam in eius faciem ſparſit, complectēſq. eam dixit: Filia mea Euphraſia, quid ita anxia es? Collige te, & loquere ſororibus. At illa intuēs in Abbatiſſam, ait: Noli flere domina mea mater, anima enim mea mecū eſt. Tum Abbatiſſa ſignū crucis imprimens fronti eius, orauit, dicens: Domine Ieſu Chriſte, ſana ancillam tuam; nam propter te multa patitur. Cumque eius pedem panno cilicino obligaſſet, eleuauit eam: & apprehenſa manu eius duxit in Monaſterium.*



*Anno Dñi* 390.

Narrat Metaphraſtes aliquot etiam miracula, a S. Io. Chryſoſtomo huius aquę benedictæ vſu patrata in vita eiuſdem ſancti 13. Nouembris: *Illuſtri*, inquit, *cuidam mulieri Antiochiæ, nomen erat Euelia; ei vero erat dilectus filius, qui ardenti febre laborabat, & veniebat in mortis periculum. Quid igitur? mater imitatur Chananæam, & non minus quam filius ſuis inflammata viſceribus accedit ad Beatum, emittens voces illi ſimiles; & non ſimiliter, vt illa in filia, ſed in filio miſerabiliter rogans, vt conſequeretur miſericordiam. Sed oportet animum attendere, & conſiderare, quemadmodum egregio illi viro erat animus, animas etiam curare, illaſque multo magis: quoniam, vt male paterentur corpora, has inueniebat cauſſas. Et hoc quidem iam euaſit manifeſtum, per ea quæ præceſſerunt, a nobis autem rurſus quoque oſtendetur. Videntur enim pueri parentes fuiſſe in vita agenda ſocordes, & negligentes. Cum enim concitate, & inſane admodum ferretur mulier ad ſupplicandum: habebat enim maximam lamentandi occaſionem, vt quæ poſt quatuor filios iam mortuos, ipſum quoque viſura eſſet mori; ille cum ſpiritu in eo habitante vidiſſet ea, quæ latebant, & cognouiſſet quod peccata parentum*

*filijs mortem conciliauerant, cum ea publice accuſaſſet. Hunc quoque, inquit, quintum, niſi eorum, quę feciſtis, vos ſubierit, pœnitentia, videbitis eueſtigio mortuum, & exanimem. Cum autem parentes, his auditis, veram & ſinceram promiſiſſent pęnitentiam, ille miſertus calami-*
21 *tatis † aquam iubet afferri, quam cum ter quidem ſignaſſet in nomine ſanctę Trinitatis, & ter ea aſperſiſſet illum, qui ęgrotabat ſanum, & a morbo liberum reddidit ei, quæ genuerat.*

Subiungit deinde aliud miraculum curatæ cuiuſdam hæretici vxoris, hac ipſa aqua benedicta: *Qui illo,* ait, *tempore erat Præſes ciuitatis, laborabat morbo dogmatum Marcionis, & fauebat illius ſectatoribus; & ideo parti orthodoxę erat cauſa malorum innumerabilium. Huius vxorem is qui arcane, & benigne hęc variat, dimiſit laborare morbo torminis inteſtinorum. illa autem a malo ſuperata, omnem quidem refellit medicinę artem: omnes vero, qui eadem ſentiebant, vocantes ad orationem, non eam melius affecerunt, immo vero deterius, mali tempus ei producentes vana ſpe curationis. Vix tandem autem Ioannis gratię recordati, cum hoc apud ſe ſtatuiſſent, quod ſi per ipſum fieret a morbo liberatio, ſimul etiam deſiſterent a morbo dogmatis, qui eſt longe grauior. Cum ſic ſibi perſuaſiſſent, in lecto decumbentem afferunt mulierem, & eum ſtatuunt pro foribus templi, deſiderantes inuenire Flauianum, & beatum vultum Ioannis. Sancti ergo ad eos egrediuntur; neque enim par eſſe, neque honeſtum*





*cenſebant, vt eis templum pateret, quorum anima non patebat dogmatibus pietatis. Primus autem eis dixit verus ille homo Dei: Beata, inquam, illa & ſuauis lingua. Quid vos mouit, vt ſtatueritis venire ad templum Chriſtianorum; qui Chriſtum quidem auerſamini; Marcionem autem plurimi facitis, & habetis in magno honore? quod quidem plane ſatis oſtendit, quod illius cultores conuocaueritis ad morbi, aut alicuius moleſtiæ liberationem, & quod cum illi precati eſſent non aſſecuti ſitis curationem, quod quidem vobis accidit præter expectationem. Diſcedite ergo ab hoc ſacro templo, quoniam nec vos poteritis omnino Chriſtum tentare, ne hoc ſtulte putetis. Illi autem dicebant ſe parentum errore eſſe captos, & vſque in hodiernum diem fuiſſe ſuperatos a mala conſuetudine. Sed per Chriſtum, aiebant, vos rogamus, miſeremini pœnitentium. Sic enim cum eo, quod corpus recte afficietis, efficietis etiam, vt ſana ſit anima; ſciatis enim fore, vt nos nequaquam amplius abſtineamus a communione veſtra, quæ eſt ex vera pie-*
*tate. His flexus magnus Ioannes iuſſit, † aquam affer-* 22
*ri, cui cum diuinum ſignaculum inieciſſet Pontifex, ſic enim illic ei perſuaſit, mulieri infudit in Chriſti nomine, quod quidem cum factum eſſet, quæ in lecto decumbebat ſtatim ſurrexit ſana, & cum marito, & ciuibus vna voce vnanimes Chriſtum magnificabant.*

Recenſet & hoc ipſum miraculum Leo Imperator in oratione de laudibus S. Ioã. Chryſoſtomi his verbis:

*Eodem modo quo ciuitas laborabat etiam Præſes ciuitatis, & hæc erat cauſa, quòd malum creſceret. Quid ergo facit Deus, qui animarum ſemper ſaluti prouidet? Vxorem Præſidis ferit morbo dyſenteriæ. Et ea quidẽ omnes accerſit, nihil autem ei prodeſt: ſed omni ex parte auxilio deficitur. Deinde quid? Confugit ad Hæreticos. Ii quoque aggrediuntur ad trium dierum vſque precationem; nec quicquam proficiunt. Neſcit rurſus quid agat mulier; tandem ſtatuit ad virum Diuinum confugere. Deinde id dicit ſuo marito. Perſuadet. Poſtremo venit ad Dei ſeruum. Ioannes de his diſceptat cum Epiſcopo. eis procedit obuiam, ex Eccleſia arcens tanquam indignos. arguit hæreſis. petunt ipſi veniam. aſſentiuntur veritati, maxime autem mulier. Cum Sanctus aquam attuliſſet, rogat Epiſcopum, vt facto ſignaculo crucis ter mulieri aquam aſpergat. Hoc cum factum eſſet, ſtatim mulier accipit ſanitatem, reuerſa ſuis pedibus, & pulchre effecta, reddens quæcunque erat pollicita.*

Anno Dñi 429. Motos quoque fluctus maris mirabilis hæc aqua potuit quandoque componere, vt narrat venerabilis Beda in Anglica hiſt. lib. 1. cap. 17. in hæc verba: *Atque omnium iudicio eligebantur Apoſtolici ſacerdotes Germanus Altiſiodorenſis, & Lupus Trecaſſenæ ciuitatis Epiſcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cęleſtis in Britanniam venirent, qui cum prompta deuotione preces, & iuſſa ſanctæ Eccleſiæ ſuſcepiſſent, intrant Oceanum, & vſque ad medium itineris, quo a Gallico ſinu in Britanniam vſque tenditur, ſecundis flatibus nauis tuta volabat.*

labat:



*Tum ſubito occurrit pergentibus inimica vis dæmonum, qui tantos, taleſque viros ad recuperandam tendere populis ſalutem inuiderent. Concitant procellas, cęlum diemque nubium nocte ſubducunt, ventorum furores vela non ſuſtinent, cedebant miniſteria victa nautarum, ferebatur nauigium oratione, non viribus, & caſu dux ipſe vel pontifex fractus corpore, laſſitudine, ac ſopore reſolutus eſt. Tunc vero quaſi repugnatore ceſſante tempeſtas excitata conualuit, & iam nauigium ſuperfuſis fluctibus mergebatur. Tum beatus Lupus, omneſque turbati excitant ſeniorem elementis furentibus opponendum, qui periculi immanitate conſtantior Chriſtum inuocat, & aſſumpto in nomine ſanctæ Trinitatis leui aquę aſpergine fluctus ſęuientes opprimit, collegam commonet, hortatur vniuerſos, oratio vno ore & clamore profunditur. adeſt diuinitas, fugantur inimici, tranquillitas ſerena ſubſequitur, venti e contrario ad itineris miniſteria reuertuntur, decurſiſque breui ſpatijs pelagi optati littoris, quiete potiuntur.* quod retulit etiã miraculũ Carolus Sigonius de Imperio occidẽtis anno 429.

Mulierem vero a mortuis excitatam aqua per S. Vvinuualocũ ſanctificata, quod certe omni memoria dignum eſt miraculum, narrat Laurentius Surius, de vitis Sancto. to. 2. die 3. Martij in vita eiuſdem ſancti: *Mater familias*, inquit, *quędam haud procul ab eius monaſterio graui languore ad mortem vſque vexabatur. Eius filius a viro Dei in monaſterio inſtituebatur; qui multum ſuæ matri condolens, ſua viſitatione eam leuare voluit.* Anno Dñi 459.

voluit.

23 *voluit. Abiturus autem, a ſancto Vvinuualoco † aquam benedictam accepit. Vbi autem ad eius venit ædes, illa iam obierat, & ad pœnarum loca, vt S. Vvinuualoco oranti diuinitus erat reuelatum, perducta fuit. Circumſtabãt exanime corpus amici lachrymantes, & funeri opportuna præparantes, ac filius eius ſperans adhuc vitali eam frui halitu, aquam ſanctificatam illi aſperſit, dixitque clara voce: ſanet te, mater, Dominus Jeſus Chriſtus in cuius nomine magiſter meus tam multos curat varijs morbis affectos. Ad hæc verba ſurrexit illa, tanquam a ſomno excitata: ſedebatque in lectulo, multum ſudans, quaſi multo fuiſſet fatigata labore. Et primo quidem omnes qui aderant, proni in faciem corruerunt, & Deum in S. Vvinuualoco virtutem ſuam mirifice declarantem, vnanimiter collaudarunt: deinde vero ex illa percontabantur, quo pacto eſſet ſuo reſtituta corpori. Tum illa: dæmonum, inquit, turba me circundedit, vinctisq. manibus, ac pedibus ad loca tormentorum perduxit. Interim vero S. Vvinuualocus nobis venit obuiam, dæmonesq. his vocibus increpauit: quænam hęc veſtra eſt temeritas, & audacia, vt hanc mei iuris famulam vobis vendicetis? Mox illi conſternati, & territi, viro Dei me permiſerunt, cuius precibus ſum ad vitam reuocata.*

Anno Dñi 483.

Ad fontem etiam baptiſmalem geſtum miraculum illuminationis Felicis cæci narrat Victor Vticenſis hiſtor. Vãdal. perſecutio lib. 2. de S. Eugenio: *Quia,*
24 inquit, *ego te ad illum direxi, & illa hora † qua benedicit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem contingent oculos*



*los tuos, & aperientur, & videbis lumen.* Et paulo poſt: *Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu pulſans ſingultibus cęlum criſpantẽ benedixit alueum fontis. & cum completa ſurrexiſſet oratione, ita cæco reſpondit: Iam tibi dixi, frater Felix peccator homo ego ſum; ſed qui te viſitare dignatus eſt, pręſtet tibi ſecundum fidem tuam, & aperiat oculos tuos. Simulq. vexillo Crucis conſignante oculos eius ſtatim cęcus viſum, Domino reddente, recepit.*

Anno Dñi 488.

In dedicatione vero Baſilicæ Principis Archangelorum Michaelis ſic habetur, de ſaluberrima quadam cæleſtis aquæ ſtilla, apud Surium tom. 5. 29. Septemb. *Ex ipſo autem ſaxo, quo ſacra tegitur ędes, ad Aquilonem*
*altaris, dulcis, & nimium lucida guttatim † aqua dilabi-* 25
*tur, quam incolæ ſtillam vocant. Ob hoc & vitreum vas, eiuſdem receptui præparatum, argentea pendet catena ſuſpenſum, morisq. eſt, populo communicato, ſingulos ad hoc vaſculum aſcendere per gradus, donumque cęleſtis deguſtare liquoris. nam & guſtu ſuauis eſt, & tactu ſalubris. Denique nonnulli poſt longas febrium flammas, hac hauſta ſtilla, celeri confeſtim refrigerio potiuntur ſalutis.* Sigebertus refert hanc dedicationem ad annum 448. alij vero ad annum 492. Alij vero ad annum 536. nobis vero probabilior videtur Sigeberti ſupputatio.

Anno Dñi 489.

At quod Marcellus Apamęorũ Epiſcopus ex aqua huiuſmodi patrauit miraculum, eſt omnino admiratione dignum, quod refert Theodoretus Eccleſiaſt. hiſtor. lib. 5. cap. 21. & Tripart. lib. 9. cap. 34. &

Nice-

Nicepho. lib. 12. cap. 77. Verba Theodoreti ſunt hæc.
*Atque ex Epiſcoporum numero Marcellus , vir in rebus
omnibus longe pręſtantiſſimus , lege , tanquam machina
bellica , omnia delubra vrbis , cuius Epiſcopatum ipſe
adminiſtrabat , prorſus expugnauit . Qua in re geren-
da fiducia in Deum potius , quam multorum hominum
manu adiutus eſt . Atque hoc loco facinus in primis
memorabile ab eo factum narrabo . Vbi Ioannes epi-
ſcopus Apameę , cuius ante feci mentionem , mortem
obierat ; in eius locum diuinus Marcellus , vir ſpiritu ,
vt Apoſtoli pręceptio vult , efferueſcens , ſubſtitutus eſt.
Venit forte Apameam pręfectus Orientis, duobus ducibus
cum duobus hominum millibus comitatus . Qui quidem,
plebe propter metum ſibi a militibus iniectum quieſcen-
te , delubrum Iouis , quod ampliſſimum fuit , & mul-
tis , ac varijs ornamentis illuſtratum , deturbare ag-
greditur . Verum cum ſtructuram eius valde ſolidam ,
& firme compactam cerneret , exiſtimauit lapidum coag-
mentationem nullo modo poſſe diſſolui . Nam lapides
erant grandiſſimi , arcte inter ſe iuncti , & ferro prę-
terea , ac plumbo colligati . Quare Pręfectum deterri-
tum , cum videret diuus Marcellus , eum ad alias vr-
bes amandauit , ipſeque Deum impenſe precatus eſt , vt
viam ſibi ad illius delubri euerſionem aperiret . Itaque
primo mane , vir quidam , qui neque architectus , neque
lapidarius fuit , neque vllam aliam artem nouit , ſed
lapides , & ligna humeris portare aſſueuerat , ſua
ſponte eo venit . Qui vt acceſſit , pollicitus eſt ſe delu-*

brum



*brum facillime demoliturum , ſolumque mercedem poſtula-
uit , qua duos opifices conduceret . Quam ſimulatque
ſanctus Epiſcopus ei daturum promiſerat , eiuſmodi quid-
dam excogitauit homo ille . Delubrum habebat porticum
quadratam erectam in ſublime, ſibique adiunctam . Hanc
ſuſtentabant columnæ maximę pares proportione ipſi tem-
plo : ambitus autem cuiuſque ſedecim cubitorum fuit ; la-
pis ex quo erant fabricatę , natura duriſſimus , nec fa-
cile lapidariorum inſtrumentis cedens . Quarum ſingu-
las , cum vndique ſuffodiſſet iſte , & ædificia illis innixa
tignis oleagineis ſuffulſiſſet, ad aliud eodem modo tranſijt.
Nam tribus columnis ad hunc modum ſuffoſſis , inijcit ti-
gnis flammam . Verum dæmon quidam ater apparens
tigna , vt eorum fert natura , igne abſumi non patitur ,
ſed impetum flammæ cohibet . Vbi vero iſtud ſæpius
egerant , videbantque machinam illam fruſtra admo-
tam , Epiſcopo ſub meridiem forte dormienti rem indicant.
Ille confeſtim ad ſanctum Dei templum propere contendit ,
aquam in vaſe afferri iubet , quam ſub ſacroſancto altari
ponit . Ipſe autem humi in faciem proſtratus , Domi-
num benignum & clementem precatur, ne tyrannidem dæ-
monis longius ſerpere permittat , ſed tum eius patefaciat
imbecillitatem , tum ſuam ipſius potentiam oſtendat ,
ad eum finem , vt infidelibus nulla maioris cæcitatis inde
detur occaſio . Hæc & alia his ſimilia locutus , cum
† aquam ſigno crucis ſignaſſet . Equitium vnum ex diaco- 26
nis, fide, & pietatis ſtudio egregie munitum, aquã iubet ac-
cipere , ocyus ad delubrum currere ; & cum fide eam ſpar-*

V v gere

*gere, tigniſque flammam adhibere. Qua re confecta, dæmon aquæ aſperſæ vim non ferẽs, penitus aufugit. Ignis autem aqua ſuæ naturę maxime aduerſaria, velut oleo fotus, tigna occupat, eaque momento temporis prorſus abſumit. Itaq. columnę, baſi ſublata, corruunt, aliasque duodecim ſecum deijciunt. Ipſum præterea templi latus columnis coherens, violento illarum caſu pariter deturbatum eſt. Cuius ingenti fragore tota adeo perſonabat ciuitas, vt omnes ad ipſum illud delubrum ſpectandum concurrerent. Atq. ſimul vt intellexere dęmonem infeſtum fugatum eſſe, hymnorum concentu vno ore omnes celebrarũt. Eodem modo ſanctus ille epiſcopus, alia quoq. ſimulachrorum fana demolitus eſt.*

Anno Dñi 506. Sanitatis vero collatæ vniuerſæ domui Hortenſij Senatoris Aruernæ huius aquæ beneficio inſigne refert exemplum B. Gregorius Turonenſis in vitis Patrum in vita S. Quintiani Aruernę ciuitatis epiſcopi, his verbis: *Poſt peractam igitur ſtragem cladis Aruernæ, Hortenſius vnus ex ſenatoribus comitatum vrbis illius agens, quendam de parentibus Sancti Honoratum nomine in vrbis platea nequiter retineri iuſsit; quod celeriter beato viro nunciatum eſt: tum ille per amicos ſuos cœpit rogare, vt eum data audientia ſolui iuberet, quod ille nullatenus præſtitit. Tunc beatus ſenex deferri ſe in plateam, qua ille tenebatur iubet: allatus autem rogabat milites, vt eum dimitterent: illi vero timentes, obedire auſi non ſunt Pontifici. At ſacerdos; ad domum, inquit, Hortenſij me velociter deportate; erat enim ſenex valde, & proprijs pedibus ire*





*non poterat: deferentibus autem eum in domum Hortenſij miniſtris eius, excutiens in eam puluerem calceamenti ſui, ait: Maledicta ſit domus hæc, & maledicti habitatores eius in ſempiternum, fiatq. deſerta, & non ſit qui habitet in ea. Et dixit omnis populus, Amen. Et adiecit: Quæſo Domine, numquam de iſtius generatione promoueatur quiſquam ad epiſcopale ſacerdotium, qui Epiſcopum non exaudit. Egreſſo autem ex ea ſacerdote, protinus omnes familiæ, quę in domo illa erant a febre corripiuntur, & parumper ingemiſcentes ſpiritum exhalabant; quod cum iam die tertia ageretur, videns Hortenſius ſibi nihil de ſuis ſeruis reſeruari, timens, ne etiam & ipſe pariter interiret, ad ſanctum virum mæſtus ingreditur, proiectusque ad pedes eius cum lachrymis veniam rogat, quam ille benigniſſime indulgens, † benedictam aquam domui tranſmiſit:* 27
*illaque per parietes reſperſa, omnis ægritudo protinus eſt depulſa, ac magna ibi virtus apparuit: nam & qui morbum incurrerant ſanati ſunt; & qui ſanati erant, vltra non incurrerunt.*

Nec prætermittendũ illud eſt miraculum de aqua baptiſmali (nam & ea ſimiliter ſancta eſt) quod refert Nicephorus lib. 16. cap. 35. his verbis: *Eadem tempeſtate*, ideſt, Anaſtaſij temporibus, *Epiſcopus quidam Arianus, cui nomen Deutherij fuit in vrbe Conſtantinopolitana Barbam quendam, cum baptizaret, veluti Domini traditionem abolens, præter morem receptum dicere auſus eſt: baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto. Ecce tibi autem vnda, quæ in ſacro lauacro* Anno Dñi 510.

*erat de repente diſparuit, & Barbas inde profugiens miraculum id omnibus promulgauit:* cuius etiam meminit Bernardinus Corius in vita Anaſtaſij, & Carolus Sigonius de Imperio occid. lib. 16. & Gabriel Pratæol. de vit. & ſect. hæretico. lib. 4. cap. 7. licet illud perperam ad annum Domini 493. referat, nam vere referri debet ad annum Domini 510. qui erat vigeſimus ipſius Anaſtaſij.

Anno Dñi 520.

Leproſos vero a ſancta Brigida virgine curatos his verbis refert Laurentius Surius in eius vita paraphraſticos reddita: *Longum*, inquit, *eſt enarrare, quæ per illam Dominus efficere dignatus eſt in teſtimonium eximiæ ſanctitatis eius mira & ſtupenda opera. Coxit quandoque cereuiſiam ex materia exigua, cum Paſcha aduentaret: eamque coctam per decem & octo vicinas diſtribuit Eccleſias, ijsq. omnibus per octo Paſchæ dies abunde ſuffecit. Eodem Paſchate quidam leproſus ab ea vaccam ſibi donari petijt. At illa, cum vaccam non haberet, ſic ei locuta eſt: Vis rogemus Deum, vt te hoc lepræ morbo abſoluat? Tum ille: Nihil vero eſt, inquit, quod ego magis velim, &*
28 *optem. Mox ſancta virgo † aqua benedicta corpus eius adſperſit, & abſceſſit lepra, illeque Deo, vt par erat, gratias agens, cum ſancta virgine ad ſupremum vitæ permanſit diem.*

Et deinde ſubdit: *Duæ virgines paralyſi vexatæ, a S. Brigida aquam benedictam cum ſale accepere, ijsq. vſę, ſanas ſe viderunt, & in Dei laudes proruperunt.*

*Duo Britones oculorum lumine deſtituti, leproſo mini-*

ſtro



*ſtro illos ducente, ad oſtia Eccleſię eius peregre venerunt, eiuſque precibus ſalutem ſibi reſtitui precabantur. At illa iuſſit eos parumper expectare, cibumque in domo hoſpitali ſumere, donec ipſa Domino pro illis preces offerret. Illi vero indignatione commoti; Tuæ, inquiunt, gentis ægros ſanas, nos autem tanquam aduenas, & peregrinos negligis. Illa audito hoc conuicio, exit ad eos, & † aqua be-* 29
*nedicta in illos adſperſa, cæcis lumen, leproſo corporis munditiam reſtituit.*

Et breuiarium Auguſtanæ Eccleſiæ in 3. lectione
feſti eiuſdem ſanctæ: † *Aqua benedicta*, inquit, *& ſa-* 30
*le ſacro graues languores curauit, eadem aqua domũ ſpargens, duodecim ægroti in ea ſimul ſanitati reſtituti ſunt.*

Anno Dñi 545.

Sed illud, quod ſuperioribus iam relatis miraculis omnino eſt ſimile, enarrandũ eſt, vt ſcilicet aqua ignẽ auxerit, illiq. alimentũ pſtiterit; id quod accidit in expugnatione vrbis Edeſſæ, ſeu Emeſſæ, vel magis Emeſſæ, vt ex Marcellino, Metaphraſte, & Petro Trecenſi, ex Martyrologio B. Donatiani M. S. & Adonis chronicis exiſtimat Iacob. Pamelius ad S. Cyprianũ de reuelatione capitis S. Io. Baptiſtæ, cuius narrationem ex Procopio de bello Perſico ſic refert Nicephorus Eccleſiaſt. hiſtor. lib. 17. cap. 16. *Inſuper etiam*, inquit, *Procopius memorat ea, quæ a veteribus quoq. de effigie Chriſti memorię ſunt prodita, quę Augaro Edeſſę principi eſt miſſa. Et quomodo Chosroes ea, quę de illa fama increbuerant, quod ſcilicet Edeſſa numquam in poteſtate alienigenarum futura eſſet, id quod in litteris ad Augarum*

miſſis

miſſis non reperitur : quemadmodum ex Euſebij Pamphili
biſtoria cognoſcere licet, qui epiſtolam eam legit, & ad
verbum operi ſuo inſtruit, & nos quoq. in 2. tomo expoſui-
mus, falſa eſſe conuincere voluerit. Apud fideles quidem
ita & canitur & creditur : res ipſa quoque prædictionis
eius fidem, quod vera maxime ſit, & ſibi ipſi conſentiens,
confirmat. Chosroes nanque maximo impetu vrbem ador-
tus, atque omnia fere expertus, innumerabilibusq. ten-
tatis vijs, tandem aggerem tantum excitauit, vt ciuita-
tis etiam mœnia ſuperaret, aliasq. infinitas præterea mo-
litus artes, & fraudes, cum probro tamen re infecta in-
de diſceſſit. Quæ vero is contra vrbem eam tentarit, pro
eo atq. potero exponam. Lignorum multam vim, & ma-
teriam aliam quęcunq. facile ignem concipit, milites ſuos,
alijs rebus relictis omnibus, ad vrbem agere iuſſit. Atque
vbi id dicto citius factum, & materia circumcirca con-
ſtructa eſt, terram deinde ingeſſit, & aduerſam aciem
contra vrbem duxit, & celeriter propugnaculis in ſtrue li-
gnorum & aggere collocatis, eam oppugnauit, vſque adeo
vero vrbem altitudine operis ſuperauit, vt ex munitioni-
bus tela in defenſores vrbis conijcerentur. Itaq. cum obſeſ-
ſi aggerem veluti montem aliquē vrbi imminere viderēt,
& hoſtes ex locis ſuperioribus pedibus quamprimum in
vrbem excurſuri exiſtimarentur, ſole oriente exaduerſo
aggeri cuniculos agere inſtituerunt, & ignem ſubijcere, vt
lignorum materia flamma conſumpta agger peſſum iret,
opusq. totum corrueret. Cæterum igne immiſſo, cœptum
eos conſilium fefellit, quod flamma exitum non haberet :
quam



quam aerem concipere, atq. ita materiam comprehendere,
ſicuti conſueuit, oportebat. Itaq. vbi eos conſilium pror-
ſus deſtituit, in extremam deiecti deſperationem, ad ſu-
pernam anchoram, diuinitus ſcilicet acceptam imagi-
nem, confugerunt, quam nulla hominis manus fecerat, ip-
ſe vero Chriſtus Deus Augaro videre eum cupienti fa-
cie in linteum impreſſa, miſerat. Hanc ipſam imaginem
ad cuniculum produxerunt, & aqua conſperſam contra py
ram miſerunt. Et ſubito diuina virtute inuiſibili quo-
dammodo eorum fidei, qui hoc faciebant ſuccurrente, fa-
cile admodum, quod deſperatum antea fuerat, eſt perfe-
ctum. Siquidem confeſtim ligna ignem conceperunt, &
quam celerrime combuſta imminenti ſtatim materiæ eun-
dem ignem immiſerunt, carpentem, & conſumentem om-
nia : obſeſſi ciues poſtquam fumum exilientem ex aggeris
mole viderunt, talia inſuper ſunt moliti. Vaſculis ſiqui-
dem quibuſcunque fictilibus collectis, & ſulphure, pice,
alijsq. rebus ex materia, quę facile flammam corripit,
completis, fundis ad cuniculi foſſam coniecerunt. Quæ fu-
mum emittentia, igne ſcilicet iactus impetu accenſo, effe-
cerunt, vt fumus, qui ex aggere promanabat, prodire inde
non exiſtimaretur. Omnes enim fumum omnem ex ollis
excitari autumabant. Triduo vero poſt, vbi ignis, quę in
medio erant conſumpſit, flammas eius terra reddidit : &
qui in aggere conſtiterant Perſæ pugnatores, tandem intel-
ligere cœperunt, in quod nam diſcrimen perueniſſent. Tum
Chosroes, veluti aduerſus virtutem diuinam contrarijs
cœptis eundum ſibi eſſe exiſtimaret, quę vrbem pręterfluit
aquam

aquam contra pyram ardentem extinguère eam volens, 31 immiſit. † At illa magis magisq. accendebatur aquarum vim omnem perinde, atq. ſulphur, aut oleum, aut liquorem alium ad inflammandam materiam idoneum excipiens, in ſublime eo vſque ferebatur; donec agger omnis in foſſe cuniculis conſidens, in cineres eſt redactus. Itaq. Choſroes rebus ipſis ad deſperationem abductus, tandem vim eam, quę vrbem defenderet, cognouit, & pudore perculſus, in regnum ſuum rediјt, pęnitentia ductus, quod tantos fruſtra labores ſubiјſſet, per quos ita manus contra Deum tollere voluiſſet.

Anno Dñi 550.

Pręclarum plane miraculum eſt, quod refert S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 10. de S. Fortunato epiſcopo Tudertino his verbis: Neq. hoc ſilere de huius viri virtutibus debeo, quod ante dies fere duodecim audiui. Quidam nanque ad me deductus eſt, ſenex pauper, atque vt mihi ſenum collocutio eſſe ſemper amabilis ſolet, ſtudioſe hunc, unde eſſet, inquiſiui; qui ſe eſſe de Tudertina ciuitate reſpondit; cui inquam: quęſo te pater, num Fortunatum epiſcopum noſti? qui ait: Noui, & bene noui. Tunc ipſe ſubiunxi: Dic ergo, ſi qua illius miracula noſti, & deſideranti mihi, qualis vir fuerit, innoteſce. qui ait: Homo ille ab iſtis hominibus longe fuit, quos videmus modo: nam quidquid ab omnipotenti Deo petiјt, ita dum peteret, impetrauit: cuius hoc vnum narro miraculum, quod ad pręſens animo occurrit. Quadam nanq. die Gotthi iuxta Tudertinam ciuitatem venerunt, qui ad partes Rauennę properabant, & duos paruulos puerulos de poſſeſſione abſtulerant,





rant, quæ poſſeſſio præfatę Tudertinæ ciuitati ſubiacebat. Hoc cum viro ſanctiſs. Fortunato nunciatū fuiſſet, protinus miſit, atque eoſdem Gotthos ad ſe vocari fecit. Quos blando ſermone alloquens, eorum prius ſtuduit aſperitatem placare: ac poſt intulit, dicens: quale vultis precium dabo, & puerulos, quos abſtuliſtis, reddite, mihique hoc gratiæ veſtræ munus prębete. Tunc is, qui prior eorum eſſe videbatur, reſpondit, dicens: quidquid aliud præcipis, facere parati ſumus: nam iſtos paruulos nullatenus reddemus. Cui venerandus vir blande minatus, dixit: Contriſtas me, & non audis patrem tuum: noli me contriſtare: nam non expedit tibi: ſed idem Gotthus in cordis ſui feritate permanens, negando diſceſſit. Die vero altera digreſſurus, rurſus ad epiſcopum venit: quem iјſdem verbis pro prædictis puerulis iterum epiſcopus rogauit: cumque ad reddendum nullo modo conſentire voluiſſet, contriſtatus epiſcopus, dixit: Scio quia tibi non expedit, quod me contriſtato diſcedis: quæ Gotthus verba deſpiciēs, ad hoſpitium reuerſus, eoſdem pueros, de quibus agebatur, equis ſuper impoſitos cum ſuis hominibus præmiſit. Ipſe vero ſtatim aſcendens equum, ſubſecutus eſt. Cumq. in eadem ciuitate ante B. Petri Apoſtoli eccleſiam veniſſet, equi eius pes lapſus eſt: qui cum eo corruit, & eius coxa mox fracta eſt, ita vt in duabus partibus os eſſet diuiſum: leuatusq. in manibus, reductus eſt ad hoſpitiū. Qui feſtinus miſit, & pueros, quos p̄miſerat, reduxit, & viro venerabili Fortunato mādauit, dicēs: Rogo te pater, mitte ad me diaconū tuū. Cuius diaconus dū adiacentē ueniſſet, pueros,

*quos redditurum ſe Epiſcopo omnino negauerat, ad medium deduxit, eosq. diacono illius reddidit, dicens: Vade, & dic domino meo Epiſcopo: quia maledixit mihi, ecce percuſſus ſum: ſed pueros, quos quęſiſti, recipe; & pro me, rogo, intercede. Suſceptis itaque puerulis, diaconus ad Epiſco-*
32 *pum reduxit, cui † benedictam aquam ſuper membra illius*
*adſperſit. Res mira, & vehementer ſtupenda: mox vt aqua benedicta Gotthi coxam contigit, ita omnis fractura ſolidata eſt, & ſaluti priſtinę coxa reſtituta, vt hora eadem de lecto ſurgeret; & aſcenſo equo, ita cœpit iter agere, ac ſi nullam vnquam lęſionem corporis pertuliſſet. Factumque eſt, vt qui ſancto viro Fortunato pueros cum precio reddere obedientię ſubiectus noluit, eos ſine precio, pœna ſubactus, donauerit.* quod & retulit etiam Dyeg. Payua lib. 3. orthodoxar. explicat.

Anno Dñi 560.

Salis etiam benedicti, quando & is ad aquam benedictam pertinet, exemplum ſubijciemus ex vita S. Monegundis, quæ anno Chriſti 560. vixit, quam B. Gregorius Turonenſis conſcripſit, qui ſic habet: *At illę rogabant dicentes, venturi ſunt multi infirmi ad nos flagitantes benedictionem a te accipere, & quid faciemus, cum te non viderint eſſe ſuperſtitem? Confuſe enim eos foras emittemus, cum tuam faciem non contemplabimur. Rogamus autem, vt quia hęc ab oculis noſtris abſconditur, ſaltem digneris oleum ſalemque benedicere, de quo poſſimus ęgrotis benedictionem flagitantibus miniſtrare. Tunc illa,*
33 *benedicto oleo, ac † ſale, tradidit eis; quę ſuſcipientes di-*
*ligentiſſime ſeruauerunt. Sicq. beatiſſima obijt in pace,*





*& ſepulta eſt in ipſa cellula, multis ſe in poſterum virtutibus repręſentans: nã de memorata benedictione multi poſt eius tranſitum ægroti incolumitatis beneficia ſunt experti.*

Et aquæ benedictæ miraculum eiuſdem ſanctæ refert idem Gregorius lib. In gloriam confeſſorum cap. 24. his verbis: *Quartanarijs & gulam dolentibus data benedicta aqua ſępius medebatur.*

Et de ſancto Euſechio recluſo eodem lib. cap. 82. Anno Dñi
*Quartanarijs vero,* inquit, *tam pręſens beneficium erat,* 560.
*vt † aquam tantum benedictam adhibendum tribuens, con* 34
*tinuo eos redderet ſanitati.*

Sed & aquæ, qua manus lauit S. Domnolus epi- Anno Dñi
ſcopus Cenomanenſis, vim libet referre, vt inde hu- 570.
iuſce noſtræ efficacia manifeſtior appareat. Refert enim Laurentius Surius in illius vita, quã autor fide dignus conſcripſit 16. Maij, ex ea cæcum lumen recepiſſe. Quodam, inquit, *die dominico, cum peracto officio ſolemni ad menſam pranſurus ex more accederet, allatamque aquam miniſter in eius manus infunderet, & lotis manibus malluiuum aſportaret, cæcus quidam, Seagrius nomine, ei venit obuiam, & aquam, quæ de manibus Pontificis defluxerat ſibi dari petijt, ea ſuos oculos abluturus.*
*Miniſter id paruipendens, dedit ei † aquam, vt petierat.* 35
*Ea cæcus ſuos perfudit oculos, & in Chriſti nomine, meritis S. Domnoli mox reſtituto viſu lætus abſceſſit. Quem quidem cæcum ſæpius ego vidi multiq.; e ſocijs noſtris: atque ab illo tum iſthuc, tum plura alia Sancti viri miracula didici. Perlata eſt autem huius rei fama ad multorum au-*

*res, & inuito Pontifice longe lateq. diffuſa. Erat enim ſanctiſſimus ille ſenex ſingulari præditus animi munditia, & humilitate. Nec dubium, quin apud omnipotentis Dei ſingularem miſericordiam multum ualeat humani cordis puritas, & ſimplicitas, conuenienter illi ſententiæ Saluatoris: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Anno Dñi 580. Fontium præterea quorundam baptiſmalium miracula refert aliquot inſignia B. Gregorius Turonenſis, quæ in Hiſpania acciderunt tempore Theodegiſili regis in libro miraculorum ad corroborationem Chriſtianæ fidei, qui & in gloriam martyrum eſt inſcriptus his verbis:

### Inſigne miraculum de fontibus Hiſpaniæ.

*Eſt & illud illuſtre miraculum de fontibus Hiſpaniæ, quos Luſitana Prouincia profert. Piſcina namq. eſt apud oſtij campum antiquitus ſculpta, & ex marmore vario in modum crucis miro compoſita opere. Sed & ædes magnæ claritatis, ac celſitudinis deſuper Chriſtianis conſtructa eſt. Igitur cum dies ſacer poſt curriculum anni decedentis aduenerit, quo Dominus confuſo proditore myſticam diſcipulis præbuit cœnã, conueniunt in loco illo cum Põtifice ciues, iam odorem ſacri præſentientes aromatis. Tunc data oratione, ſacerdos oſtia tẽpli iubet ſimul muniri ſignaculis, aduentum Dominicæ virtutis præſtolans: Die autẽ tertia, quæ eſt ſabbathi conuenientibus ad baptizandũ populis, adueniẽs epiſcopus cum ciuibus ſuis, inſpectis ſignaculis oſtia reſerat clauſa, ac mirum dictu, piſcina, quam reliquerant vacuam reperiunt † plenam, ſed cumulo altiore refertam, vt ſolet ſuper ora modiorum triticum aggregari, videasq. huc illuc latices fluctuare, nec parce in diuerſa defluere. Tunc cum exorciſmo ſanctificata aqua, conſperſo deſuper chriſmate, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro ſaluatione reportat, agros, vineasq. aſperſione ſaluberrima curaturus. Et cum exinde multitudo amphorarum ſine collato numero hauriatur, nunquam tamen, vel cumulum minuit, licet vbi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducatur. Et baptizatis omnibus lymphæ in ſe reuerſæ, vt initio produnt neſcio, ita & fine ignaro clauduntur.*



### De illis, qui non adhibuerunt ſupradictis fidem.

*Quidam vero ex hæreticis Deum non metuens, neq. venerationem præſtans huic loco ſancto, neq. credens corde miraculum, quod in eo Dominus ad corroborandum ſuorũ fidem præſtare dignatur, venit cum turba equorum, ſolutaque impedimenta iuſſit in Baſilicam poni, equitibusq. in ea præſepia præparari, irridens miſer, quæ de hoc loco narrabantur ab incolis. Igitur media nocte præterеunte a febre corripitur, ac pene exanimis, & tardius quam debuerat pœnitens, exclamat equites ab æde expellis erat enim ei, ſub rege licet, magna tamen in illa regione poteſtas, expulſisque a Baſilica ſancta equitibus, ad ſe reuerſus, cœpit dentibus proprium lacerare corpuſculum, nec prorſus retineri a ſuis ob nimiã poterat debacchationem*

tionem. Tandemq. oppreſſus inter ſuorum manus ſpiritum exhalauit. Denique Theodegiſilus Rex huius regionis, cum vidiſſet hoc miraculum, quod in his ſacratis Deo gerebatur fontibus, cogitauit intra ſe, dicens: Quia ingenium eſt Romanorum (Romanos enim vocitant homines noſtræ religionis) vt id accidat, & non eſt Dei virtus. Veniens vero ad annum ſequentem oſtium ſigillis ſuis cum epiſcopi ſigillo muniuit, poſuitq. cuſtodes in circuitu templi, ſi forte aliquem deprehendere poſſet fraudis alicuius conſcium, per cuius ingenium in fontibus aqua ſuccederet, ſimiliter & in alium fecit annum. Tertio vero conuocata virorum multitudine foſſas in circuitu Baſilicæ fieri iuſſit, ne forte venis occultis lymphæ deducerentur in fonte, feceruntque foſſę in profundo vicenum quinum pedum, in latitudine vero quindecim. Sed nihil additum potuit reperiri. Tamen vitæ finem faciens anno ſequenti, diem quo hoc myſterium celebrabatur, videre non meruit, eo quod arcanum virtutis diuinę inueſtigare præſumpſit. Habentur autem in ea reliquiæ S. Stephani Leuitæ.

### De illo, qui propter perpetratum furtum nequiuit aquam haurire.

Ergo quia fons ille diuino nutu, vt ſupra diximus, ad officium baptizandi repletur, & quia cum completus fuerit, auide ex hoc populus aquam haurire feſtinat, quidam accepto vaſculo, presbytero, qui hanc aquam miniſtrabat, porrexit ad complendum. Quod dum complet ſenior, hic inter comprimentes turbas manum alteram extendit ad bal

teum,



teum, cultrumq. furatus eſt, quem vagina reconditum habebat, manumq. alteram extendit ad accipiendam hydriam, quam tradiderat presbytero. Qua accepta, amotus in parte alia neque vnam guttam aquæ in ea potuit reperire. Tunc confuſus valde, & ſibi hoc ob furti cauſam eueniſſe cognoſcens, homini cultrum, quem furatus fuerat, reddidit: & ſic iterum porrecta lagena, plenam aquæ recepit. Eſt autem populus ille hęreticus, qui videns hęc magnalia non compungitur ad credendum, ſed ſemper callide diuinorum pręceptorum ſacramenta nequiſſimis interpretationũ garrulationibus nõ deſinit impugnare. Sed virtus Domini diuerſam partem deſtruit, & confundit.

Narrat quoque Ioan. Diaconus S. R. E. qui vixit *Anno Dñi 600.* anno Domini 872. in vita B. Gregorij. Idolorũ templa in Anglia aqua ſanctificata reſperſa iuſſu Gregorij in baſilicas fuiſſe dedicata, cuius verba lib. 2. cap. 37. hæc ſunt: *Pręcepit quoque vt in Anglorum gente idolorum fana non deſtrueret, ſed ſanctificatis † aquis reſperſa, in Baſilicas dedicaret.* 37 verba autẽ S. Gregorij inferius ſuo loco referemus.

Sed iam cætera ſubijciamus exempla ex Symeone *Anno Dñi 613.* Metaphraſte in vita S. Theodori Sicæorum Archimãdritæ, vbi dum leproſi mundati aqua benedicta miraculum narrat, ſic habet: *Rurſus cum in cellula ferrea eſſet incluſus, acceſſit ad eum quidam lepram habens in toto corpore, ac obſecrans, vt pro ſe precaretur: ipſe autem precibus adhibitis iuſſit, vt exueretur, & accepta aqua precatus eſt ad hunc modum: Domine Ieſu Chriſte Deus no*

ſter,

ſter, qui per Eliſęum prophetam mundaſti Naaman Sy-
rum a lepra, quique cum ad nos benignitate tua deſcen-
diſſes, factus homo antequam mortem ſubires, verbo lepro-
ſum curaſti, aſpice aquam hanc, & benedicens ei concede
vt valeat ad emundationem pręſentis ſerui tui, vt ſanus
recedat, ad laudem & gloriam ſancti nominis tui. Per-
actis precibus, & extenſa manu, & ſignans cum figura Cru
38 cis † aquā illam, in caput eius effudit, & ſtatim ab eo lepra
diſceſſit, & totum ipſius corpus mundatum eſt, & abijt lau
dans Deum.

Rurſus ibidem poſt aliqua curationem armento-
rum ſic narrat: Cum in Ancyranorum metropoli magna
lues in homines, armentaq. deſæuiret, eius metropolis cura-
tores, ad Dei ſeruum accedentes ſecum abduxerunt: cumq.
filias haberent monachas in ſanctiſſimo Dei genitricis mo
naſterio, quod Becia vocatur, rogarunt eum, vt ibi mora-
retur, & pro illis Deum obſecraret. Conſtituto autem ſup-
plicationis die, omnes ciues, & agricolæ conuenerunt ad
ſupplicandum, & ipſe cum illis Deum obſecrans, ab ea
39 peſte ipſos liberauit. † Aquam præterea benedixit: qua
conſpergebantur armenta, & libera erant, quamobrem gra
tias agentes Deo metropolitæ, virum ſanctum ad eius man
ſionem reduxerunt.

Deinde cæci aqua benedicta illuminati miracu-
lum exponens ſic habet: Mulier, quę apud illum habi-
tabat, cum filium quadriennem cęcum haberet, in vlnis
eum ſuis, ad virum ſanctum geſtauit, & multis lachry-
mis ante illum proſtrata, puerum ad pedes eius depoſuit
ſup-



ſupplicans, vt lumen oculorum illi largiretur. Vir beatus
cum pueri oculos obſignaſſet, eiſque benedixiſſet, † aquam be 40
nedictam matri dedit, pręcipiens, vt aqua illa quotidie
mane filij oculos lauaret. quod cum ter egiſſet mater, quar-
to die filium ſanum ad ſanctum virum adduxit laudans
Deum.

Narrat deinde Metaphraſtes in eiuſdem ſancti vita
de filio Imp. Mauritij a lepra ſanato in hæc verba: Con-
tigit, vt vnus ex filijs Mauritij Imperatoris lepręmorbo
laboraret, cui cum medici nullam poſſent opem afferre, Impe
rator virum ſanctum accerſendum curauit, qui in Pala-
tium, vbi puer iacebat ingreſſus, & pro illo preces ad Deum
fundens, † aquam benedixit, cumque illum aſperſiſſet, reli- 41
quum aquę dedit, vt rurſum conſpergeretur, & ſancti viri
precibus puer ſanus effectus eſt.

Aliud deinde addit aquę huius miraculum præ-
fati ſancti Theodori, his verbis: Procul ab hac ci-
uitate ſex paſſuum millibus, erat hortus, quem ma-
gna locuſtarum occuparat multitudo, & totum prope
deuaſtarat; huius horti dominus, cum beatum Theodo-
rum adeſſe intellexiſſet, proceſſit illi obuiam, & ad pe-
des eius proſtratus, calamitatem in hortum ſuum a locuſtis
illatam indicauit. Cui vir ſanctus; Abi, inquit, fili, &
affer aquam in uaſe. cucurrit ille, & e propinquo flumine
† aquam attulit, quam Dei ſeruus cum benedixiſſet, dedit 42
ei dicens: Hac aqua quatuor horti tui angulos conſperge,
& dabit tibi Dominus quod exoptas. Ad hortum reuerſus
homo, ſtudioſe fecit quæ vir ſanctus pręceperat, cumque

*ad locum, quem primū aſperſerat, reuertiſſet, ne vnam quidem locuſtam reperit, paulo poſt item inuiſens, omnes plane locuſtas deletas inuenit.*

Et paulo poſt: *Cum ad pontem, qui Tantaendia dicitur, perueniſſet Phentinus quidam caupo obuiam illi miſit, qui eum rogaret, vt in hoſpitium ſuum ingredi vellet, ſibique benedictionem ſuam relinquere, iacebat enim ſemimortuus multo iam tempore, & facies eius poſt tergum erat diſtorta: ad eum igitur ſanctus Theodorus ingreſſus cauſam quæſiuit, quamobrem id ei contigiſſet, cui ille reſpondens; cum eſſem, inquit, extra diuerſorium venit canis quidam, & coram me hiauit, quamobrem ego quoque inuitus idem feci, cumque ipſe ſtatim euanuiſſet, ego in febrem incidi, faciemque diſtorſi. Verum ſi tu ſerue Dei aliquid potes, adiuua me. Nam cum & greges, armentaq. mea interirent, poſteaquam tu pro me preces fudiſti, ne vnum quidem animal perijt. Hæc ille cum dixiſſet, pro ipſo precatus*
43 *Deum beatus vir ter in eius faciem inſufflauit, † & aquæ benedicens dedit ei: Accipe inquiens, & hac te aqua conſperge, quod enim vidiſti dæmonium erat, ſed in Chriſti nomine, cum reuertemur a precatione, te ſanum & incolumem inueniemus.* Et poſt aliqua: *Cumque ad præfatum pontem veniſſet audito Phentinus eius aduentu, proceſſit illi obuiam ſanus, & laudans Deum, qui ſe ſerui ſui precibus a tali periculo liberaſſet, animique grati munus obtulit equum ex armento ſuo.*

Poſt multa aliud narrans miraculum dicit: *Appropinquanti autem ad ſanctiſſimæ Dei genitricis monaſterium*

rium



*rium, obuiam venit illi Theodorus ille dux regius, de quo paulo ante mentionem fecimus, & domum ſuam ad partes ſuperiores ſitam duxit virum ſanctum, vt eam a magna dæmonum vexatione liberaret. Et homines enim & animalia rationis expertia ab immundis ſpiritibus vexabantur, & cum domeſtici pranderent, aut cœnarent, lapides ſuper menſas iaciebantur, ex quo magnus omnes terror inuadebat, & mulierum telæ rumpebantur, & tanta murium & ſerpentum multitudo domum occupabat, vt præ formidine nemo in eam ingredi auderet. Domum igitur Dei ſeruus ingreſſus, totam noctem pſallendo, & Deum obſecrando traduxit, † & aqua cui benedixerat, totam domum aſpergens* 44
*eam a ſpiritibus immundis liberauit.*

Longiuſcule poſthęc aliud referens miraculum ſic habet: *Apocomenſis vici incolæ bouem occiderunt, vt carnibus eius veſcerentur. Contigit autem, vt omnes, qui ex illis carnibus comederant, in morbum inciderent, & iacerent vt mortui, & quidquid carnis reliquum fuit, nigrum euaſit, ac fœtidum. qui igitur ex carne illa non guſtarant, id quod acciderat viro ſancto nunciauerunt; qui reſpondit exitium illud a phalange dæmonum, qui per lebetes pertranſierant proueniſſe, & cum eo tempore non poſſet cum illis diſcedere, benedixit † aquæ, quam per vnum e Fratribus mi-* 45
*ſit, vt periclitantes conſpergeret, eiſque bibendam propinaret: quo facto, cuncti tanquam e ſomno ſurrexerunt, præter vnum, qui mortuus eſt: Ioannes enim procurator, cuius fratri ea calamitas contigerat, non expectans viri ſancti benedictionem, accurrit ad mulierem, & dum eius incanta-*

 tiones

*tiones adhiberet fratri, ille animam egit.*

Anno Dñi 665.

Præclarum etiam refert miraculum Audoenus epiſcopus Rothomagenſis in vita B. Eligij epiſcopi Nouiomenſis lib. 2. cap. 20. his verbis: *Cum aliquãdo dies natalitius beati Petri Apoſtoli haud procul Nouiomenſi oppido in vico quodam celebraretur, beatus Eligius illic ſuo more conſtantiſſime prædicabat verbum Dei, dicebatque profligandos, & exterminandos eſſe cunctos dæmonum ludos, & nefandas ſaltationes, atq. choreas, vanas quoq. & impias ſuperſtitiones. Sed ea verba præcipui quidam eius loci habitatores indigniſſime ferebant, quod legitimas, vt ipſi putabant, conſuetudines eorum abolere vellet. Tractarunt tunc quidam impij inter ſe, præſertim e familia Erchonoaldi, qui erat palatio pręfectus, de nece ſancto Eligio afferenda, ſi pergeret ipſorum nugas inſectari: quod vbi ille comperit, martyrij incenſus deſiderio, vno duntaxat diacono, & duobus clericis ſibi adiunctis, reliquis domi manere iuſſis ocyus eo profectus eſt, & per medias turbas tranſiens, in edito quodam loco ante Baſilicam maiori inſtantia concionabatur, acriter obiurgans illos, quod ſpretis ſalutaribus monitis, vſque adeo dæmonum ludibrijs dediti eſſent. Jis verbis admodum commoti conuicijs & contumelijs eum proſcindebant, mortem ei minitantes, atque dicentes: Numquam tu Romane, licet crebro eas taxes, noſtras poteris abrogare conſuetudines: ſed eas nos mordicus retinebimus, nec vllus mortalium tollet nobis gratiſſimos ludos. Tum ille nihil ſe proficere cernens, rei indignitate permotus, Dominum*

JE-



*IESVM toto pectore orauit, vt permitteret homines improbos, qui tam audacter contra eius pręcepta venirent, & dęmonibus petulanter obſequerentur, ab ijs ipſis obſideri, vt vel ſic cognoſcerent, quorum operibus delectarentur, & homines fideles propenſius laude, & prædicatione ipſius Chriſti nomen offerrent. Dixit, & confeſtim permulti, ij pręſertim, qui manus ei inijcere moliebantur, a dęmonibus arrepti, multis modis debacchari cœperunt: Ea re valde territi omnes, qui aderant, ad hominis Dei ſe veſtigia abijciebant, veriti, ne ſimilia paterentur: promittebantque ſe dictis eius omnibus audientes fore. Ad quos vir beatus: Ne timueritis, inquit, ſed iuſtum Dei iudicium laudate: dignum eſt enim, vt qui eius iuſſa contemnunt, ad tempus illis traditi, quos amant, ſentiant magiſtros ſuos, quos colunt. Vos autem, ſi Chriſti pręceptis libenter parere vultis, nihil timeatis hos latrunculos. Multis autem rogantibus, vt pro eis Dominum deprecaretur; ſinite, inquit, re ipſa experiri illos, quibus hactenus morem geſſerint. Atque ita illo anno vſque ad anniuerſarium eius ſolemnitatis diem, manſerunt illi obſeſſi a dęmonibus. In ipſa autem ſolemnitate iuſſit eos omnes exhiberi palam, porrigenſque eis aquam † benedictam, illico* 46
*curauit illos. erant ſane homines amplius quinquaginta. Cumque eos probe inſtituiſſet, & grauiter obiurgaſſet, ſanos a ſe dimiſit.*

Anno Dñi 680.

Perpetuam vero quandã cuſtodiã, ac pręmunitionem hac aqua ſuis monachis a B. Aichardo Abbate

Gi-

Gimenſienſi pręſtitam explicat Fulbertus in eius vita, apud Sur.tom. 5. his verbis: *Erat plane viro Dei familiaris conſuetudo, cum fratres poſt labores diurnos corpora placido ſomno recrearent, vt paſtor ſolicitus ſupra gregem Dominicum vigilias inſomnes duceret, & clauſtra Monaſterij, & ſingula familiæ Dei habitacula pererrando muniret, geſtans ſecum crucem Dominicam †, & aquam*
47 *exorcizatam ad effugandas importuni hoſtis inſidias.*

Anno Dñi 688.

Comitis Egfridi Angliæ Regis famulum pene extinctum hac aqua curatum refert venerabilis Beda in vita S. Cuthberti cap. 25. his verbis: *Cum ergo electus ad epiſcopatum vir Domini Cuthbertus, ſuam remeaſſet ad inſulam, atque aliquantulum temporis ſecreto domino ſolita deuotione militaret, euocauit eum venerabilis epiſcopus eius Eata, atque ad ſuum colloquium Mailros venire præcepit. Quo expleto colloquio, dum domum redire cœpiſſet, occurrit illi Comes quidam Egfridi Regis, rogauitq. obnixe, vt ad benedictionem dandam in villulam ſuam, domumq. diuerteret: quo cum perueniſſet, & gratifico omnium ſuſceptus eſſet officio, indicauit ei vir de infirmitate famuli ſui dicens: Deo gratias ſanctiſſime Pater, quod nos videre, noſtramq. domum intrare dignatus es. Et vere credimus, quia maximum nobis lucrum & mentis & corporis præſtet aduentus tuus. Eſt autem nobis famulus peſſima diutius infirmitate cruciatus, & in tantum doloris hodie perductus, vt morienti ſimilior, quam languenti appareat. Extrema nanque corporis parte prę-mortua, per modicum ore & naribus flatum trahere videtur.*



*Qui confeſtim benedixit † aquam, & dedit miniſtro* 48
*Comitis nomine Baldhelmo, qui nunc vſque ſupereſt, & in Eccleſia Lindisfarnenſi presbyterij gradum officio tenet, moribus implet, virtuteſque viri Dei curatis ſcire volētibus, referre melle dulcius habet, qui & mihi hoc ipſū, quod refero miraculum narrauit. Huic ergo dans aquam benedictam vir Dei: Vade, inquit, & guſtandam præbe languenti: qui dictis parens attulit aquam ægrotanti: quam dum tertio ori eius infunderet, continuo contra morem ſe quietum dimiſit in ſoporem. Erat enim iam veſpera: qui etiam ſilentio tranſegit noctem, & viſitanti ſe domino ſuo ſaluus mane apparuit.*

Aliud deinde refert miraculum in hæc verba: *Quadam autem die, dum parochiam ſuam circumiens, monita ſalutis omnibus ruri caſis & viculis largiretur, nec non etiam nuper baptizatis ad accipiendam Spiritus ſancti gratiam manum imponeret; deuenit ad villulam cuiuſdam comitis, cuius vxor male habens, quaſi proxima morte iacebat: cui iam venienti occurrens ipſe comes, flexis genibus gratias egit Domino de aduentu illius. Et introducens eum, benigno recepit hoſpitio. Cumque lotis more hoſpitalitatis manibus, & pedibus reſediſſet Antiſtes, cępit referre ille vir de languore coniugis deſperatæ, obſecrans, vt ad aſpergendam eam, aquam benediceret. Credo, inquit, quia mox, aut ſanitati, Deo donante, reſtituatur, aut ſi moritura eſt, perpetuam de morte tranſeat ad vitam, citiuſquam moriendo, compendium tam miſerabilis, ac diutinę vexationis accipiat. Annuit deprecanti vir* Dei, *& alla-*

49 *allatam benedicens † aquam, dedit presbytero, præcipiens vt ſuper languidam aſpergeret: qui introgreſſus cubiculum, in quo illa exanimi ſimillima iacebat, aſperſit illam, & lectulum eius: ſed & os illius aperiens, guſtum ſalutiferi hauſtus immiſit. Res mira, & vehementer ſtupenda. Mox vt eam aqua benedicta tetigit languentem, & quid erga eam ageretur prorſus ignorantem, ita plenam mentis & corporis ſanitatem recepit, vt confeſtim reſipiſcens, benediceret Dominum, gratiasque referret ei, qui tales, tantoſque hoſpites ad ſe viſitandam, curandamque deſtinare dignatus ſit. Nec mora, exurgens ipſis ſuæ ſanitatis miniſtris miniſterium ſana præbuit, pulchroque ſpectaculo ipſa prima de tota tanti viri familia epiſcopo potum refectionis obtulit, quæ per ipſius benedictionem poculum mortis euaſit, ſecuta exemplum ſocrus Apoſtoli Petri, quæ curata à febribus per Dominum, continuo ſurgens, miniſtrabat illi, ac diſcipulis eius.*

Anno Dñi 700.

Peſtilentis vero morbi curationem præclarum de S. Vvilibrordo epiſcopo Traiectenſi refert Albinus Flaccus, in eius vita, his verbis: *Eſt in Treuerenſi ciuitate Monaſterium puellarum, quod temporibus beati Vvillibrordi epiſcopi peſtis acerrima inuaſit: cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur: quædam vero longo infirmitatis dolore iacebant in lectulo. Cæteræ vero nimio terrore turbatæ, quaſi præſentem mortem metuebant. Et quia prope eſt prædictæ ciuitati ſancti viri monaſterium, quod appellatur Eſternaco, in quo vſque hodie ſanctus ille requieſcit corpore, & eius poſteri ex legitima traditione patris,*





*tris, & piiſſimorum pietate regum tenere noſcuntur: ideo antedicti feminæ Monaſterij audientes ſanctum virum illuc venire, ſtatim miſerunt legationes, poſtulantes eum non tardare venire. Qui beati Petri principis Apoſtolorum mitiſſimo doctus exemplo, de Ioppe ob uiduarum Chriſti petitionem venientis Lyddam, vt ſanctã ſuſcitaret Thabitam, feſtinus venit, audito deſiderio ancillarum Chriſti, ad illas: & ueniens mox in eodem monaſterio Miſſa pro in-
firmis celebrata, † aquam benedixit, qua & domos illarum 50
adſpergi iuſſit, & ægrotantibus potandam tranſmiſit: quæ cito, diuina donante miſericordia conualuere, nec vllæ in eo monaſterio prædicta peſte exinde moriebantur.*

Et deinde: *Contigit cuidam patriſfamilias, & domui ſuæ dira dæmoniacæ illuſionis tentatio, ita vt aperte malignus in eius domo ſpiritus ex horrore, & maleficijs habitare agnoſceretur. Nam ſubito cibos, vel veſtimenta, vel alia domui neceſſaria rapere ſolebat, & in ignem mittere: quia etiam paruulum inter amplexus parentum pauſantem, illis dormientibus tulit, & in ignem proiecit. Sed vagitu infantis parentes excitati, vix paruulum de incendio eruerunt. & multa atrocia eadem familia a nefando ſpiritu perpeſſa eſt, nec a quolibet presbyterorum expelli potuit, donec vir ſanctus Vvilibror-
dus a patre familias poſtulatus, † aquam illis benedictam 51
direxit, præcipiens omnem domus illius ſupellectilem foras efferre, & aqua illa adſpergi, præuidens in ſpiritu domum flammis conſumendam eſſe: quibus ita geſtis, vacuam domum a loco lectuli ignis inuaſit, totamque conſum-*

*ſumpſit. Altera vero in eo loco cum ſanctificatione aquæ benedictæ ædificata, nihil exinde priſtinę tentationis paſſi ſunt in ea, ſed cum omni tranquillitate, & quiete degentes, & Domino gratias agentes erant, qui illos per ſeruum ſuum redimere dignatus eſt.*

Anno Dñi 700.

Quanti vero hanc aquam faceret B. Hubertus epiſcopus Leodienſis licet ex ſubiectis verbis intelligere, quæ refert Surius tom. 6. 3. Nouembris: *Ceterum, in-*
52 *quit, iam nunc vade, † aquam, quę ſacerdotali conſecratione ſale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute impręgnata eſt, liquorque olim itidem Apoſtolica autoritate benedictus, huc deferatur: quorum aſpergine, atque litura mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantaſmata, vt amplius non ſua audeat inferre machinamenta.*

Anno Dñi 713.

Non minoris efficaciæ cenſetur id quod S. Vſmarus epiſcopus aqua hac ſanctificata egit ad depellendũ pauorem quendam, qui ſupererat ex puellæ a dæmonio liberatione, vt refert Rathenius epiſcopus Veronenſis in eius vita his verbis: *Altera igitur die, ordinante Dei prouidentia, affuit B. Vſmarus epiſcopus: cumq. relatum ei fuiſſet de ea, quæ a diabolo vexabatur, puella, iuſſit illico ipſam ſibi exhiberi. Quod cum factum fuiſſet, ille non de ſua, ſed de Domini præſumens virtute accepto libro cœpit legere exorciſmum ſuper caput eius. Dehinc benedicto oleo nares, oculosq; & os eius liniuit, & protinus immundum ab ea ſpiritum fugauit: liberata tamen puella, pauor quidam, qui præſentia diaboli ſeminatus fuerat, ad*

*huc*



*huc pectoribus vicinorum inerat: At vir Domini præcepit*
*ſibi † aquam cum ſale deferri: quibus benedictis, iuſſit ſpar* 53
*gi per cuncta monaſterij loca: & ſic omnis pauor cum auto-*
*re ſuo ſatana diſceſſit.*

Anno Dñi 720.

S. Opportuna quoque Abbatiſſa Monaſterioli Sagienſis Osburgim mulierem a dæmonio vexatam hac aqua curauit, vt teſtatur S. Adololinus Sagienſis epiſcopus in illius vita in hæc verba: *Non poſſum ſilentio præterire rem admirabilem, quam ſub noſtro conſpectu Dominus efficere dignatus eſt. Malignus dęmon feminam quandam occupauit, eiuſque membra momentis omnibus diuerſis modis crudeliter excruciabat. Amabat eam impenſe maritus eius, & ad multa Sanctorum loca eam ducebat ſpe liberationis obtinendæ. Tandem audita fama S. Opportunę, quod eius precibus vis dęmonum comprimeretur; ad eius Eccleſiam eam deuotus adduxit. Ibi teter ſpiritus ſentiens, ſuas nequitias protritum iri, ita per os feminę clamauit: Vę vę mihi, Opportuna inueterata, quę mihi ſemper inimica fuiſti: quę tuis precibus crebro contriuiſti machinas meas. Aſtabam ego illic inter cęteros dolens, & ecce in me multa cœpit iactare conuicia: Noli ſperare, inquit, rudis & neophyte epiſcope, tua me virtute hinc eiectum iri. Nihil enim te reformido, ſed virtutem aduerſarię meę Opportunę. Interim qui illic ex populo & clero aderant, non ceſſabant cum lachrymis rogare Dominum, vt placatus precibus S. Opportunę famulę ſuę, virtute potentiæ ſuę elideret*
*vires omnes inimici. Adſpergitur autem femina † aqua* 54

Zz 2 *benedi-*

*benedicta, & ſigno Crucis conſignatur, & preces leguntur illi negocio opportunę; cumque ventum eſſet ad ea verba: Adiuro te draco nequiſſime in nomine Agni, qui ambulat ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcat leonem & draconem: mox ſpiritus immundus crudeliter eam diuexans, ita vt vnguibus & dentibus ſeipſam laceraret, terribili voce clamauit: ſcias Opportuna vetula, me quidem nunc egredi, ſed breui rediturum. Iis dictis, femina tranquilla reſedit, oculiſque & manibus in cælum ſublatis, ad aræ latus acceſſit, ſeque B. Opportunæ deuotam fore promiſit: acceptoque pane benedicto, iuit ad hoſpitium.*

*Anno Dñi 721.*

Non minus inſigne refert miraculum Venerabilis Beda lib. 5. Anglicæ hiſtoriæ, cap. 2. dum vitam B. Ioannis epiſcopi Eboracenſis recenſet, his verbis: *Aliud quoque non multum huic diſſimile miraculum de præfato Antiſtite narrauit idem Abbas, dicens: Villa erat comitis cuiuſdam, quę vocabatur* Huch, *non longe a monaſterio, id eſt duum ferme milliarium ſpatio ſeparata, cuius coniunx quadraginta ferme diebus erat acerbiſſimo languore detecta, ita vt tribus ſeptimanis non poſſet de cubiculo, in quo iacebat, foras efferri. Contigit autem eo tempore virum Dei illo ad dedicandam Eccleſiam ab eodem comite vocari: cumque dedicata eſſet Eccleſia, rogauit comes eum ad prandendum domum ſuam ingredi, ſed renuit epiſcopus, dicens ſe ad monaſterium, quod proximum erat, reuerti debere. At ille obnixius, precibus inſtans, nouit etiam ſe eleemoſynas pauperibus*

*datu-*



*daturum, dummodo ille dignaretur ea die, domum ſuam ingrediens, ieiunium ſoluere. Rogaui & ego vna cum illo, promittens etiam me eleemoſynas in alimoniam inopum dare, dum ille domum comitis pranſurus, ac benedictionem daturus intraret. cumque hoc tarde, ac difficulter impetraremus, intrauimus ad reficiendum. Miſe-*
55 *rat autē epiſcopus mulieri, quę infirma iacebat, de † aqua benedicta, quam in dedicationem Eccleſię conſecrauerat per vnum de his, qui mecum venerant, fratribus, pręcipiens vt guſtandam illi daret, & vbicunque maximum ei dolorem ineſſe didiciſſet, de ipſa eam aqua lauaret: quod vt factum eſt, ſurrexit ſtatim mulier ſana, & non ſolum ſe infirmitate longa carere, ſed & perditas dudum vires recepiſſe ſentiens, obtulit poculum Epiſcopo, ac nobis: cęptumque miniſterium nobis omnibus propinandi vſque ad prandium completum non omiſit, imitata ſocrum B. Petri, quę cum fuiſſet ardoribus fatigata, ad tactum manus Dominicę ſurrexit, & ſanitate ſimul, ac virtute recepta miniſtrabat.*

Atque hæc quidem ſunt, quæ ad hanc vſque ætatem miracula, aqua benedicta patrata fuiſſe potuimus reperire: inſignia illa quidem, & quæ maxime prodeſſe poſſint ad fidem augendam & confirmandam.

AR-

## ARGVMENTVM.

Quæ item miracula ad noſtrum vſque ſæculum aqua benedicta adhibita acciderint.

### *RERVM SVMMAE.*

*1 Domus, quæ dæmonibus infeſtabatur, aqua benedicta liberatur.*

*2 Barbilianus Fundus a dæmone Tauri ſpecie inquietatus, ac fere ad deſolationẽ redactus, aqua luſtrali S. Gregorij monitu, defenditur.*

*3 Dente B. Matthæi in aquam benedictam iniecto dæmoniacus curatur.*

*4 Aqua ex ablutione oſsium S. Oſualdi cæcos, ſurdos, & claudos ſanauit.*

*5 Dæmoniacus liberatus ex aqua ſacrata in honorem S. Celſi.*

*6 S. Bonifacius illæſus redditur ab igne, quem prius aqua luſtrali aſpergens ingreſſus eſt.*

*7 Lunaticum aqua benedicta curauit S. Odilo Abb. Cluniacenſis.*

*8 Dæmoniacum item.*

*9 Mutum.*

*10 Phreneticum ſanat S. Robertus Abbas, aqua benedicta.*



*11 Ventris morbum pellit S. Anno aqua benedicta.*

*12 Virum cæcum liberat.*

*13 Mulierem item cæcam.*

*14 Dæmonem aſtantem fugat.*

*15 S. Arnulphus Sueſsionenſis epiſcopus, adoleſcentem pacem, & concordiam refugientem, ac a dæmone propterea oppreſſum, aqua benedicta liberat.*

*16 Plures ſimul infirmos ſanauit.*

*17 B. Pet. Abb. Cauenſis dæmonem ſui diſcipuli ex hac vita migrationi aſtantem aqua benedicta fugat.*

*18 Cæcum illuminat aqua ſanctificata S. Anſelmus.*

*19 Serpentem e ventre mulieris profugat aqua benedicta S. Hugo Abb. Cluniacenſis.*

*20 Præſtigia dæmonum aqua benedicta diſſoluta.*

*21 Dæmoniacus a S. Nortberto epiſcopo Magdeburgenſi aqua benedicta ſanatus.*

*22 S. Bernardus puellam dæmoniacam liberat aqua ſanctificata.*

*23 Puerum item dæmoniacum.*

*24 Plures febricitantes ſanat.*

*25 Sterilitatem mulieri aufert.*

Cæcos

26 *Cæcos decem & nouem illuminauit.*

27 *S. Malachias aqua benedicta ſanat filium Regis Scotiæ.*

28 *Partum mulieri facilem reddidit.*

29 *Cancri morbum curat.*

30 *Dæmones aſtantes morituro, aſperſione aquæ benedictæ fugantur.*

31 *S. Hildegardis Abbatiſſa morbum gutturis ſanat aqua benedicta.*

32 *Loquelam alteri reſtituit ſemimortuo.*

33 *Infirmum in extremis laborantem ſanat.*

34 *Cæcum item liberat.*

35 *Ad fontis baptiſmalis conſecrationem dæmoniacum curat.*

36 *Luis morbus curatus ex aqua, qua S. Franciſcus manus pedesque abluerat poſt ſacra ſtigmata.*

37 *B. Virgo aqua benedicta fratrum cellas aſpergit.*

38 *S. Edmundus aqua benedicta febricitantem ſanat.*

39 *Innaturalis ſitis curata aqua, qua B. Heduuigis Poloniæ Duciſſæ corpus abluerat.*

40 *S. Albertus Carmelita aqua benedicta dæmoniacum curauit.*

*Anus*



41 *Anus quædam aqua luſtrali ſe aſpergens eiuſdem guttas aureas conſpexit.*

42 *Dæmoniacus aquam reſpuit benedictam.*

43 *Stomachi morbum curat aqua, qua S. Coleta corpus abluerat.*

44 *Tibiæ morbus immedicabilis curatus aqua, ex qua B. Ludouina ſe lauerat.*

45 *Tempeſtatem ſedat B. Vincentius crucis ſigno; & aqua benedicta.*

46 *Locuſtas, & bruchos diſperſit.*

*Sacerdos ex contactu ſacrarum reliquiarum in manibus Fratris Auguſtini remanens, dum corpus B. Monicæ erat transferendum non niſi aqua benedicta potuit aboleri.*

47 *Dæmon non audet hominem vexare qui guttam aquæ benedictæ guſtauerat.*

48 *Illam omnino pertimeſcit.*

49 *Infirmus aquam benedictam bibens peccata ſua confeſſus eſt, & nu. 51.*

50 *Dæmones aqua benedicta effugati, ne infirmos vexarent.*

51 *Aqua benedicta diſponitur æger, vt peccata ſua confiteatur.*

*Aqua benedicta præmuniendi infantes aduerſus maleficarum nocumenta.*

 *Ener-*

52 *Energumena mulier a religioſis ſocietatis Ieſu, apud Iaponem curata.*
53 *Plures item infirmi ſanati.*
54 *Plures etiam apud Indos.*
55 *Serpentum ictus aqua benedicta apud Indorum Eccleſiam curantur.*
56 *Febricitantes quamplures.*
57 *Ethnicus quidam infirmus apud Iaponem, aqua luſtrali epota, conualuit.*
58 *Recenſentur ſub compendio apud Alanum Copum quamplura admiranda ab regularibus ſocietatis Ieſu in nouo orbe aqua benedicta patrata.*
59 *Recentiora adhuc mirabilia eadem hac aqua ab eiſdem effecta.*
60 *Febricitans ſanata.*
61 *Aqua cui immiſſum erat de ligno cuiuſdam crucis innocentiam ſociorum detexit.*
62 *Protaſius Bungi regulus febricitans, hac aqua curatur.*
63 *Mulier, quæ ob ſuperſtitionem correpta erat, a dæmone curatur.*
64 *Febricitans Ethnicus curatus.*
65 *Apud Liuoniam infirmi bibentes aquam benedictam, curantur.*





*Dæmonum incantationes diſſoluuntur.* 66
*Illorum item præſtigia profligantur.* 67
*Lacus ab illorum infeſtationibus curatus.* 68
*Dæmoniaca mulier curata.* 69
*Ferrandinæ apud Eccleſiam Cappucinorum febricitantes aqua benedicta curantur.* 70
*Modicum aquæ iuſſu S. Andreæ Apoſtoli effuſæ maximam ignis vim extinxit.* 71

## CAPVT SEXTVM.

REliquum eſt nunc, vt cætera proſequamur exempla, quę ad noſtra vſque tempora acciderunt.

Narrat Bernardinus Corius in vita Ludouici Secundi Imperatoris, quod quædam domus regionis Maguntinæ male a dæmonio obſidebatur, vbi cum a Sacerdotibus litaniæ & pſalmi recitarentur, & domus † aqua ſancta aſpergeretur, lapides proijciebat, & ex aliquibus ſanguinem eliciebat. Qui tamen confeſſus eſt, ſe non poſſe vim aquæ benedictæ ferre, quam cum aſpergebant, dicebat ſe in nefarium quendam intrare, qui cum propria filia adulterium commiſerat. Vt hinc manifeſte peccatores intelligant licet, quam graue illis periculũ immineat. *Anno Dñi 843.* 1

Anno Dñi 860.

Aliud vero inſigne refert miraculum Ioan. Dia-
conus in vita B. Grego. lib. 4. cap. 93. quod tempo-
re Nicolai Papæ accidiſſe refert his verbis: *Reueren-
dæ quoque memorię Nicolai Pontificis tempore, regi-
men eiuſdem monaſterij Zacharia ciuitatis Anagninæ
præſule, ſicut hodie ſupereſt procurante, fundum Bar-
bilianum, cuius ſuperius feceram mentionem; pro inco-
larum ſceleribus dæmon aggreſſus eſt, & in ſimilitudi-
ne taurelli de pratis mugiendo ad domum recurrens, in-
uiſibiliter ſuis corniculis virum ſentiebatur noctu per-
cutere, ouesque a præſepijs extrahens, per contiguos cam-
pos, & compita curſu velociſſimo fatigare. Cumque hoc
diutius faceret, crebroque ruſticis noxius immineret, hu-
iuſmodi percuſſionibus Saxulum quendam, eius prędij con-
ductorem affligendo diſperdidit. Deinde bubulcos ag-
greſſus, tanta cęde perdomuit, vt intra trium menſium
ſpatium neminem illic, præter vnum tantum, Vrſellium
nomine, quemſimiliter affligebat, reliquerit. Qui Romam
veniens, dum tantæ cladis periculum fratribus indica-
ret, interrupto ſermone, monaſterij portis egreſſus eſt, &
obſtupeſcentibus monachis, non niſi mane facto reuerſus
eſt. A quibus curioſe diſcuſſus, quonam ſe pridem tam
ſubita velocitate proriperet, confeſſus eſt, dicens: dum
vobis inſaniam dæmonis reuelarem, taurelus affuit,
anterioribusque pedibus me complectens, ac ſuis corni-
culis tundens, ante ſe cœpit minare, & tota nocte me
ſubire muros coegit & arbores. Cumque nouiſſime per
pontem me conaretur demergere, de complexibus ipſius
exiliui, eumque toto conamine fugiens, ad portas, quas
Euthymius œconomus fecerat, monaſterij huius perue-
ni. Quas clauſas inueniens, ambabus manibus am-
bos eius annulos apprehendi, & dum ab eis me lucta-
retur diuellere, quidam caluus Pontifex obliquo latere
ſe inter portarum rimas excutiens ferula caput taurelli
percuſſit, eumque in fugam compellens, me ab illius per-
ſecutionibus liberauit. Ergo dum incolę deperiſſent, &
nullus ibi habitator accederet, ac per hoc Monachi pro
deſolatione loci ſatagerent, cuidam eorum Gregorius
in ſomnis apparens, iubet, vt ſi dæmonem a monaſte-
rij fundo voluiſſent depellere, ab oratorio ſanctæ Mar-
tinæ in eodem fundo vſque ad oratorium ſanctæ Ma-
riæ, ibidem in Dominico conſtitutum, fratres cum Li-
tanijs † aquam ſpargentes exorcizatam, procederent.* 2
*Quo facto, ita dęmon ab omni monaſterij poſſeſſione re-
pulſus eſt, vt poſtea per confinij limites ore, naribus, at-
que oculis flammas eijcere, porcosque cogere a ſubulco no-
tatus ſit, ſed intra fines Monaſterij numquam intrare
permiſſus.*

Scripſimus nos quoque in vita beati Apoſtoli, & Anno Dñi 954.
Euangeliſtæ Matthæi, quam pridem edidimus, cap.
penult. quod quidam nomen Stephanus, familiaris
Rothildæ ſororis Giſulphi Principis Salernitani, cum
grauiter ægrotaret, & vrgentiſſima ſiti vexaretur, aquã
ſibi afferri ſæpiſſime poſtulauit; quod cum differrent
qui aderant, ſummis clamoribus cœpit dæmonem
inuo-

inuocare quem ſimul cum aqua ipſa, cuius potandæ
deſiderio flagrabat, infauſte cum ebibiſſet: En peſſi-
me torquetur ægrotus, nulloq. remedijs relicto loco,
vnus tantum inuentus eſt Salernitanæ vrbis Anti-
ſtes, qui teterrimum humani corporis obſeſſorem fa-
cili negocio effugaret: dentem ille glorioſi Apoſtoli
3 Matthæi in † luſtralem aquam infudit, quam dæmo-
niacus nequaquam libenter potus, eo vehementius
agebatur: tandem (adeo eſt aquæ ſanctæ vis immun-
do ſpiritui odioſa, atque ingrata) ore ob ſacram potio
nem impedito, e poſteriore hominis parte egreſſus dę-
mon, incolumem illum, ac liberum ab omni infeſta-
tione reliquit.

Anno Dñi 1004. Inſignia plane ſunt, quæ de aqua, qua oſſa B. Oſual-
di abluta erant, refert Surius tom. 5. die 15. Octobris
ex Senato Brauonio: † *Aqua vero, inquit, qua oſſa illa*
4 *abluta erant, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum
& quibuſcunque morbidis ſanitatem reſtituit.*

Anno Dñi 1005. Narrat quoque Laurentius Surius tom. 7. in hiſto-
ria inuentionis S. Celſi, cap. 11. Anno ſalutis circiter
milleſimo quinto, dæmoniacum puerum liberatum
hac aqua porrecta illi ad bibendum in honorem S.
Celſi: *Ante paucos*, ait, *annos me præſente contigit, quod
iam narraturus ſum. Puer quidam ab ipſo pene matris vte-
ro beato Euchario oblatus, in eius Monaſterio degebat cum
alijs pueris, & ad Regulę præſcriptum inſtituebatur. Acci-
dit autem, vt quandoque ex refectorio accepto poculo, ad
hauriendam aquam ſolus exiret, ſed cum e puteo eam at-*

*trahere*



*trahere non poſſet, abijt ad S. Materni oratorium, ad cu-
ius fores ex multa pluuia, magna aquarum colluuies conſti
terat. Interim deliberanti aliquandiu vtrumne biberet
ex illa aqua, nec ne, malus dæmon ſumpta effigie hominis,
apparet, aquam ex illa colluuione hauſtam offert: bibit
puer auide non conſignato potu, redit ad cœnam fratrum.
Ea peracta, cum ex templo poſt dictas gratias fratres re-
dirent, puer idem huc illuc conijcit oculos, & tremebun-
do pectuſculo quendam grunnitum edit; animaduertunt
fratres dæmonem ſibi illum vendicaſſe. Vinctum igi-
tur adducunt ad altare beati Eucharij, orant pro illo:
tandem † aquam ſacrant, eamque in honorem S. Celſi* 5
*bibendam ei porrigunt. Hauſta aqua, illico receſſit te-
terrimus ſatan. Puer autem iam ſanę mentis, cum iu-
re iurando affirmabat ſe ea hora, qua fuit a dæmone li-
beratus, perſpicue vidiſſe beatum Celſum ſtomachabun-
dum vinculis alligantem dęmonem ad fores, diuque re-
pagulis portæ eum excruciantem, deniq. interdicentem ei,
ne deinceps locum illum violare auſus eſſet.*

Illęſum aliquando reddidit ab igne B. Bonifacium Anno Dñi 1012.
aqua hac ſanctificata, vt refert Pet. Damianus S. R. E.
Cardinalis in vita S. Romualdi abbatis, agens de S. Bo
nifacio in conuerſione Regis Ruſſorum, his verbis:
*Rex autem videns eum tam decoris veſtibus adornatum,
ait: Nunc ſcimus, quia te ad vanam doctrinam non pau-
pertatis inopia, ſed veritatis impulit ignorantia. Verun-
tamen ſi vis vera credi, quæ aſſeris, erigantur duę excelſę
lignorum cataſtę, breuiſſimo a ſe interſtitio ſeparatę, &*

*igne*

*ignę ſuppoſito, cum vaporatę fuerint, ita vt vtriuſq. ſtruis
vnus ignis eſſe videatur, tu tranſi per medium; quod ſi
læſus ex aliqua parte fueris, ipſis te penitus conſumendũ
ignibus trademus. Sin autem (quod credi non poteſt) ſa-
nus euaſeris, omnes nos Deo tuo abſque difficultate cre-
demus. Cumque hoc fœdus non ſolum Bonifacio, ſed &
cunctis, quæ aderant gentibus placuiſſet, Bonifacius ita
veſtitus, vt miſſarum ſolemnia celebraturus, prius cum*
6 *† ſanctificata aqua, & incenſo thure vndique perluſtrans
ignem, deinde ſtridentes flammarum globos ingreſſus ita
exiuit illęſus, vt nec minimus capitis eius capillus vide-
retur exuſtus. Tunc Rex, & cęteri, qui huic ſpectaculo in-
terfuerant, cateruatim ad pedes ſe beati viri proijciunt,
indulgentiam lachrymabiliter petunt, & baptizari ſe in-
ſtantiſſima ſupplicatione depoſcunt.*

Anno Dñi 1048. Idem Petrus Damianus in vita S. Odilonis Abba-
tis Cluniacenſis tria refert eiuſdem ſancti inſignia
miracula: *In eodem quoque*, inquit, *Iurenſi monaſterio
vir Domini Odilo aliquando conſtitutus, reperit puerum,
nomine Gerardum, terribili caducę paſſionis languore de-
tentum: qui ſępiſſime quaſi lunaticus corruebat, & ſic
eum occidui languoris impetus obruere conſueuerat, vt in
eo neque vox, neque memoria, nec prorſus aliqua membro-
rum officia remaneret, ac fere a mortuo nihil diſtaret.
Huic homo Dei miſericorditer condeſcendens, fratribus
vt pro eo Dei clementiam deprecentur, iniungit: ipſe vero
ad ſacroſanctũ altare, Miſſam celebraturus, accedit: ęger
etiam, vt intereſſet, admonuit. Cui mox Euchariſtię ſalu-*
taris



*taris munus tradidit: deinde, ſicut ſibi moris erat; † ſan-* 7
*ctificatam aquam cum beati Maioli calice propinauit. Nec
mora protinus a puero languor omnis abſceſſit, ſalus optata
ſuccedit: & ſic per merita beati viri reſtituti ſibi vigoris
incolumitas permanſit.*

Et paulo poſt: *Præterea quidam tam mentis inops
erat effectus, vt poſtpoſita penitus omni cura priuata, vel
publica, per deuia ſoliuagus & nudus erraret, inconditas
voces emitteret, & tãquam dęmoniacum ſe per inordinati
geſtus inſaniam exhiberet. Cui vir Domini paterna pieta-
te compatiens, ſimul cum fratribus ante altare ſancti Pe-
tri proſternitur, diuinam clementiam cum pſalmis & li-
tanijs implorat, vt perire creaturam ſuam ſub huius furo-
ris inſania non permittat. Hinc ab oratione conſurgens, ad
eum qui patiebatur, accedit; † aqua ſanctificationis adſper
git, atq. vt ex ea bibat, ſuadendo compellit. qui non multo
poſt ad Cluniacum ſanus & incolumis venit, xenia piſciũ
detulit, & quia ſibi pleniſſime redditus eſſet, gratias refe-
rens indicauit.*

Subdit deinde: *Alius quoque miles efficaciam edendi
ſermonis amiſerat. Hic per viſionem admonitus eſt, vt ſi
aquam, qua manus beati Odilonis abluebantur, hauriret;
hac ſibi loquendi vires, & amiſſę linguę officium procul-
dubio reformaret. Aqua igitur per miniſtros fideli fur-
to ſubripitur. † Altera etiam aqua a viro Dei benedi-* 9
*cta de calice ſancti Maioli, muto tranſmittitur. quas il-
le cum nimia deuotione ſuſcipiens, mutatis veſtibus in-
greſſus eccleſiam, quia lingua non poterat, ore cordis ora-*

Bbb uit

*uit: & ſic poculo benedictionis accepto, reparatum ſibi locutionis officium recognouit. Mox etiam expedite loquens, mirum de ſe ſpectaculum cernentibus dedit, & quid beatus Odilo apud Deum poſſet, euidenter innotuit.*

*Anno* Dñi 1050.

Militem quendam Bernardum nomine a B. Roberto Abbate monaſterij Caſæ Dei, a phreneſi liberatum aqua ſanctificata recenſet autor in eius vita, quæ adſcripta eſt a Laurentio Surio tom. 2. 24. Aprilis, his verbis: *Militem de monte Guaſconis, cui nomen Bernardus erat, annis tribus continuis, renum iniuria, quam phre-*
10 *neſim medici nominant, laborantem, cum † aquæ ſanctæ adſperſione ſuper eum deuotus orans non ſolum corporis incommodo liberauit, verum etiam poſtea monachum factũ, Chriſti militiæ deputauit.*

*Anno* Dñi 1075.

Alia verò ſunt & ipſa inſignia miracula, quæ de S. Annone Archiepiſcopo Colonienſi refert Surius tom. 6. in illius vita 4. Decembris lib. 2. c. 3. & 5. his verbis: *Inter hæc adoleſcens quidam, vicinorum locorum indigena, toto ventre deformiter intumeſcens, ſibi ſuiſq. factus erat inutilis. Hic meritis beati Annonis ex fama cognitis, vehiculo ductus, montem in quo Deo placitum eſt habitare conſcendit, preſentiam eius adijt, aliquod tanti doloris remedium miſerabiliter quęſiuit: quod, & ſi lingua ceſſaret, ipſa fœditas, & miſeria hominis oculis obiecta, facile extorſiſſet: Exhorruit languoris immanitatem*
11 *Pontifex ſanctus, iuuenemque miſeratus, † aquam benedixit, & ipſa moribundum potauit, & adſperſit. Inde Crucis ſigno ventri impreſſo, eum ad propria celeriter re-*

*meare*



*meare iuſſit, ſpem integerrimæ ſanitatis abeunti cum fiducia promittens: eius vſus exemplo, qui leproſos mundaturus, ad ſacerdotes eos direxit. Si quidem in ipſa, quę iam imminebat, nocte humor ille ſubcutaneus, in perniciem longo tempore male congeſtus, fluxu ventris ſalubriter ad plenum eſt egeſtus: homoque priſtinæ ſanitati reſtitutus, proxima luce pedibus ſuis ad montem recurrit, Deo, eiuſq. ſeruo Annoni, gratiarum voces magnis lętitiæ laudibus perſoluens.*

Et cap. 3. *Venerabilis Pontifex die quadam miſſarum ſolemnia celebraturus, cryptam Sigebergenſis Eccleſiæ, miniſtris proſequentibus, adire cœpit. Et hic homo, luminis ęque carens officio, ſuis votis opportunum tempus & locum ratus, eius conſpectibus ſe ſuppliciter exhibuit, fidem ex viſione ſe collegiſſe teſtatus, quod ea qua damnatus erat, cęcitate liberari poſſet, ſi quam vſui manuum ſuarum exhibitam proieciſſet aquam, hanc duntaxat ipſe mereretur, vnde male vacantes humidos redderet orbes. Non hęc ęquanimiter humilitatis cuſtos accipiens, magis pręſentium exiſtimationem veritus, quam diuinę bonitati diffiſus, hominem aſperrima abiecit inuectione; fallacem eum, & impoſtorem cauſatus, quod reſpectu paruiſſimę ſtipis, odioſę fraudolentię, quę necat animam, ſe ſubdidiſſet: re vera fictę viſionis tum ex corde ſuo verba protuliſſe, cum ſi quid de beneficio diuinę miſerationis eius miſeria exegiſſet, potius hoc illis patrocinantibus agendum foret, quorum probata ſanctitas omni mundo iam olim enituiſſet: non eius, qui quotidianis ſordens piaculis futu-*

*ræ diſcuſſionis metu, & ipſe pro quolibet reperiendo ſuffra-
gio anxius ſtaret. Sic pauperem confuſione plenum ad ia-
nuas relinquens cryptam intrauit. Ab eius vero facie
miſer declinans, in angulum cryptæ ſeſe contulit, ſupernæ
pietatis aures crebris feriens precibus, non incredulus vi-
ſioni ſuæ, nec minus arrogans fidem euangelicis dictis:
Omnis, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pul-
ſanti aperietur. Diu igitur gemitus, & ſuſpiria ſup-
pliciter eo trahente, quidam miniſtrantium clericorum
hæc ipſa poſtea teſtatus, miſerationis intuitu peluim cum*
12 *†aqua deſideranti clam porrexit, quam a manibus ſacer-
dotis ad ſacrificium accedentis ſuſcipiens, non ſine diuinę
voluntatis inſtinctu pro hoc ipſo reſeruauerat. qua mox
faciem totam cæcus fideliter abluens, expectationis ſuæ
moras iam nulli amplius conqueſtus eſt: quippe, qui fu-
gatis tenebris, ſereniſſimæ lucis diem ſibi tunc primum
illuxiſſe magnis plauſibus exultaret. ęſtimans præterea
mentis acrimoniam in epiſcopo tandem leniendam, ſi is,
qui cæcus ante, iam videns eius præſentię redderetur;
poſt Miſſas exeunti, quaſi congratulaturo proſternitur,
voces gratiarum congeminans, & celeritatem ſalutis
impenſæ palam, & vt erat, ab initio recitans. Ad
quæ verba Præſul, quaſi totus iam commotus, quod ra-
tione minime conuincere quibat, ſaltem procaciori inflam
mati pectoris impetu circunſtantibus ingratum efficere vi-
ſus eſt, frequenti iteratione minaciter inquirens, vnde
præſumptionis huius vaniſſimus attentator emerſit, qui
reuerentiam autoritatis noſtræ vilipendens, huic iniuſ-
ſus*



*ſus aquam illam adminiſtrauit, & quid vel ego, nil hac in re habens mererer, vel diuina dignatio concedere vellet, auſu improbiſſimo explorare veritus non eſt, cum lex dicat, Non tentabis Dominum Deum tuum? Tremefactus his inquiſitionibus clericus, cominus ſtans, quod diſſimulare non poterat, ſe ſimpliciter egiſſe verbis, vtcunque collectis ſatisfecit, ſimul & veniam admiſſi non ſegniter petens. Cui pontifex leniter alapam dans: Hunc, inquit, de me rumorem per populum diſſeminare vis, vt leuitate vulgari nouorum mirabilium effector paſſim celebrer, & inſtar antiquorum Patrum ego quoq. meis temporibus, longe meritis infra iacens, operum eorum ſpecimen inſignis, & prodigijs mundo repręſentaſſe dicar? Hac ne vanæ laudis aura tranſitorię tumẽs, inter eos nouiſſime reperiar, quibus ad Deum dicentibus, Non ne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, reſpondebitur, Neſcio vos, diſcedite a me operarij iniquitatis? Tremenda ſane comminatio, nec ſecundum multitudinem doloris illius hęc conſolatio temporalis. Idcirco te, voſq pręſentes omnes, & te quam maxime, non noſtris, ſed diuinis illuminatum beneficijs, inuocatione cuncta cernentis ſemel atq. iterum, iterumq. obteſtor, ne me mortalitatis huius tenebris adhuc circundato, res hęc alienis auribus aliquod ſui veſtigium, vobis prodentibus, vnquam generet. Factum eſt hoc, & quod interim ſilentio tectum latuit, epiſcopo clauſtra carnis egreſſo, relatione clerici memorati, tam nobis, quam & aliorum fidelium cordibus commendatum eſt.*

Et paulo poſt, mulieris a cęcitate liberatæ, quæ ocu
los

los aqua dilui ſibi petierat ab ipſo Sãcto, qui ex humi-
litate pedes lauit, miraculum narrans, ſic inquit: Sed
& mulier egeſtate pariter & cæcitate diuinis obnoxia fla-
gellis, per reuelationem directis ad idem cœnobium greſſi-
bus procedenti poſt Miſſas ab eccleſia ſummo ſacerdoti
prona aduoluitur, ſupplex, & gemebunda. qui ſuſpenſo
gradu, ſicut ſemper infirmiori ſexui ſolebat, & huic pie con-
deſcendens, blandis appellationibus cauſas querimoniarũ
eius percontatus eſt. Illa reſpondente, ſe præmonitam in
viſu, nec vllo dubietatis ſcrupulo teneri, ſi ſuæ dignationis
manus † oculos eius lauando contrectaret, tenebras pellen-
13 das: propter adſtantes ſe commotum ſimulans, vt cuſtodiæ
traderetur, mox imperauit, ſi in ſuſpitione relinquens, ver-
bera quidem ſe ei multiplicaturum: alias autem oſtenta-
tionem fugiens, curam in ſecretis adhibiturus. Cumque ſe-
dens ad menſam prandium iniiſſet, lautiora quæque cibo-
rum ex ſuis manibus ad refectionem eius tranſmiſit, eam-
que finitis epulis, in cubiculum ſuum latenter iuſſit adduci.
quo intrans, duobus clericis, & vno duntaxat puero cu-
biculario arbitris, cæteris hac illac defluentibus, non vt illa
petierat, oculos eius tanquam præſumptor miraculi, ſed hu-
milis magiſtri, & Domini exemplo, poplite flexo, pedes
eius lauit, manibus aquã infudit: poſthæc & alimentorum
copiam adminiſtrans; nimirum per hanc humilitatis viã,
& ſibi & mulieri plus apud Deum profuturus. Nec hæſi-
tandum, inter hæc pietatis & abiectionis officia eum in ſu-
perna animum leuaſſe, & opem cęleſtis medici pro ea im-
ploraſſe. Nam reſidens, obſequio peracto, velut qui reſpon-
ſum



ſum orationis admiſſæ cælitus meruerit, monuit eam bene-
dictionis oblatę perparum deguſtare. Quę vbi vix eiuſce-
modi edulio palatum imbuiſſet, cęleſte ſenſit antidotum, &
reſtitutis plene luminibus, cum immenſis gratiarum actio-
nibus humi proſtrata, Deum in ſeruo ſuo Annone ſuppliciter
venerata eſt. Tum oculis eius experimenti gratia, hæc &
illa proponebantur: cumque abſolutiſſime ſingula quęque
diſcreuiſſe viſa eſt, quinque ſolidos ei pro eleemoſyna vir
beatus impendens, vt ſibi non charam harum rerum opi-
nionem de ſe ne circumferret obteſtatus eſt. Attamen mi-
nus ei credulus, abeuntem ad propria, donec villa digrede-
retur, ab vno clerico comite deducendam curauit.

Et lib. 3. cap. 10. Porro autem dolor pedis omne crus,
& partem femoris occupans, crebro vitalia ipſa infeſta-
bat, cumque ad vicinam mortem iaceret anxius, quan-
doque vidit ex aduerſo diabolum ſtantem, aitque ad eum:
quid tu hic agis ſceleſtiſſime? quamquam non mirum eſt,
ſi nos exiguos, & nullis fretos meritis attentes, quando
nec beatiſſimi Martini ſanctitate abſterritus es, quomi-
nus eius quoque extremis tu inſidiareris. Deinde excla-
mans, num quis opem ſibi ferre vellet, vbi omnes paratiſ-
ſimos comperit † aquam benedictam petiit. Qua celerrime 14
exhibita aſpergillo eam cum impetu coniecit in dęmonem,
isque continuo diſparuit.

Præclara vero ſunt quæ refert miracula Liſiardus epi- Anno Dñi 1087.
ſcopus Sueſſionenſis de S. Alberto epiſcopo eiuſdem
Eccleſiæ, cap. 30. his verbis: Quo tempore vir Dei inter
Flandros pacem componere nitebatur, in pagum Turholt ve-
nit,

*nit, agente dęmone, contentionum, & rixarum flammis*
*ardentem. Hortante autem ſancto viro propinquos eius,*
*cuius ſanguis fuſus erat, vt pacem amplecterentur, &*
*ſatanę incendia ſopirent, adoleſcens quidam Herradus,*
*Herradi presbyteri filius malebat ſurda aure pacis conſi-*
*lia contemnere, quam vel ſe, vel alios ad pacis ſtudium*
*accommodare. Ea cauſa ex atrio Eccleſiæ, in quo ſtabat*
*epiſcopus, exire voluit, ne ſalutares eius admonitiones au-*
*diret, dictumque eſt epiſcopo abire illum, qui vel maxi-*
*ma pars eſſet turbę huius. Confeſtim illum ſequitur ſan-*
*ctus epiſcopus vſque ad comitis ſtationem, atque ibi in*
*humum ſe abijciens coram illo, humiliter orabat, vt pa-*
*cem non reſpueret. At ille iuuenili arrogantia tumidus,*
*noluit illic conſiſtere, ſed veritus, ne ab alijs detineretur,*
*celeriter aufugit. Ecce autem fugientem arripit malignus*
*ſpiritus, ita vt amentia affectus, ſe ipſum dentibus, &*
*vnguibus laceraret. Id conſpicati amici & affines eius, vin*
*ctum pertrahunt ad virum Dei, plurimum obſecrantes, vt*
*ſuperbo, & fatuo ignoſcat, & iniuriam illatam volunta-*
*ria obliuione conterat. Vir Dei reſpondit: Iniuriam pro*
*veritate irrogatam libens amplector, ſed cordis eius du-*
*ritia me dolore afficit. Si ergo vultis, vt pro eius liberatio-*
*ne Dominum exorem, fidem certam detis, vos omnes ve-*
*lit nolit ille, pacem firmam conſeruaturos: & ſi quas ille*
*rixas, aut ſeditiones excitarit, neminem e vobis ſuppe-*
*tias ei laturum. Omnes vna voce dixerunt: Anathema*
*erit inter nos, quiſquis illi opem tulerit, niſi in ijs ad quæ*
15 *tu nos hortaris. Illa promiſſione flexus epiſcopus † aquam*





*cum exorciſmis conſecrauit: qua adoleſcens ille conſperſus,*
*mox malo dęmone liberatus eſt, & mentis bene compos effe-*
*ctus, pacem & concordiam ſancte coluit.*

Et cap. 40. ſic habet: *In parochia Ciſtellenſi eſt quę-*
*dam terrę vena nigerrima, interdum rubra, quę crebris*
*paludibus intermixta, non facile poterat adiri. Atq. in ijs*
*locis moratur genus hominum atrociſſimum, qui omnem gē-*
*tis huius ferocitatem, innata eis audacia animi, ſuperare*
*videntur. Ad ea ergo loca vir Domini pertractus, vt eorū*
*ſæuitiam non nihil moderaretur, & comprimeret, a quadā*
*femina compellatur cum lachrymis & ſingultu ita dicēte:*
*Serue Dei, miſerere mei, & ne recuſes venire in tugurium*
*paupertatis meæ, viſurus multiplicem materiam doloris, &*
*calamitatis meæ. Iacebant enim in lectulis quinque filij e-*
*ius vno eodemque languore affecti, nec poterant mutuam ſi-*
*bi vlla in re operam prę̄ſtare, aut aliquid ferre ſubſidij. Ait*
*ergo mulier: Vide ſerue Dei, quanta ſit miſeria mea, quis*
*me dolor obtineat, quo animi mœrore occuper. Seruio ſo-*
*la quinque viris, propero ab alio ad alium, & ta-*
*men non poſſum ſatisfacere miniſtrando. Tum vir ſan-*
*ctus prę multa commiſeratione ingemiſcens, orauit Do-*
*minum: deinde † aquam conſecrans, totam domum, &* 16
*ægrotos illos conſperſit, aitq. ad eos: In nomine Domi-*
*ni noſtri Jeſu Chriſti propere faceſſat morbus iſte, &*
*vos quamprimum reualeſcentes, matris veſtræ vſque*
*adeo afflictæ miniſterio non egeatis. De repente adeſt*
*virtus Saluatoris, & omnes prorſus incolumes e lectis ſur-*
*gunt.*

Anno Dñi 1090.

Sic & B.Petrus, præclari Cauenſis cœnobij Abbas dæmonem, qui diſcipuli migrationi ex hoc corpore aderat, hac aqua fugauit, vt teſtatur Surius tom.7. in illius vita, cap. 19. *Sed fugare,* inquit, *dęmonia in diſcipulorum tranſitu, ei nouum non erat. Hugo etenim monachus, boni viri Raineri Fabri filius, cum patre & fratre ſuo alio, Mauro nomine, in monaſterio conuerſus eſt: quorum alter frater, velut eruditus, & prudens, Prior monaſterij fuit: hic autem in communi ordine ſimpliciter viuendo, vſque ad mortem manſit. Cumque iam recipiendæ mercedis ſuæ tempus veniſſet, ægritudinem corporeę mortis incurrit. Ad quem pater venerabilis iam tranſeuntem venit, eiuſq. animam omnipotenti Deo commendare ſtuduit: cui & moriens frater dixit: In feneſtra illa, pater, duæ aues ſunt, vna valde pulcherrima, alia horribilis valde, & nigra. Rogo igitur, vt horribilem illam eijcias. Tunc admirari fratres, qui aderant, cœperunt, quod attente monſtraret, & quod monſtrabat, ipſi videre non poterãt. Pius autem pater intelligens, quod moriens frater vide-*
17 *re aliud, quam viuentes poſſet,* † *aquam exorcizatam ſibi afferri iuſſit: qua profecto dum orando adſpergens feneſtrã tangeret, nigram illam auem protinus diſcedere idem moriens vidit: cumq. Deo gratias ageret, ſancta eius anima carne ſoluta eſt. Tunc fratres colligere cœperunt, quia miniſterio venerandi patris in horrida aue malus angelus receſſit, bonus in pulchra ad ducatum prębendum electæ animæ remanſit: qui, alio recedente, eam ſtatim, vt de corpore eſt egreſſa, ad æterna gaudia deducedam ſuſcepit.*

*Nam*



*Nam idem frater poſt aliquantos dies in veſte fulgenti cuidam dormienti apparuit: & iam dubium non fuit, quod a bono duce ſuſceptus, ad æterna gaudia ab hoc exilio aſſumptus aſcendit.*

Anno Dñi 1106.

Cæci vero hac aqua a S. Anſelmo Cantuarienſi archiepiſcopo illuminati lubet adijcere miraculum, inſigne illud quidem. Cuius mentionem facit Edinerus Anglus eiuſdem ſancti conuictor in illius vita lib. 2. his verbis: *Accidit autem vna dierum, dum ipſe pater celebrato Miſſæ ſolemni officio, ſolus, prout ei conſuetudinis erat, in oratorio per fletum Deo ſeſe mactaret, vt quidem homo, pedes ſuos baculo regente, adueniret; Oratorium ipſum irrumpere geſtiens: quem frater, & ſocius noſter Alexander, monachus ſcilicet Eccleſiæ Cantuarienſis, qui pro foribus egreſſum patris forte præſtolabatur, intuens Eccleſiam ſubire volentem detinuit, ſciſcitans quidnam vellet. At ille clamoſa voce ſe oculorum lumen amiſiſſe reſpondit, ac velle, vt ſeruus Dei ſibi manum imponeret, ſciens quod ſancta merita eius ſibi ſubuenirent. Pater igitur clamorem audiens, ſed verba minime diſcernens, innuit præfato fratri venire ad ſe, & cauſam clamoris ſui intimare. Tunc ille: Domine pater, ait, pauper quidam venit, conquerens ſe in oculis grauiter affligi; precaturq. per vos ei ſignum ſanctæ Crucis imponi. At ille pio vultu, Ipſe veniat, dixit. Itaq. tertio ſuper oculos eius, quod petebat, ſignum Crucis cum pollice pingens, orauit ſic: Virtus Crucis Chriſti illuminet oculos iſtos, & ab eis omnem infirmitatem depellat, integreque ſanitati reſti-*

 *tuat.*

18 *tuat. Et aſpergens eos aqua † ſanctificata, hominem præ-
cepit abire. Alexander vero mox illum reducens, monuit,
vt ſi factum viri Dei non vſquequaq. illi hac vice prima
profuit, mane rediret, pollicens quod hoc ipſum illi repetita
vice fieri impetraret. Ad quę ille: Ego quidem bone Do-
mine hac de cauſa non redibo, quia gratia Dei, & fidelis
eius famuli, omni cæcitate fugata, clariſſime video. Hæc ita
ſcripſi, ſicut ab ore ipſius Alexandri, qui præſentem ſe fuiſ-
ſe teſtatur, accepi.*

*Anno* Dñi 1109.

Non minus inſigne eſt miraculum, quod hac
aqua patrauit S. Hugo Abbas Cluniacenſis, vt nar-
rat Hugo monachus eius æqualis in illius vita: *Sa-
redum,* inquit, *venerat Hugo pater, vt ibi Baptiſtæ
Ioannis feſtum deuotus ageret: ad quem mulier quæ-
dam cum turba pro ea ſupplicante peruenit; ſi quidem
eius vterum virulenta ſerpentis irruptio tenebat. Tum*
19 *vero ſanctus miſericordia permotus, † aquam afferri prę-
cepit, eamq. allatam, precibus & benedictionibus ſigna-
uit. Accipienſque ter de illa aqua, in os mulieris orando
infudit: quo facto, mox ſerpens horrendus per os illius, cun-
ctis qui aderant cernentibus, exiuit: qui ergo cum mœ-
rore venerant, cum gaudio reuertentes, Dominum collau-
dabant.*

*Anno* Dñi 1115.

Præſtigia vero dæmonum hac aqua diſſoluta habē-
tur in vita S. Nortberti archiepiſcopi Magdeburgenſis
cap. 26. quam refert Surius 6. Iunij, dicens: *Exiuit de-
inde homo Dei ad prædicandum, relictis qui præeſſent cœ-
pto operi, & alijs rebus omnibus, & omnia integra conſer-
uarent*

*uarent*



*uarent, tum etiam quod præeſſent tam clericorum, quam
laicorum conuentui, binos, & binos in ſingulis ponens
officijs, quos ad vltimum vale, de pace, & vnanimi-
tate docebat dicens, numquam poſſe exorbitare congrega-
tam aliquam multitudinem, quam prelatorum concordia
moderetur. Sed recedente paſtore, rabido ore lupus ouibus
molitur inſidias, prius tamen terrorem incutiebat: quia
quibuſdam velut eſſent inexpiabilis odij inimici, quos in
ſeculo reliquerant, armata manu quaſi ad perimendum,
etiam in luce diei cum ſuis ſatellitibus ſe pręſentabat: il-
li vero territi, venientibus in ſpecie armati exercitus, & pō-
pę armorum, & fremitus equorum, quibuſcunq. poterant
modis ſe opponebant: ita vt cum fugerent, velociter raptis
fuſtibus, & ſaxis obuolutis etiam brachijs quibuſdam te-
gumentis, vel tunica, reſiſtere feſtinarent. Et adeo pugnaba
tur, vt plane crederent iacula mitti, & mittere, feriri, & fe
rire, vulnerari, & vulnerare interfici, & interficere. Ad
quos cum multi fratres alij concurrerēt, arguentes eos, cur
ſic inſanirent. An non aſpicitis, aiunt, quod ab inimi-
cis noſtris opprimimur, & iam in fruſta fere conciſi, ſum-
mo cum dedecore morimur? Tunc fratres ſcientes eos
infeſtatione dęmonum illudi, † aquam benedictam ſpar-* 20
*gunt, ſignum Crucis edunt, & recedente malignorum ſpi-
rituum turba, illi, quaſi hoſtibus deuictis, & in fugam ver
ſis concito curſu inſequebantur, altis vocibus inclamantes:
Eia eia reuertimini, & reſiſtite fortiter: alioquin turpiſſi
ma morte moriemini, ſi deinceps ad nos redire, minaſque,
& mortem intentare auſi fueritis. At poſtquam in ſe*

*reuerſi,*

*reuerſi, quidam ex ipſis deluſos ſe eſſe cognoſcũt, fortiter in arrepto propoſito perſiſtunt, ijq. fortiter vicerunt: quidam vero ignominiam eã ferre non valẽtes, & de perſeuerantia deſperantes, aculeo caudæ dęmonis percuſſi, receſſerunt.*

Et deinde ad finem refert, dæmoniacum hac aqua ſanatum: *Alio*, inquit, *tempore, cum oblatus ei fuiſſet dę-*
21 *moniacus, † aquam ſale mixtam exorcizauit. Et cum præcedens eandem ſpargere cœpiſſet, antequam perueniret ad hominem, ſpiritus malignus abſceſſit.*

Anno Dñi 1135. Mira vero ſunt quæ de ſancto Bernardo ſcribuntur a Bernardo Boneuallis Abbate in eius vita lib. 2. cap. 2. & cap. 3. *Tertia*, inquit, *die ad eccleſiam ſancti Ambroſij diuina celebraturus myſteria ſeruus Dei procedit. Vbi expectante innumera populi multitudine, inter ipſarum Miſſarum ſolemnia, dum clericis cernentibus ipſe ſecus altare ſederet, paruulam ei puellam offerentes, quam vehementi impetu vexabat diabolus, orant, vt miſellæ ſubueniat, & diabolum in ea debacchantem elidat. Audita ſupplicatione aſtantium intuitus perſonam dentibus frendentem, & ſtridentem, vt etiam intuentibus eſſet horrori compaſſus eſt ętati, & vehementię anxietatis illius condoluit. Patenam igitur calicis, in quo diuina celebraturus erat myſteria, poſtulat: in qua digitis ſuperfu-*
22 *ſo † latice intra ſe orans, & de Domini virtute confidens, ori puellæ ſalubrem potum applicat, & corpori eius ſtillam medicinalem infundit. Nec mora, quaſi vreretur ſatanas, infuſionis illius virtutem ferre non potuit: ſed vrgente intrinſecus Crucis antidoto, feſtinanter egrediens, vomitu*

*mitu*



*mitu ſordidiſſimo tremebundus erupit. Sic perſona purgata, diabolo profugo, & confuſo, laudes debitas canit eccleſia, & poſt acclamationes lętabundas alacer populus ibidem, donec diuina compleantur myſteria immobilis perſeuerat. Sub aſpectu itaq. omnium incolumis puella a ſuis domum reducitur, & vix tandem a populo dimiſſus, ad hoſpitium vir Dei reuertitur.*

Et paulo poſt: *Aderat inter eos quidam ex ſuburbanis, qui puerum dæmoniacum illuc adduxerat. qui repente coram omnibus, ad ſignũ Crucis quod vir Dei edidit, de baiuli ſui brachijs ruit, & eliſus humi, quaſi mortuus ſine vllo ſenſu immobilis viſus eſt: neq. vox, neq. halitus erat in eo; tantum circa pręcordia exiguus ei ſupererat vapor. Dant ei cęteri locum, vt poſſet procedere, & admitti ad virum Dei ſeminecis pueri baiulus, & attonita multitudo, tam miſerabilis caſus pręſtolabatur euentum. Ingreſſus igitur ad virum Dei homo eſt, & puerum ſtupidum, nec aliquid ſentientem ante pedes Abbatis expoſuit, & ait: Puer iſte, domine pater, quem ante pedes tuos poſui, iam triennio eſt vexatus a dæmonio acerrime, & quoties, vel eccleſiam ingreditur, vel ſalibus exorcizatis adſpergitur, vel ſignum ei Crucis imponitur, vel Euangelium audire compellitur, vel diuinis intereſt ſacramentis, offenditur habitator eius diabolus, & torquetur atrocius: Dumq. modo cum cęteris ego præ foribus expectarem, ſignum ſanctæ Crucis figurante te, & extendente in populos manum, ſacramentalium ſignorum virtute exacerbatus diabolus, vehementius ſolito totus ad pueri vexationem ſe contu-*

*contu-*

*contulit, & ſicut vides, totum corpus eius occupans, fere
etiam ei vitalem ſpiritum interclusit. Sed & ipſe puer, cum
audita eſſet apud nos gratię, quam a Deo accepiſti, opinio,
ex aliorum curationibus ſuam ſperans ſalutem, rogauit
me, vt ad te eum adducerem. Obſecro igitur per miſeri-
cordiam Dei, vt & laboribus meis, qui in eius custodia
operam damnoſam & periculoſam impendo, & illius mi-
ſerię, quę tanta eſt, quantam ipſe oculis probas, pio & con-
ſueto affectu ſubuenias, & rabiem dęmonis non vſque-
quaq procedere patiaris. Flebat igitur, & lachrymis ora
perfuſus, pręſentes quoq. commouit, vt omnes pariter ſup-
plicarent. Tunc vir Dei confidere eos in Dei miſericordia
iubens, baculo arundineo, cui innitebatur, collum pueri le-
niter tangit. Sed & frater eius Gerardus, volens experiri,
quę a ruſtico dicta fuerant, latenter dorſo eius ſignum Cru-
cis impreſſit. Cumque prius ſine motu & ſenſu, nec videns,
nec audiens, ante pedes Abbatis diu extenſus pauimento
hæſiſſet, ad tactum baculi, & ad ſignum Crucis infremuit,
& turbatus ingemuit. Iubet igitur Abbas ſuper propriũ
lectum eum poni. At ille; quaſi ex iniuria offenſus, reie-
cit ſe in pauimentum, & ſtridebat dentibus, & morde-
bat procuratorem ſuum: & capillis eorum, qui aderant,
manus inijciens, quo poterat conatu, ſe ab eorum ma-
nibus abſtrahebat, & ab eis vix teneri poterat. Eia, in-
quit, Abbas, ad lectum noſtrum eum reducite. Orante itaq.
Abbate, & fratribus in oratione proſtratis, quaſi ardenti-
bus paleis, quæ in lecto continebantur, diabolus vteretur
tormento æstuantis vi diuina propinquante, paſſionem*





*clamoribus teſtabatur. Iubet ergo vir ſanctus in os patien-
tis † aquam benedictam infundi: quam ille preſſis labijs, 23
& dentibus non admittens, vix tandem cuneo infixo diſ-
ſoluente preſſuram vellet nollet intra fauces & guttur re-
cepit. Confeſtimq. vt penetrans ſanctificatio ad interiora
deſcendit, quaſi infuſo antidoto, vis maligna erupit, & vo-
mitu ſordidiſſimo quaſi torrẽtis impulſu feſtina præcipitatio
ne rotatus, cum ingenti contumelia dæmon exiuit. Repente
qui videbatur mortuus, viuit: & de lecto Abbatis quietus,
& incolumis ſurgens, patruumq. amplexatus; Deo gratias,
ſanus ſum, inquit. Gratias agunt omnes communiter Deo,
& qui modo flebant, lætabantur: foris clamor effunditur:
res intus geſta ſupra tecta ſolẽniter prædicatur: tota ad ſpe
ctaculum conuenit ciuitas: benedictus in Abbate, tanti ope
ris patratore, totius plebis requieſcit affectus.*

Subdit deinde multiplices hac aqua curationes: *Fe
bricitãtibus multis idem ſanctus manus imponẽs, † & aquã 24
benedictam porrigens ad bibendum, ſanitatem obtinuit.*

Et lib. 4. cap. 4. narrat partu difficultatem mulieri
hac aqua ablatam: *Alio tempore*, inquit, *in territorio An
tiſiodorenſi apud oppidum, quod Cona vocatur, mulier quę
dam mirabiliter laborans, periclitabatur multis diebus, eo
quod veniſſet filius vſq. ad partum, & vires non haberet
parturiens. Cumque ſuperueniſſet interim ſeruus Christi,
poſtulanti benedictionem, † aquam benedictam miſit. Gu- 25
ſtauit mulier, & confeſtim natus eſt puer. Quem venera-
bilis epiſcopus Carnotenſis Gaufridus baptizauit, Bernar-
di ei nomen imponens.*

Narrat etiam B. Vincentius Ferrerius in ſermonibus de aqua benedicta, ſer. 9. requiſ. 3. eundem B. Bernardum diuerſis vicibus cæcos decem & nouem illu-
26 minaſſe † aqua benedicta. verba illius hæc ſunt: *Sed quando miniſter eſt bonæ vitæ, iam habet maiorem virtutem: nam legitur de beato Bernardo, quod ex aqua, quam benedixit, illuminati ſunt decem & nouem cęci, & alij multi infirmi ſanati.*

*Anno Dñi 1148.* Quæ vero S. Bernardus refert de S. Malachia epiſcopo Hyberniæ in illius vita, ſunt non minus inſignia: *Malachias,* inquit, *profectus a nobis proſpere peruenit Scotiam; & inuenit Dauid regem, qui adhuc hodie ſupereſt, in quodam caſtello ſuo, cuius filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingreſſus honorifice a rege ſuſceptus, & hu-
27 militer exoratus, vt ſanaret filium ſuum: † aqua cui benedixit, aſperſit iuuenem, & intuens in eum, ait: Confide fili, non morieris hac vice. Dixit hoc: & die ſequenti ſecundum dictum prophetę, ſecuta eſt ſanitas, ſanitatem lætitia patris; clamor & ſtrepitus totius exultantis familię.*

Et deinde ſubdit: *Forte venerat in ciuitatem nomine Duenuania. Et cum ſederet ad menſam, ingreſſus vir nobilis de ciuitate ipſa, humiliter ſupplicat pro vxore prægnante, quæ iam ſolenne præteriјſſet tempus pariendi, ita vt mirarentur omnes; & nemo, qui aliud quam vitæ periculum, crederet imminere. Rogat & cum eo Neemias epiſcopus illius ciuitatis, qui iuxta eum ſedebat: rogant & cæteri quotquot aderant ſimul diſcumbentes. Tum ille: Compatior*



*patior ei, inquit, quod bona mulier ſit, & pudica. Et porrigens viro poculum, † cui benedixerat: Vade, inquit, da illi* 28
*bibere: ſciens illam ſumpto benedictionis potu & ſine mora, & ſine periculo parituram. Factum eſt, quod præcepit, & nocte ipſa ſubſecutum eſt, quod promiſit.*

Subſequitur deinde: *Et pertranſiens Scotiam, in ipſo introitu Angliæ diuertit ad Eccleſiam Giſisburnenſem, vbi habitant viri religioſi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei pro ſua religioſitate, & honeſtate. Ibi adducta eſt ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgo appellant, ipſo horrendum viſu, & ſanauit eam. Nam vbi † aqua, cui benedixit, aſperſa ſunt vlcerum* 29
*loca, dolorem non ſenſit. Die vero ſequenti vix vlcera apparebant.*

Venerabilis etiam Petrus Abbas Cluniacenſis, qui *Anno Dñi 1158.* fuit anno 1158. coętaneus Diui Bernardi, refert in lib. 1. de miraculis. cap. 7. miraculum quoddam eius oculata fide probatum his verbis: *In monaſterio Cluniacenſi quidam erat ægrotus in articulo mortis, qui videbat domum totam, ſeu cubiculum repleri deformibus, roſtratisq. perſonis, quod cum aduerteret vnus ex cuſtodibus (erant enim duo conuerſi Stephanus, & Oliuus qui aſſidebant ægroto) cœpit locum † aqua benedicta aſpergere,* 30
*infirmus autem ſtatim cępit clamare: Eia eia fac quod facis, quia diaboli fugientes contendunt alter poſt alterum ſumma celeritate diſcedere.* Quod ipſum miraculum itidem refert autor libri, qui vocatur Sermones diſcipuli, in ſerm. 110. litera S. Suppreſſis tamen cuſto-

*dum nominibus.*

Anno Dñi 1160. Præclara vero ſunt quæ patrauit miracula hac aqua
benedicta B. Hildegundis Abbatiſſa, vt refert Theode
ricus Abbas in illius vita lib. 3. *Non ſolū autem,* inquit
cap. 6. *vicinis, ſed etiam ſubueniebat longe poſitis: quidam
enim Arnoldus de Vuacherneim, olim ſibi notus, guttur ita
dolens, quod halitum ſuum difficulter trahebat, quia per ſe
non poterat, orationum eius ſuffragia deuote expetebat:*
31 *quæ confidens de Dei miſericordia, † aquam benedixit,
amico miſit: quam vt guſtauit dolor, Dei dono, eum di-
miſit.*

Et cap. 7. *Mulieris cuiuſdam Hazechæ filia in Binga
infirmabatur, & poſt triduum nihil loquebatur. Cumq. ma
ter currens pro filia, ſanctæ virginis auxilium peteret, nihil*
32 *aliud quam † aquam benedictam ab ea accepit: qua illa gu
ſtata, ſtatim vocem & vires recepit.*

Et inferius cap. 8. *In eodem caſtro iuuenis tanta ægri-
tudine detinebatur, quod iam in extremis eſſe putabatur:
huic præfata mulier, cuius filia conualuerat, quam adhuc*
33 *reliquam habuit † aquam, in potu dedit, & faciem inde
abluit: & protinus receptis viribus conualuit.*

Deinde ſubdit cap. 18. *Interea cum iuxta villam Ru
desheim, Rheni fluenta nauigio ſulcaret, & ad contiguum
monaſterium ſanctimonialium properaret, quædam mulier
cęcum puerulum geſtans in vlnis, naui appropinquauit, &
vt ei ſanctas manus imponeret, flebiliter acclamauit: quæ
pio affectu memor illius qui dixit, Vade ad natatoria Si*
34 *loe, & laua, † aquam fluuij ſiniſtra hauſit, & benedixit
manu dextera: quam vt oculis pueri iniecit, diuina fauen
te gratia, viſum recepit.*



Et cap. 22. *Deniq. ſabbatho ſancto cum fons † baptiſ-* 35
*matis conſecraretur, per flatum ſacerdotis, quem in fonte
mittit cum verbis, quæ Spiritus ſanctus rationalitati homi
nis, & doctoribus Eccleſiæ infudit, quoniam in prima crea
tione Spiritus Domini aquas mouit, ſicut ſcriptum eſt: Spi-
ritus Domini ferebatur ſuper aquas: mulier illa præſens
ibi erat, atq. timore magno correpta, ita contremuit, quod
terram pedibus perfodit, & de horribili Spiritu, qui eam
oppreſſerat, ſufflatum ſæpe emiſit. Mox in vera viſione vi-
di, & audiui, quod vis altiſsimi, quæ ſanctum baptiſma
obumbrauerat, & ſemper obumbrat, ad diabolicam con-
globoſitatem, qua femina illa fatigabatur, dixit. Vade
ſatana de tabernaculo corporis mulieris huius, & da in eo
locum Spiritui ſancto. Tunc immundus Spiritus per ue-
renda loca feminę cum egeſtione horribiliter egreſſus eſt,
& ipſa liberata eſt, ac deinceps ſana in ſenſibus animæ &
corporis permanſit quamdiū in preſente ſeculo vixit.*

Aquæ vero, qua S. Franciſcus manus, pedeſque ab- Anno Dñi 1224.
luerat poſt accepta ſacra ſtigmata inſigne miraculum
curatæ luis animalium refert S. Bonauentura in illius
uita c. 13. his verbis: *In prouincia nanque,* inquit, *Reati-
na peſtis inualuerat valde grauis, quę oues & boues om-
nes ſic conſumebat crudeliter, q; nullum poterat remedium
adhiberi. Vir autem quidam timens Deum, nocte fuit per
viſionem cōmonitus, vt ad eremitorium fratrū feſtinanter
accederet, & loturā manuū, ac pedū famuli Dei Franciſci,
qui*

*qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam, ſuper animalia cuncta reſpergeret. Mane itaque ſurgens, venit ad locum, loturaq. huiuſmodi per ſocios Sancti viri latenter obtenta, oues & boues languentes ex ea reſperſit. Mirabile dictu. Statim vt aſperſio animalia languida, & in terra iacentia, quantumcumq. paululum attingebat, priſtino recuperato vigore ſurgebant continuo, & tanquam nihil mali ſenſiſſent, ad paſcua feſtinabant. Sicq. factum*
36 *eſt, vt per virtutem mirandam † aquæ illius, quæ ſacras plagas contigerat, omnis prorſus plaga ceſſaret, peſtilenſq. morbus a gregibus fugaretur.*

*Anno* Dñi 1230. In vita quoque B. Iordani S. Dominici ſucceſſoris apud Surium tom. 7. habetur, B. Virginem aliquando hac aqua fratres aſperſiſſe his verbis: *Frater quidam, ante lectum ſtans* (erat autẽ is S. Dominicus) *orabat, & vidit beatiſſimam virginem, quibuſdam comitatam puellis, per dormitorium euntem, & fratres, & eorum cubicu-*
37 *la aſpergentem, vna puellarum † aquam benedictam deferente. Verum dum ſic procederet, pertranſit ante fratris cuiuſdam cubiculum, quod non aſperſit: At qui hoc viderat prouolutus ad pedes Virginis, eam ſuppliciter exorabat, vt quęnam eſſet diceret, & cur ab aſperſione illius cubiculi abſtineret. Cui illa: Sum, inquit, Dei mater, & veni hos viſitare fratres, illum vero non aſperſi, quia non eſt paratus, dicto illi, vt ſe præparet. Nam apprime diligo ordinem tuũ, eo quod omnia officia, quæ Deo per vos redduntur, a laudibus meis incipiunt, in illis terminantur. Quapropter obtinui a filio meo, vt nemo fratrum tuorum diu cum mor-*

*tali*



*tali labe criminis, in iſto tuo ordine commorari poſſit, quin illum, aut cito pœniteat, aut extra proijciatur, ne tam inſignem fœdet ordinem.* Id quod refertur etiam in vita S. Dominici, quam conſcripſit Theodoricus de Appoldia lib. 2. cap. 13.

S. etiam Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis *Anno* Dñi 1240.
aliud refert miraculum Surius tom. 6. in illius vita ex Roberto Rechio, Roberto Baccono, & Vincentio lib. 32. cap. 67. deſcripta. vbi cap. 20. ſic habet: *Ante vero quam e natali emigraret ſolo, multa per eum Deus miracula effecit. Quidam enim e Clero laborans febribus, ob-*
*nixe eum rogauit, vt † aquam ſacraret, eamque ſibi pro* 38
*obtinenda ſanitate bibendam porrigeret. Fecit vir ſanctus, quod rogatus erat: bibit ęger aquam ſanctam, & repente morbus abſceſſit.*

Loti vero corporis S. Heduuigis Duciſſæ Poloniæ, *Anno* Dñi 1243.
aqua morbũ cõtinuæ, ac innaturalis ſitis curauit, vt recenſet autor illius vitæ apud Surium tom. 5. 15. Octobris: *Soror Martha,* ait, *innaturali quadã, & inextinguibili ſiti biennium, & eo amplius vexata, crebroq; reprehenſa quod noctibus biberet nimia eam ſiti cogente, cum ablutum eſſet corpus exanime ſanctæ Heduuigis eius meritis non immerito fidens, ſic orauit eo in loco, vbi illa lotio facta fuerat. Domina mea beata Heduuigis, libera me ab hac moleſtia, & improperijs, quę eius cauſa patior, moxque accedens*
*ad peluim, cunctis abſentibus, † aqua loti eius corporis, quę* 39
*illic relicta erat, os, collum, & guttur ſuum abluit, & confeſtim curata eſt.*

Aliud

Anno Dñi 1286.

Aliud quoque refert miraculum Ioan. Maria Politianus in vita B. Alberti Carmelitæ confeſſoris his verbis: *Perlatum quandoq. eſt ad virum Dei, quandam nobilem matronam habere filiam a dæmone vexatam. Tum ille ingemiſcens, & quanam, inquit, autoritate hoc facere auſus es impure ſatan? Statim e fratribus quidam indicauit matronę illi, virum Dei Albertum adeſſe. Illa cum ingenti charitatis feruore dixit ad hominem Dei. Spero tuis ſanctis meritis diuinitus mihi conſolationem adfuturam. Vnica filia mea, diabolica infeſtatione miſere fatigatur: quæſo vt eam inuiſere digneris. Tum vir pius commiſeratione affectus, ingreditur ad puellam, eamq. ſalutans, dicit: Pax tecum, impreſſoq. fronti eius Crucis ſigno, ab illa in dextera maxilla percutitur. Ille nihil motus, dixit: Prębe mihi alteram, pater omnium ſuperborum. At malus dęmon Sancti viri humilitate pudefactus, atque eius meritis eneruatus, ait: Hei mihi, quantum crucior ſanctis meritis tuis, pręſentiam tuam ferre non ſuſtinens. Reſpondit vir Dei: ille, qui te creauit, & propter ſcelus tuum e cęlis te exturbauit, ex hac nobili puella te compellat exire: ijs autem auditis, puella contremuit, dixitq. vir Dei. Egredere e corpore puellę, Chriſti nomine conſecrato.*
40 *Et cum rurſus eam Cruce ſignaſſet, & † aqua benedicta aſperſiſſet, diabolus magno quodam inſtar tonitrui excitato ſono, cum ignominia receſſit: ſenſitq. ſe puella recte habere, & tum Deo, tum ſancto viro cum gaudio, & lachrymis gratias egit. Eius miraculi rumor, ad proceres, & prelatos regni allatus eſt.*

Mira



Mira eſt aquæ benedictæ virtus, atque pręſtantia, quam qui frequentant, non modo interius, vt ſupra diximus, è venialium labe purgãtur, ſed exterius quoque quodammodo inaurari videntur. Ecce anus illa, cuius in B. Matthæi Euangeliſtæ vita in cap. vlt. cum ſumma eius teſtificatione meminimus, cum templũ glorioſi Apoſtoli ingrederetur (quod & quotidie diluculo faciebat, † luſtraliq. aqua ſe ſe de more ſumma 41
pietate conſpergeret, guttæ omnes, quæcumq. in linteolos, palliumq. ceciderant, in aurum puriſſimum verſæ ſunt, quod etiam familiæ nomen dedit, quæ dicitur, de Auro fino.

Anno Dñi 1356.

In Bulla vero Innocentij Tertij canonizationis S. Homoboni confeſſoris quoddam refertur miraculũ in hæc verba: *Cum enim quadam dæmoniaca mulier ad ſepulchrum eius deducta fuiſſet; ne aliqua fraus lateret, eadem primo fuit aqua non benedicta reſperſa, qua ſe patienter aſpergi permittens, † aquam ſecundo reſpuit be-* 42
*nedictam: & vt res euidentiori experimento pateret, oblatam, non conſecratam, abſque aliqua præſcientia ſibi recipiens præſentatam euchariſtiam conſecratam ſubſequenter abhorruit, nec recepit: quæ & meritis eiuſdem Sancti liberata receſſit.*

Anno Dñi 1395.

Illud etiam eſt narratione dignũ, quod Stephanus Iuliacus ſcribit, de beata Coleta virgine, quæ S. Claræ ordinẽ reformauit, vt aqua, eius abluti corporis morbos pelleret. Is cap. 19. ſic habet: *Duo vero ſpecialia Dei dona, quibus eius puritas aſtruebatur, in ea extite-*

 re.

*re. Primum eſt, quod numquam vllus fœtor ab eius corpore
ſentiri potuit: ſed nec ex loco, in quo erat: ſentiebatur vero
iugiter & ex corpore, & ex loco, vbi erat odor gratiſſimus,
confortãs eos omnes, qui ſe illi adiunxiſſent. Lauit aliquã-
do manus ſuas, miniſtrãte illi ſorore Margareta Bolhonen-*
43 *ſi.* † *Eam aquam, qua ſe lauerat, ſeruauit illa ſoror annis
ſeptem in vaſculo quodam, manſitq. puriſſima, atq. etiam
crebro illam bibens eadem ſoror, multa inde remedia acce-
pit aduerſus corporis & animę infirmitates: quędam no-
uitia monialis miſere e ſtomacho laborans, cum timeret ea
cauſa ſe à profeſſione optata impeditum iri, bibit clam ex
aqua, qua ſuas manus, ipſa miniſtrante, Coleta abluerat,
perfecteq. curata eſt.*

*Anno Dñi circiter 1400.*

Aqua item, qua B. virgo Lyduuina ſe lauerat mira
quædam effecit, vt Surius narrat in eius vita par. 2.
cap. 10. *Mercator quidam, inquit, in Britannia fuit,
qui nec viderat vnquam Lyduuinam, nec nomen eius
audierat. Laborabat is in tibia morbo immedicabili.
Cum autem aliquando miſere doleret, & ingemiſceret, præ
mœrore obdormiuit. Admonitus vero eſt in ſomnis, vt vel
ipſe proficiſceretur, vel alium mitteret Schiedamum Hollan-*
44 *dię oppidum, qui inde paulum aſportaret* † *aquæ, qua Ly-
duuina virgo manus abluiſſet ſuas: additumq. eſt, ea aqua
ſi tibiam lauet, illico curatum iri. Mane ſurgit ille, vo-
cat miniſtrum, iubet ire in Belgicam Hollandiam, &
illic diligenter inquirere Schiedamum vrbem, nomen quo-
que Lyduuinæ ei indicat, iubetque ſecum referre aquam,
qua ſuas ille lauiſſet manus. Capeſſit heri ſui iuſſa ſer-*

*uus,*



*uus, abit in Hollandiam, venit Schiedamum, petit a
Lyduuina aquam, nec illa negare potuit, charitate illam
compellente, vt daret. Redit famulus cum aqua ad do-
minum ſuum, is lauat ea tibiam ſuam, marcida caro mox
reuiuiſcit, fugit dolor omnis, & tibia in priſtinum ſtatum
reſtituitur.*

*Anno Dñi 1418.*

Sedatæ vero tempeſtatis, ac locuſtarum, bruchorũ-
que agminis profligati, interemptiq. huius aquę bene-
ficio a B. Vincentio ordinis Prædicatorum refert Pet.
Rauzanus in eius vita lib. 3. ad fi. *In quodam,* inquit,
*Catalonię pago ipſis ferijs Apoſtolorum Petri & Pauli
ſermonem habiturus erat vir Dei: Ecce autem Miſſæ ſa-
crificio peracto, priuſquam ſacras veſtes exueret, tam im-
manis & horrenda ſubito tempeſtas orta eſt, vt cęlum ip-
ſum ruinam minari videretur, & omnes ſe perituros
formidarent. At vir ſanctus ad populum conuerſus, eum
iubet ſpem ſuam collocare in Domino Ieſu, moxq. contra il-
lam tempeſtatem ſparſit* † *aquam ſacratã, ac deinde Cru-* 45
*cis expreſſit ſignum. Illico tempeſtas diſſipatur, & mira
redit aeris ſerenitas. Tum ille pulpitum aſcendens, ita locu-
tus eſt: Niſi quod vobis hodie Dominum deprecati fuiſſent
ſancti Apoſtoli, tanta his in locis, chariſſimi extitiſſet tem-
peſtas, ꝙ nec in arboribus frõdes, nec in agris vlla germina,
vel quicquam virens remanſiſſet. Nec tamen velitis ni-
mium eſſe ſecuri: nam intra annum ſimilem eſtis experturi
tempeſtatem: ſed crebris apud Deum precibus agite, vt
pro ſua immenſa clementia & vobis, & rebus veſtris par-
cat. Hęc cum dixiſſet, in beatiſſimorum Apoſtolorum lau-*

 *dibus*

*dibus abſoluit concionem, & poſt dies paucos diſceſſit. Jam fluxerant vndecim menſes, & venit horrida tempeſtas, quam ille prædixerat futuram. Eodem vero modo non ſemel, ſed ſæpiſſime, cum diuerſis in locis cõcionaretur, ortas tempeſtates Crucis ſigno compeſcuit.*

Et paulo poſt: *Apud Muriſiam ciuitatem Hiſpaniæ citerioris quadam æſtate locuſtæ, & bruchi innumerabiles intra dies quatuordecim omnia, quæ in agris erant, deuaſtarunt. Per id tempus venerat eo B. Vincentius, eum ciues vrbis dolentes adeunt, precum eius ſuffragia implo-*
46 *rant. Ille iubet confeſtim adferri † aquam benedictam, deinde cum clericis, qui eum aſſectari ſolebant, hymnos canentibus ad ſingulas vrbis portas acceſſit, ſtansque in illarum medio contra ea loca, in quibus dicta animantia graſſari dicebantur, aquam ſacratam aſperſit, & ecce poſtridie omnia extincta reperta ſunt, & intra paucos dies agri, & vineæ adeo reſtitutæ ſunt, vt illo anno nulla fuerit penuria ſubſecuta.*

*Anno Dñi* 1430.

Et in ſermone de tranſlatione B. Monicę S. Auguſtini matris ex verbis Martini Quinti, quem propediem editurus eſt vir in Auguſtiniana familia celebris ac Põtificij apoſtoliciq. ſacrarij cuſtos Auguſtinus Fiuizanus Romanus illuſtre illud quidem refertur miraculum in hæc verba: *Verum illud omnino intelligendum, ac præterea Deo gratiæ referendæ, qui tam mirabilis in ſuis ſanctis triumphat, nec patitur vllo tempore, miſericordiæ ſuæ expertes eſſe, qui ſe ſponte pro amore ipſius martyrijs obtulerunt: namque ex oſſibus virginum*, vt*

**Erant autẽ oſſa Sanctarum virginũ ac martyrum Conſtantiæ & Auræ.*



*vt manifeſtũ erat perennis liquor exſudabat, qui facile omnium odoramentorum ſuauitatem vinceret: quę igitur Regum, ac Tyrannorum iactantia, quod in auro, ac marmore ſepeliantur, quod imbuantur balſamo, quod magnificis tumulis conditi a populis honorentur? Quid, quod huic fratri Auguſtino euenit contactu beatorum oſſium, numquam potuit manus ſacro odore purgare, donec lauit aqua benedicta, quaſi ita ſacramento cederet ſacramentum, quod nequiuiſſet communi lauacro aboleri.*

*Anno Dñi circiter* 1480.

In promptuario vero exemplorum, quod edidit autor ille, qui Diſcipulus appellatur, hæc habentur miracula, quæ plane inſignia ſunt, eaq. nos adſcripſimus, vt iacent: *Ebrius quidam habuit quendam obſeſſum obuium, & iſte ebrioſus dixit ad diabolum. Intra ad me: & recede ab iſto homine. Et diabolus reſpondit, non poſſum. Quare? quia fuiſti hodie mane in Eccleſia, & vna gutta*
*† aquę benedictę cecidit in os tuum.* 47

Et deinde: *Miles quidam ſtrenuus in armis, dum die quadam loco appropinquare vellet, vbi puella obſeſſa iacebat: & de illa cœpit dęmon clamare. Ecce amicus meus venit. Et dum ille intraret, ait: Cedite, Cedite, Sinite amicum meum appropinquare. Ille vero, licet ei diſpliceret, ait: Tu dęmon ſtultus es: vt quid vexas hanc innocentem puellam, veni mecum ad torneamentum. Cui dęmon libenter tecum ibo, ſi permittas me intrare corpus tuum, vel per ſellam, vel per frenum, vel aliam partem corporis tui. Miles compatiens puellę nobili, ait: Si vis exire hinc, concedã tibi partem vnam pallij mei, tali conditione quod me*

*me non lædas: & ſtatim quando voluero recedas, quod iſte promiſit. Exiens ergo de puella, ligule pallij inſilijt. Ab illa hora tantum gloriæ acceſſit militi, quod quos volebat deiecit: quos voluit capiebat: quadam die dum in eccleſia*
48 *prolixius orabat, ait dæmon: Nimis murmuras. Cum*† *aqua benedicta ſe aſperſit, ait: Vide, ne me tangas. Tandem veniente milite ad locum, vbi prędicabatur de ſancta Cruce: dixit dęmon: quid hic agis? Reſpondente illo: Volo te deſerere, & Deo ſeruire, dæmon ait: Quid in me tibi diſplicuit, numquam te lęſi, ſed ditaui te, & glorioſus factus es nimis. Tunc miles ait: Recede, & ne de cętero reuertaris ad me in nomine Chriſti tibi pręcipio. Tunc reliquit eum diabolus. Et ille Cruce ſignatus vltra mare duobus annis Chriſto ſeruiuit: Et poſtmodum rediens hoſpitale ędificauit: vbi infirmis neceſſaria miniſtrans vitam ſanctam finiuit.*

Et deinde: *Miles quidam multa mala fecit, & tandem cecidit in ęgritudinem, & a ſacerdote admonetur, vt confiteretur, & communicaret, vt vir catholicus. Ad hęc nec precibus, nec minis poterat inclinari, ſed omnia iſta friuola reputans, dixit, ſe huiuſmodi non curare; ſed inſtanter petiuit aquam, vt biberet. Et ſacerdos neſciente eo bene-*
49 *dixit* † *aquam, & dedit ei bibere: quam cũ bibiſſet ſtatim de auxilio Spiritus ſancti clamauit ad ſacerdotem, & vt confiteretur popoſcit, & pure confeſſus communicauit, & ſic vitam ſuam feliciter finiuit.*

50 Adijcit deinde aliud: *Quidã*, inquit, *aſpergebat*† *infirmũ, qui ſuſtinuit magnas infeſtationes dęmonum, & ſta-*
*tim*



*tim omnes dęmones fugam dederunt. Ex quibus patet, quod bonum eſt habere aquam benedictam in domibus, & ſignãter circa infirmos, & mulieres in puerperio exiſtentes, quæ ſępius ſunt aſpergendę ad effugandũ phãtaſmata dęmonũ.*

*Anno Dñi circiter* 1480.

*Quidam infirmus*, vt Odo Cancellarius Pariſienſis in ſermone ſuper Dominica tertia Quadrageſimæ in principio teſtatur, *labia ſic preſſa, & os quaſi de induſtria ita occluſa tenebat, vt nec confiteri peccata poſſet, nec ſanctiſſimam Chriſti communionem accipere: quamuis ad id & præmijs, & admonitionibus, atque etiam minis a ſacerdote, & epiſcopo paſſim admoneretur; accidit tandem caſu fortuito, vt quandoque is potum peteret: ſedulus autem ſacerdos* † *aquam roganti tradidit benedictam, qua ſum-* 51
*pta, ſtatim ille peccata confeſſus, & Euchariſtiæ ſacramento refectus eſt. mox obijt feliciter.* quamquam hoc miraculum idem fere cum proxime ſuperiore a Diſcipulo relato videatur eſſe.

*Anno Dñi circiter* 1484.

Quam vero maxime conferat ad præmuniendos infantes aduerſus dæmonum, ac maleficarum vexationem adijciemus vnum hoc exemplũ ex Iacobo Sprenger Inquiſitore hereticæ prauitatis apud Germanos ex Prædicatoria familia, viro pio, & erudito. Is in Malleo Maleficarum par. 2. q. 1. ſic habet: *In ciuitate Spirenſi, anno eodem quo hic liber eſt inchoatus contigit, quod dum quædam deuota mulier cum quadam ſuſpecta malefica, verba habuiſſet, iuxta morem mulicularum mutuo rixantium rixoſa, de nocte tamẽ cũ paruulũ lactantem cunis imponere voluiſſet, & mente reuoluens ea, quæ de die cum*
*ſuſpe-*

ſuſpecta malefica peregiſſet, timens de periculo pueri, her-
bas benedictas puero ſuppoſuit, aqua ſimili aſperſit, ſal
exorcizatum ori parum immiſit, eumque ſigno Crucis mu-
niuit, & cunabulū diligenter alligauit. Et ecce circa mediū
noctis vagientem puerū audiuit, & dū iuxta morē, puerū cō
trectare, & cunabulū in altum prope lectum poſitum mouere
voluiſſet, cunabulum quidem mouit, ſed puerum contrecta
re, quia aberat, non potuit, tremens paupercula. & de pueri
amiſſione vehementer dolens, lumine accenſo, paruulum va
gientem ſub lecto, & in angulo, ſine tamen læſione reperit.

Anno Dñi 1554. Mira quidem ea ſunt, quæ legimus religioſiſſimos
Patres ſocietatis Ieſu apud Indiam ac Iaponem hac
aqua effeciſſe, quorum ſane teſtimonium eſt ſatis
præclarum, cum ea quæ ipſi experti ſunt narrant. In
commentario igitur de rebus Iaponicis lib. 2. epiſt. 1.
quæ eſt Duartis a Sylua, quam latine cōſcripſit Ioan.
Pet. Maffeius eiuſdem inſtituti vir plane doctus, & eru
ditus, ſic habetur: Paucis poſt diebus, eiuſdem Pauli fi-
lia, ſoror Michaelis, ad templum noſtrum acceſſit, quę item
triginta iam annis male a dæmone habebatur. Ea cum
velle ſe Chriſtianam eſſe dixiſſet, dum illi benedictionis
formula traditur, hora meridiana erat circiter, vehemen-
ti pariter ipſa timore corripitur. Tum Balthaſar ad exor-
ciſmos confugit, cœpitq. mulieri ſuadere, vt nomen Ieſu,
necnon D. Michaelis pronūtiaret. Illa vero diſcruciata gra
uiſſimo ore compreſſa, voce veluti in cantum ſoluta, reſpon
dit, ſi Xacę, & Amidę, qui legem dedere Iaponijs, Idola
repudiarentur, neminem adorandum eſſe pręterea: neque





vero ſe cuiuſpiā vi, ab eorum cultu poſſe abduci. Poſtridie,
qui dies fuit B. Virgini ſacer, templo Chriſtianis referto, cū
mulier quoq. adeſſet, Balthaſar ſacro peracto, quęſiuit ex ea
quomodo ſeſe haberet, bene cum reſpondiſſet: D. Michaelis
nomen profer, inquit ille: tū femina denuo tremere, labiaq.
cōſtringere. dæmon autem ex illa iam, inquit, abeo: verum-
tamen quoniam tribus iam ætatibus patris videlicet, filij,
nepotisq. domiciliū mihi in his ędibus collocatū obtinui, pro
pterea nolo diſcedere. Inſtare Balthaſar iterum, vt D. Mi-
chaelem appellet. tū energumena, enimuero id eſſe iam puti-
dum, ac moleſtū: mox etiam cōtracto vultu, cum lachrymis:
quo migrem igitur? inquit. Cū in eo ſtatu res eſſet, Chriſtia-
ni, qui aderant, in preces dedere ſeſe, nec ita multo ſpiritus
ille nequam erupit, mulier autē valde leuata eſt, atq. inte-
gra prorſus mente, potum petijt, porrectamq. ſibi † aquam 52
luſtralē, ſeu benedictam, ebibit. Tum iuſſa dicere IESVS
Maria, tam ſuauiter pronūciauit, vt uox Angeli uideretur.
Ex eo tēpore nunquā deinceps a dæmone vexata eſt, iamq.
Chriſtiana ſacra ſuſcepit. qui ægroti huc deuenere, ex ijs ad
300. iam Chriſtiani cernuntur, quorum ſermones inter ſe
de beneficiis a Domino poſt baptiſmum acceptis, operepre-
tium eſt audire, dum hic patientiam in morbo ferendo, ille
recuperatam prope valetudinem prædicat. ſolent autem hu
iuſmodi ægroti, decem alios, quindecimve ſinguli ad Chri-
ſtianam religionem ſecum adducere, quorum corpora nō alio
medicamento curantur a nobis, niſi † aqua benedicta, cuius 53
virtus in hoc regno multis experimentis, pręſertim vero in
oculorum curatione, quibus Iaponij vulgo laborant, eſt

comprobata: vt eius petendæ cauſa a Leucis 10. vel 12. vndique concurratur ad nos.

Anno Dñi 1559.

Et in commentario de rebus Indicis ſic habetur: Inſulam quidem aiunt eſſe Leucarum circiter ducentarum e regione Amboini, quo cum Luſitani aquationis cauſa deſcendiſſent, ab incolis vi prope retenti, & tum quidem capitum quatuor millia, deinde rurſus amplius duo millia baptizare coacti ſunt: atq. inde abiere, quod miſerandum inprimis eſt, vna tantum elata Cruce, magiſtro ibi nullo relicto. Nec ſane, cum in Chriſtiana fide amplectenda ij fere quos diximus populi faciles, alacresq. tum vero in exercenda, vel in retinenda ſegnes infirmiue magna ex parte cernuntur. Multi aduerſa valetudine, ac præſertim febri
54 vexati, ad templum confugiunt ſtatim; & † aqua piaculari, ſeu benedicta, quæ datur a ſocijs opera, vt numquam deſit, epota, eadem ipſa hora ſanantur. Idem virtutis ex-
55 perte remedium Diuarenſibus eſt contra venenatos † ſerpentium ictus.

Bazanius neophytus quidam, cum filij eius duo baptiſmo luſtrati confeſtim in febrim grauiſſimam incidiſſent, vna cum vxore ad ſacerdotem e ſocietate expoſtulatum acceſſit. Sacerdos malitia dæmonis cognita, quærit ex ijs, putarent ne filios ob Chriſtiana ſacra ſuſcepta periclitari.
56 Annuentes iuſſit piacularis † aquæ paululum bibendum laborantibus dare, ſanos ſtatim futuros. Neque fefellere promiſſa, hauſta quippe aqua, eodem temporis veſtigio diſcuſſa febri ac fugata, magna & parentum gratulatione, & ſacerdotis lætitia ſanus vterque ſurrexit. atque in ijs regio-



regionibus eiuſmodi multa ſæpe contingunt. Atiuenſem vero populum recens ab impietate reuocatum, illa etiam res valde roborauit in fide, quod cum antea infantes lethalibus veſiculis erumpentibus vulgo perirent, poſtquam eo Chriſtiana ſacra illata ſunt, diram luem illam magna ſua cum admiratione ſedatam viderunt.

Anno Dñi 1561.

Et lib. 3. epiſtolarum de Iaponicis itidem rebus epiſt. 2. quæ eſt Conſalui Ferdinandi ſic habetur: Ad aliud venio non minus mirabile. Diuturno morbo vexatus ethnicus quidam ex optimatibus, cum varias curationes fruſtra tentaſſet, ſuadenti Chriſtiano cuidam, vt ad valetudinem recuperandam, Chriſtiana religione ſuſcepta,
ad templum noſtrum accederet, † aquamq. luſtralem, ſeu 57
benedictam ebiberet, paruit ægrotus: ſtatimq. in priſtinã valetudinem eſt reſtitutus. alij præterea morbi complures in his regionibus eadem aqua pelluntur.

Apud Alanum Copum admodum doctum, ac piũ auctorem in 1. Dialogo cap. 3. admiranda quædam aquæ ſanctæ, quæ a regularibus item eiuſdem ſocietatis facta ſunt, relata licet videre in hæc verba: Vt reliquas mundi partes prætermittam, in eo, quem nouum orbem dicimus, traditur partes ſocietatis ſacroſancti no-
minis Ieſu per † aquam luſtralem multa in ægrotos benefi- 58
cia contuliſſe: quam cum potandam dediſſent muto, paralytico, & febricitanti, illi linguæ impedimentum, proximo paralyſim, tertio febrem depulit. traditur multas mulieres prius ſteriles, fœcundas factas, & immanem maris tempeſtatem tranquillatam. Sorices præterea, qui omnia ſata

 miſere

*miſere vaſtabant, a terris Chriſtianorum ſacra aqua conſperſis ad proximos gentilium agros fugatos, quod cum illi viderent, terraſq. ſuas eorum multitudine grauius ſolito infeſtas, valde aduerſus nouos Chriſtianos indignabantur. Deumque Chriſtianorum ipſorum idolis longe potentiorem confiteri coacti ſunt; quare Chriſtiani cum tanta ex vſu ſacræ aquæ beneficia percipiant, quoties in grauiores morbos incidunt, accerſunt mox aliquem ex patribus, vt ſacra aqua ab eis profundantur, eorumq. orationibus iuuentur.*

Habentur nõ minus inſignia in litteris Loyſij Froes eiuſdem ſocietatis anno 1582. de Iaponicis rebus, quas mihi videndas dedit Claudius de Aquauiua ſocietatis prædictæ Præfectus generalis, vir vti generis nobilitate, ita doctrina, prudentia, pietate, ac ſumma vigilantia in eo munere adminiſtrando plane inſignis. Loyſius igitur vernacula lingua in hunc fere, quem ad verbum latinum fecimus, ſenſum ſcribit:

Anno Dñi 1582.
*Eſt Omurę Chriſtianus alter, qui tanta eſt fide affectus*
*in granum quoddam benedictum, quod habuit è domo B.*
59 *Thomę apud Indos, vt eo in cyathum † aquæ immiſſo il-*
*laque ab infirmis epota, curentur ſtatim. Cum eius vxor*
*aliquando in vehementem febrim incidiſſet, diſtulit hoc il-*
*lam curare remedio, quod eam & tepidam in Chriſtiana*
*religione, & minus piam diceret. Sed ingraueſcente morbo;*
60 *eandem illi † aquam potandam dedit, & illico conua-*
*luit.*

Et paulopoſt: *In Inſulis Firandi, cum vni ex ſeptem*
*vel*



*vel octo operarijs, ſimpliciſſimis quidem hominibus, quædã*
*fuiſſent ſubtracta, neq. fur ſciretur; conuenit inter eos, vt*
*a iureiurando inuicem ſibi pręſtando abſtinerent; paulu-*
*lum vero ligni cuiuſdam Crucis, quæ inibi erat, in † aquam* 61
*immitterent, ex eaque omnes biberent: Futurum enim, vt Deus virtute ſanctę Crucis innocentes oſtenderet. Mira quidem res: vt primum aquam biberunt, ex his vnus ita inflatus eſt, vt hydropicus videretur, qui cum nulla tergiuerſatione furtum diffiteri poſſet, tanto indicio conuictus illud palam confeſſus eſt, & a ſocijs publice veniam petijt.*

Anno Dñi 1583.
Et in litteris anni 1583. ſic habet: *Pręteritis diebus*
*Arimę, cum D. Protaſius in moleſtam febrim incidiſſet,*
*neq. vllum medicamenti genus ſumere vellet, miſſum eſt*
*ad illum ab eccleſia parum † aquę benedictę, in quam cum* 62
*ſacrarum reliquiarum capſulam, quam collo geſtabat, immiſiſſet, ſignumq. Crucis adieciſſet, ac bibiſſet, plane ſanus factus eſt.*

Et paulopoſt: *In eadẽ,* inquit, *regione Ju mulier quędam nomine magis quam re Chriſtiana, cum crocitantem cornicem audiſſet, ſumpſit inde iuxta gentilium morem, vt ſolebat ante fidem ſuſceptam, augurium. Statimq. a dęmone ita acriter correpta eſt, vt maximum ederet eiulatum, miriſq. agitaretur fluctuationibus. Accurrũt ad hęc totius*
*viciniæ Chriſtiani, ac flexis genibus orantes, mulierem †* 63
*aqua benedicta aſpergunt, appẽſiſq. ad illius collum ſacris Sãctorum reliquijs abſceſſit continuo dæmon, neq. amplius ad illam diuexandam eſt reuerſus.*

Aliis

*Anno Dñi 1584.*

Aliis deinde litteris anni 1584. de Iaponicis item rebus huiuſmodi refert admirandum: *Voſueì, Chriſtianus quidam gentili febricitanti parum ligni S. Thomæ* (eſt autem id lignum, quod is ſanctus apud Indos ſola oratione multum viæ ſpacium tranſtuliſſe fertur) *dedit, vt eo in aquam intincto, biberet inde ex ea, quod cum ægrotus feciſſet, abſceſſit tum febris; cum vero deinde reuertiſſet, ad domum Chriſtiani illius profectus ſacram imaginem muro appenſam ſuſtulit, quæ cum puluere*
64 *obtecta eſſet, puluerem imaginis in † aquã miſſum ebibit, ac plane conualuit.*

*Anno Dñi 1585.*

Referemus nunc aliqua, quæ ſcribit Antonius Poſſeuinus eiuſdem ſocietatis vir doctiſſimus, ac in exequendis Apoſtolicæ ſedis mandatis diligentiſs. deque illa optime meritus. Litteris datis ad inclytam Mantuæ Duciſſam Chriſtiana pietate ſane inſignem anno Domini 1585. Is igitur de Eſtonibus Liuoniæ populis agens hæc narrat vernacula lingua, quæ nos in Latinum ſic fere ad verbum tranſtulimus: *Neque vero,* inquit, *in Eccleſiam ingredientes tantum aqua benedicta aſperguntur, ſed & ea faciem veſteſq. lauant, illamq. bibunt, infirmis potandam præbent, ex quo ea conſequuntur quæ paulo poſt referemus: incredibile autem eſt quam magnam illius quantitatem in hebdomada ſancta, ab Eccleſia in eorum domos deferant. Cumq. toto eo terrarum tractu, qui ſine multis paſſuum millibus continetur nullus inter eos medicus reperiatur, ſic infirmi longiſſimis itineribus ad ſacerdotes confluunt, vt pro ipſis orent, vel vt ab eis aliquam agni Dei particulam, quam ſummopere venerantur accipiant; bibuntque ex † aqua benedicta, quorum plerique ob inſignem eorum fidem ſanitatem aſſequuntur.* 65



Et deinde: *Non multo ante tempore Anteſignanus quidam Caluiniſta, doluit aliquando vehementer apud vnũ ex noſtris Patribus, quòd in ſuo diſtrictu (erat enim cuſtos cuiuſdam arcis in Liuonia prouincia) lupos amplius capere non poterat vt ſolebat, cauſans foueas, quæ in eorum capturam fiunt, fuiſſe à ruſticis incantationibus præpeditas. reſpondit Pater habere ſe luſtralem, ſeu benedictam † aquã,* 66 *qua cum loca illa aſperſurum ſe dicebat, vt incantationes illæ diſſoluerentur. Riſit tum Caluiniſta (vt ſolent deridentes omnia hęretici) ſubdens: Ego ſi pręcantationes huiuſmodi aqua luſtrali diſſolutas viderem, lupoſque proptérea capi, crederem profecto, diuinam eſſe rem huiuſmodi aquam. Erat item in quodam eius fundo, qui nuncupabatur Parnomoyſa, domus vicina cuidam lacui, quę ita erat dęmonum vexationibus expoſita, vt nullus omnino illam poſſet inhabitare, vt propterea ruinoſa eſſet effecta. Igitur ſacerdos noſter benedixit de more aquam, foueaſque illas cõſperſit, & confeſtim lupi aliquot capti ſunt. Cum deinde in eodem fundo ſanctum Miſſę ſacrificium celebraſſet, multis eo conuenientibus hominibus, ad domum illam ſacro de more proceſſit, domumq; ſacris exorciſmis, & aqua benedicta luſtrauit, totamque deinde viciniam, affixitque in cacumine pręcelſi montis magnam crucem. Quibus rebus factum eſt, vt domus, viciniaque tota prorſus libera à dęmonum*

*monum infeſtatione remanerent; ac manifeſtius elux it quammaxime dęmones aquam benedictam perhorreſcant.*

Subdit deinde*: Kerpes caſtrum eſt, vnumque ex his quę Moſcouiæ Dux Regi Polonię reſtituit, in quo fuerunt aliquando a Moſcouitis occiſi plures Germani, remanſitque propterea carcer, vniuerſumq. caſtrum ac vicinia vniuerſa dæmonis infeſtationibus expoſita, ita vt dæmon palam, Luna lucente, per noctem equo inſidens laxatis habenis iuxta mœnia diſcurrens, equum ita feſſum relinquens, vt vix ſtare potuiſſet. Aliquando vero Moſcouiti formam induens currum frumento onuſtum humeris tollebat, illũq. meridie videntibus omnibus in lacum quendam vicinum fundo eiuſdem Arcis proijciebat. Peruenerunt propterea incolę ad ſacerdotem, qui Eccleſiaſticis adiuratio-*
67 *nibus, & † aqua luſtrali adhibitis pręſtigia illa penitus diſſoluit.*

Adijcit deinde*: Eſt lacus quidam paluſtris diſtans decem millibus paſſuum ab Odepe, qui fundus eſt Nououendenſi epiſcopatui in Liuonia aſſignatus, qui adeo a dęmone poſſidebatur, vt neceſſarium idcirco eſſet ſingulis annis infantium ſanguine illum placare, alioquin vniuerſam viciniam mirifice affligebat, tempeſtates ciendo, perturbando aerem, tonitrua, ac fulgura excitando, aliaque eiuſcemodi faciendo. Hinc fiebat, vt alterutrum infantes ſubtraherent, in lacumque proijcerent, vel ſaltem vt ſanguinem illis elicerent, qui deinde arefacti moriebantur: quo item in loco erat quidam ita Faſcino, ac dæmoniaca arte oppreſſus*



*oppreſſus vt moueri nullo pacto poſſet, qui vna cum lacu eiſdem adiurationibus & † aqua benedicta protinus ſunt* 68
*liberati.*

Subijcit poſtea*: Accidit anno ſuperiore, vt mulier Moſcouita, quæ cuiuſdam militis erat concubina ita a dęmone vexaretur, illiusq. arte ita fureret, vt nullus illam quietã poſſet reddere. Cumq. res eſſet extra humanam ſpem, vnus e noſtris ſacerdotibus euocatus eſt ad illam curandam, qui precibus adhibitis aquam benedictam ori illius infudit, quam cum mulier ferre non poſſet, proiecit ſtatim, ſimulq. cum ea fœni manipulum. Tum ſacerdos mandauit mulieris*
*cuſtodibus, vt & inuita illa aliquando † aquam benedi-* 69
*ctam ori eius infunderent: qua ex re factum eſt, vt nocte intempeſta euomeret inuolucrum plumarũ, ex qua euomitione ſanitatem conſecuta ad noſtrum templum gratias actura [illegible] vero mulier, hanc incantationibus curare voluerat, incidit in furorem, ac ſe ipſam dentibus lacerans miſere omnino deceſſit.*

Tandẽ nobis ipſis dum hæc ſcribimus fide dignorum relatione innotuit, quod Ferandinæ (quod oppidum eſt diœceſis Materanæ) venerabilis eſt Cappucinorum patrum conuentus, & eccleſia, & quod vniuerſi, qui febri aliqua corripiuntur, confluunt ad ſacram
illam ædem, & ibi † luſtrali fonte ſe aſpergentes, aquæ 70
illius benedictæ aliquantulum bibunt, & gratias agentes Deo, incolumes reuertuntur.

Hæc miracula, quæ collocanda erant cap.5. ſect.3. poſt num.4. placuit hic adſcribere appendicis loco.

*Circa annũ Dñi 69.*

Si ad aquam ſanctificatam referendum eſt quod narratur in vita B. Andreæ Apoſtoli miraculum, vt retulit S. Vincentius in ſermonibus de aqua benedicta, ſerm.9. requiſit.4. ad fin. Et nos pie ad eam referri poſſe credimus, inſigne illud eſt ac primum Eccleſiæ ſæculum reſpiciens. vbi ſic habet Abdias Babylonicus, de cuius libris egimus ſuperius: *Hæc*, inquit, *dicens Apoſtolus benedixit eis, & relictis Philippis, perrexit in Theſſalonicã, vbi iuuenis quidam nobilis erat, diues opibus Exoos nomine, cuius parentes magno in ea ciuitate loco erant. Hic cum de virtutibus beati Andreæ cognouiſſet, venit ad Apoſtolum inſcijs parentibus: & procidens ad pedes eius, rogabat eum, dicens: Oſtende mihi Domine viam veritatis, vt immortalitatem conſequi poſſim. Cognoui enim, quod verus miniſter ſis eius, qui te miſit. Sanctus vero Apoſtolus prædicabat ei Dominum Ieſum Chriſtum, & credidit adoleſcens, ex illa hora adhærens viro Dei, nulla facta vel parentum, vel facultatũ ſuarum mentione. Interea parentes requirentes filium, cum audiuiſſent quod cum Apoſtolo moraretur, accedentes, muneribus filium ab Andrea ſeparare nitebantur. Sed noluit adoleſcens obtemperare, dicens; Vtinam nec vos has opes haberetis: & mundi ſimul cognoſcentes autorem, qui eſt verus Deus, animas veſtras ab ira futura erueretis: quæ dum iuuenis faceret, ſanctus quoque Apoſtolus de-*

*ſcen-*



*ſcendit de triſtega, & prædicabat eis verbum Domini: ſed non audientibus, rediit ad puerum, & clauſit oſtia domus. At illi vocata cohorte, venerunt vt incenderent domum; cumque ſcirpos, & faculas ſubieciſſent, & iam flamma*
*ferretur in altum, arrepta adoleſcens ampulla † aquę: Do-* 71
*mine, inquit, Ieſu Chriſte, in cuius manu omnium elementorum natura conſiſtit, qui arentia inficis, & infecta facis areſcere: qui ignita refrigeras, & extincta ſuccendis: extingue iam hos ignes, vt tui non tepeſcant, ſed magis ad fidem accendantur. & hęc dicens, effudit deſuper aquam ex ampulla: & ſtatim omne incendium ita ſublatum eſt, ac ſi numquam accenſum fuiſſet: quod videntes parentes pueri, dicebant: Ecce filius iam noſter magus effectus eſt. Et adhibentes ſcalas, volebant aſcendere in triſtegam, vt eos interficerent. Dominus autem excæcauit eos, ne viderent aſcenſum ſcalarum. Quumq. in hac peruerſitate durarent, quidam Lyſimachus e ciuibus ait: vt quid o viri, caſſo vos labore conſumitis? Deus enim pugnat pro viris iſtis: & vos non cognoſcitis; deſiſtite ab hac ſtultitia, ne vos cæleſtis ira conſumat. Hæc eo dicente, compunctionis corde dicebant: verus eſt Deus, quem iſti colunt, quem & nos ſequi conſtituimus. Aduenerant autem iam tenebræ noctis, & ſubito lumen affulſit, & omniũ oculi illuminati ſunt, aſcendentesq. vbi erat Apoſtolus cum puero, inuenerunt eum orantem. Proſtrati igitur in pauimento, clamabant, dicentes: Te rogamus Domine, vt ores pro ſeruis tuis, qui errore ſeducti ſunt.* Cuius miraculi meminit etiam Pet. de Natalib. in catalogo Sanctorum lib.1.cap.8.

*Circa annũ Dñi 69.*

Huc pertinere poteſt & aliud B. Thomæ Apoſtoli miraculum, quod refert idem Abdias lib. 9. Apoſtolicæ hiſtoriæ his verbis: *Deinde benedicto pane communicabat eum omnibus dicẽs: Gratia Domini vobiſcum. Accipientibus autem multis de hac gratia, venit quidam adoleſcens; cumq. extendiſſet manum, vt acciperet & ipſe benedictionem, attracta eſt dextera eius, nec poterat eam amplius ad os adducere. quod cum vidiſſet Apoſtolus ait: Ecce omnes qui accipiunt de hoc pane ſanitati redduntur. Dic tu ò iuuenis, quid ſceleris commiſiſti, vt hęc tibi eueniant? At ille tremens ait: Nudiustertius, cum prædicares audiui te dicentem, quod omnes adulteri non haberent partem in regno Dei tui, cumq. domum rediȷſſem vidi vxorem meam mœchari cum viro altero, & ſtatim apprehenſam ſugillaui eam, quę iacet iam domi mortua: quę vt audiuit Apoſtolus iuſſit exhiberi ſibi aquam in hydria, & abluens manus adoleſcentis ſanauit eum.*

Atq. hæc quidẽ ſunt, quæ a nobis reperiri potuere hactenus ſcripta miracula, certo ſcientes accidiſſe multo plura, & in dies in vniuerſo orbe accidere, quę Deus efficit in ſua eccleſia. Licet autem a nobis omnia conquiſita, & relata non ſint; retulimus certe tot, quæ vel impiiſsimum quemquam poſſint conuincere: Tepidiſſimum vero ad illius venerationem, frequentioreq. vſum, certiſſimo & ſalutari fructu inde percipiendo, excitare. Id quod nobis maximum patefecit aditum, vt facilius multo, quæ contra hæreticos dicturi ſumus, & comprobemus, & abſoluamus.

AR-



## ARGVMENTVM.

Quamplura hæreticos olim de aqua, commentos fuiſſe. Circa vero aquam benedictam vehementer illos deliraſſe. Tum quibus rationibus, & autoritatib. conuincantur.

## *RERVM SVMMAE.*

1 *Ebion, a quo & Ebionitæ hæretici, lotionibus aquarum peccata deleri credebat.*

2 *Tatiani, a quibus & Aquariȷ hæretici, aquam tantummodo myſteriȷs adhibebant.*

3 *Aquariorũ hæreſis, quibus ex locis cõuincatur.*

4 *Chriſtus vinum non aquam poſt Reſurrectionem bibit.*

5 *Armeni exiſtimarunt non eſſe miſcẽdam aquã vino in myſteriȷs.*

6 *Sampſæi, qui & Elceſæi hæretici, aquam vt Deũ exiſtimarunt, & ita illã venerabãtur.*

7 *Perſæ & Maſſagetæ inter gentiles præcipue aquam adorabant.*

8 *Aquam non eſſe a Deo creatam, ſed illi coæternam crediderunt aliqui hæretici, & quibus ex locis conuincantur.*

9 *Caluinus aſſeruit nullas eſſe aquas cœlo ſuperiores, quibuſve ex locis hæreſis hæc improbetur.*

*Aquas*

10 Aquas eſſe cælo ſuperiores manifeſtum eſt, neque ſunt Angeli, vt credidit Origenes, quales autem ſint, ſupra ingenij noſtri captum eſt.

11 Flagellantes hæretici, omnium primi, aquam benedictam maledictis inſectati ſunt, quoue tempore hæc hæreſis ſit exorta.

12 Hæretici flagellantes exiſtimabant flagellationem confeſsione potiorem, ac martyrio præferri.

13 Aquam benedictam a nõn benedicta nihil diſtare, nihilque virtutis habere docebant hæretici flagellantes.

14 Lollardi hæretici flagellantium hæreſim ſunt ſecuti circa aquam benedictam, & quo tempore.

15 Joan. de Vveſphalia ſenſit id ipſum quod Lollardi de aqua benedicta, cuius libri combuſti ſunt, quoue id tempore.

16 Magdeburgenſes centuriatores hæretici Lutherani ſequuntur hæreſim Lollardorum. Jtem & Vuittenbergenſes.

17 Benedictiones nihil addere rebus benedictis aſſerunt hæretici.

18 Joan. Caluinus cenſuit conſecrationem aquæ baptiſmalis eſſe incantationem, & pollutionem.



19 Benedicendi verbum ſanctificationem proprie ſignificat.

20 Sanctificatur omnis creatura per verbũ Dei, & orationem.

21 Sanctificatio quæ verbo Dei, & oratione fieri dicitur diuini auxilij imploratio eſt.

22 Diuini auxilij imploratio quænam ſit in ſanctificatione aquæ luſtralis, & aquæ baptiſmalis.

23 Altarium benedictiones.

24 Panis item & ciborum.

25 Veſtium item ſacrarum.

26 Cerei Paſchalis.

27 Agnorum benedictorum originem, & virtutes proſecutus eſt Vincentius Bonardus Prædicatoriæ familiæ laudatus.

28 Benedictio, quæ diuerſis rebus tribuitur, non arguit res benedictas immundas antea fuiſſe, ſed vt immunditia, ac nocumenta quæ accidere poſſunt, pellantur.

29 Benedictionum vſus in veteri teſtamento.

30 Benedictione vſus eſt Chriſtus.

31 Magdeburgenſes hæretici cibos benedicunt, ex B. Pau-

B. Pauli autoritate, aquam tamen benedictam reſpuunt.

32 Aqua, qua Aaron, & filij eius lauabantur.
33 Aqua Zelotypiæ.
34 Aqua luſtrationis, quæ & aſperſionis, & expiationis.
35 Effuſio aquæ in Maſphat a Samuele facta.
36 Quidnam ſignificet effuſio illa iuxta B. Hieronymi ſententiam.
37 Quid iuxta Cyrilli ſententiam.
38 Sale Eliſæus ſanauit aquas.
39 Patrum aliquot teſtimonia circa aquæ ſanctificationem.
40 Baptiſmi conſecratio apud Tertullianum, & S. Auguſtinum, fontis baptiſmalis conſecratio eſt.
41 Tempore B. Gregorij Turonenſis poſt infuſum chriſma aquam ſumebant fideles, vt ſum chriſma aquam ſumebant fideles, vt domos aſpergerent, quod fuit poſtea immutatum, ſtatutumq. vt ante infuſionem chriſmatis eam ſumerent.
42 Miraculis ex aqua benedicta deberent hæretici moueri.
43 Quid cauſæ ſit, ſi ex aqua benedicta, aliquando miracula non eueniant.

Quid-



44 Quidnam reſpondeant Vvittenbergenſes ad autoritates veteris teſtamenti.
45 Quo ſenſu intelligẽda ſint verba Chriſti Matth. 15. Fruſtra colunt me, &c. ex S. Auguſtini ſententia.
46 Voluntarius cultus quibus ſcripturæ locis probetur: & vt eſt Deo gratus.
47 Benedictione meliores creaturæ efficiuntur, ſecus ac Lollardi exiſtiment.
48 Probatur S. Ambroſii autoritate.
49 Et S. Auguſtini.
50 Vis ſanctificationis efficit, vt res ſanctificata fiat timori aduerſarijs poteſtatibus.
51 Conſuetudo, quæ damnari non poteſt, reſpuenda non eſt.
52 Aqua benedicta niſi diabolo eſſet inimica eo ſuadente non improbaretur ab hæreticis.
53 Hæretici ſunt velut rabidi canis morſu ſauciati, vt idcirco aquam intueri non poſſint.
54 Qui a rabido cane ſauciātur, aſpectum aquæ refugiunt.
55 Cardinalium ſanctiſſimæ Inquiſitionis præpoſitorum circa catholicam religionem, ſtudiū.
56 Autores, qui pro aqua benedicta aduerſus hæreticos ſcripſere.

 Per-

57 *Peroratio.*

58 *Exhortatio ad populum ciuitatis, & diœceſis Salernitanæ.*

## CAPVT SEPTIMVM.

IN recenſendis his, quæ hæretici diuerſis ſeculis commenti ſunt circa aquam benedictam, operæpretium facturos nos exiſtimauimus, ſi tractationis noſtræ ordinem ſecuti, explicuerimus prius, quanta fieri poterit breuitate, quæ quoquo tempore circa aquam hæreſes ſunt exortæ, quæve deinde circa aquam ſanctificatam & luſtralem, qua Eccleſia vtitur. breuiſſime etiam ſubijciendo, quibus illæ locis, quibuſve rationibus, ac autoritatibus confutatæ, ac damnatæ ſint.

1 Primus igitur omnium † Ebion, á quo & Ebionitæ tempore S. Ioan. Euangeliſtæ, anno Domini 80. putauit baptiſmis, ac lotionibus aquarum, quibus ille vtebatur, deleri peccata ſtatim atque illa perpetraſſet, vt refert S. Epiphanius hæreſ. 30. aduerſus Ebionitas his verbis: *Et quotidie ſi quando mulieri coniunctus eſſet, & ab ipſa ſurrexiſſet baptizabatur in aquis, ſi copia eſſet marina, aut etiam alijs. Sed & ſi occurriſſet alicui regreſſus ab immerſione in aquas, ac baptiſmo ſimiliter rurſus decurrebat ad immerſionem, atque hoc ſæpe vna cum veſtimentis.* Quo loco S. Epiphanius fuſius proſequitur, ac refellit eius dementiam.

2 Deinde conſecuti ſunt † Tatiani, qui a Tatiano B. Iuſtini martyris, & Philoſophi diſcipulo, qui vixit circa annum Domini 173. temporibus Marci Antonini Philoſophi Imperatoris, & B. Sotheris ſummi Pontificis originem ducentes, aſſeruerunt, aquam tantum in myſteriis adhibendam, docentes vitem ex ſatana, & terra germinaſſe. Quam hæreſim referunt S. Epiphanius hæreſ. 46. aduerſus Tatianos, & S. Hieronymus in cap. 2. Amos prophetæ.

Eandem poſtea ſecuti ſunt Aquarij hæretici, vt S. Auguſtinus, & Philaſtrius docent, qui tamen originem non extulerunt. Sicut cum de Tatiano egerunt inter eius hæreſes, neq. hanc recenſuerunt.

3 Hæreſis † hæc ſatis conuincitur ex contextu Euangeliſtarũ Matthæi, Marci, & Lucæ, qui omnes tradunt vinum in calicem Dominum infundiſſe. ex Concilio Lateranẽſi ſub Inno. iij quod refertur in cap. 1. §. vna. de ſum. Trinit. & fide cath. ibi, *Cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur.* ex cap. cum Marthę §. quæſiuiſti. de celebrat. Miſſa. Ex concil. Carthaginẽſi iij. cap. 24. ex S. Cypriano lib. 2. epiſt. 3. ad Cæcilium. ex S. Ioan. Chryſoſt.
4 homil. 83. in Matth. vbi ſic habet. *Sed cuius rei gratia † non aquam, ſed vinum poſt Reſurrectionem bibit? Pernicioſam quandam hęreſim radicitus euellere voluit eorum, qui aqua in myſterijs vtuntur, ita vt oſtenderet, quia & quando hoc myſterium tradidit, vinum tradidit, & iam*

*poſt reſurrectionem in nuda myſterii menſa vino vſus eſt.* conuincitur & hic error ex his, quæ docet S. Thom. par. 3. q. 74. art. 5. & 6.

Huic alia fuit contraria hæreſis, vt hoc obiter anno-
5 temus, † Armenorum, qui orti circa annum Domini 640. docebant nihil omnino aquæ vino miſcendum in myſteriis, quæ hæreſis damnatur in vj. ſynodo. can. 32. Conuincitur ex præcitata epiſtola S. Cypriani. Ex Theophilacto in cap. 9. Ioannis. & ex d. cap. cum Marthæ. §. quæſiuiſti. de celebr. Miſſar. ex cap. 1. de conſec. diſt. 2. ex d. cap. 24. concil. iij. Carthaginen. relato in cap. in ſacramento. d. diſt. 2. de conſecr.

6 Poſtea † Sampſæi, ſeu Elceſęi, qui in Peræa regione vltra mare mortuum orti eandem cum Ebionitis hæreſim complexi ſunt, anno Domini 195. tempore Septimij Seueri Imperatoris, ac Victoris Papę, vt teſtatur Prateol. lib. 17. cap. 10. arbitrati ſunt, aquam eſſe Deum, ac proinde illam vt Deum venerabantur. Horum hæreſis vti maxima inſania &c. refertur, & con-
7 futatur diligenter a S. Epiphanio hæreſ. 53. † Fuit autem hic gentilium error etiam, præcipue vero Perſarum, ac Maſſagetarum, vt teſtatur Alexander ab Alexandro lib. 5. genial. dierum. Qua de re egimus ſuperius ſatis.

Aliorum hæreſis fuit parum ab hac diſtãs, qui opi-
8 nati ſunt, aquam non eſſe a Deo † creatam, ſed illi coæternam, qui inde decepti ſunt, quod Moyſes dum cap. 1. Geneſ. rerum creationẽ referret, nullam aqua-
rum



rum creationis mẽtionem fecit, ſed tum ſpiritum Domini ſuper aquas ferri teſtatus ſit.

Huius hæreſis nullus certus autor refertur a Philaſtrio, qui illam recẽſet, cuius meminit etiam S. Auguſtinus lib. de hęreſ. hæreſi 76. Illa autem apertiſſime conuincitur ex pſal. 88. *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terrę, & plenitudinem eius tu fundaſti, aquilonem, & mare tu creaſti.* Pſal. item 134. *Omnia quęcunque voluit Dominus fecit in cęlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Conſtat autem congregationes aquarum appellari maria ex d. cap. 1. Geneſ. Satis etiam illius creationem expreſſit Moſes, quando terram creatam dixit, cuius nomen cum ad materiam omnium creatarum ſubſtantiarum corporearum ſe extendat, manifeſtum eſt & aquam comprehendere. Conuincitur ex Symbolo concilij Nicæni, & concilij Conſtantinopolitani, quo aſſeritur Deum viſibilium & inuiſibilium creatoré, quod & Lateranenſi ij. Concilio ſub Innocen. iij. eſt etiam ſancitum cap. firmiter. de ſum. Trinit. &c. fide cathol.

Ioan. Caluinus deinde hęreticorum omnium perditiſſimus & audaciſſimus auſus eſt in commẽtar. in 1. cap. Geneſ. aſſerere, alienum eſſe a ſenſu communi,
9 prorſuſq. incredibile, † aquas eſſe vllas cælo ſuperiores. Cuius quidem impudentia, & delirium conuincitur ſatis ex cap. 1. Geneſ. *Fiat firmamentum, quod diuidat aquas ab aquis, &c.* Et pſal. 103. *Extendens cęlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius.* Et pſal. 148.
*Lau-*

*Laudate eum cęli cęlorum, & aquę omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.* Sic & in cãtico trium puerorum Daniel. 3. *Benedicite aquæ, quæ ſuper cęlos ſunt*
10 *Domino.* Manifeſtum eſt igitur eſſe † aquas has cælo ſuperiores, neque eſſe angelos, vt cenſuit Origenes: quales autem ſint, ſupra ingenij noſtri captũ eſt. Qua de re fuſius agunt S. Baſilius homil. 3. in Hexameron. S. Epiphanius in epiſt. ad Ioan. Hieroſolymitanum, S. Hierony. in epiſt. ad Pammachium, S. Auguſtin. lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 34. Iunibius African. in 1. cap. Geneſ. ex B. Clementis Rom. autoritate lib. 8. recogni. S. Baſilius item, B. Theodoretus, & Euthymius in d pſal. 103. & diſerte S. Ioan. Chryſoſt. in d. pſalm. 148. S. Thom. 1. par. q. 68. art. 2. Sed quia hæc latius proſequitur Fran. Feuarlentius vir doctus, & accuratus in appendicibus ad Alphonſ. aduerſ. hæreſ. non eſt nobis, ad rem noſtram properantibus, hoc loco immorandum.

Circa vero luſtralis aquæ inſtitutionem, & vſum, quod ad rem noſtram attinet diuerſis temporibus diuerſi hæreſum ſectatores illam impugnarunt.

11 Primi igitur omnium † Flagellantes hęretici aquã benedictam maledictis inſectati ſunt, quorum autor a nemine citatur. Exorti autẽ ſunt in Italia primũ circa annũ Domini 1273. deinde per Galliã, & Germaniam propagati temporibus Gregorij decimi, & Rudolphi Imperatoris. Quorum deinde hæreſis maxime inualuit anno Domini 1313. imperante Ludouico



Bauaro ſub Pontificatu Ioannis xxij. Licet Martinus Sanderus vir alioqui doctiſſimus, & diligentiſs. lib. 7. de viſib. monarchia Eccleſiæ, & Georgius Ederus in Mattæologia hæreticorum hanc hæreſim ad annum Domini 1350. referant. Hi, vt Alphonſo & Pratæolo placet, ab actu flagellandi ſe, ita ſunt appellati. Vagantes enim nodoſis, & aculeatis flagellis ſe ipſos afflige-
12 bant † exiſtimantes flagellationem huiuſmodi potiorem eſſe quacunque confeſſione ad delenda peccata, quinimmo martyrio nedum æquabant, ſed præferebant, quod ipſi ſponte proprium funderent ſanguinem: Martyres vero hoc ab aliis pati cogerentur.

13 Inter cæteros nefarios, ac peſtilentes errores, † hũc aſſeruerũt, ſcilicet, aquã benedictã nihilo plus habere virtutis, aut efficaciæ, quam quę benedicta conſecrata, vel exorcizata non ſit.

Circa annum deinde Domini 1360. temporibus Caroli quarti Imp. & Innocentij ſexti ſummi Pont.
14 hæretici quidam ex Vvicleuiſtarum ſecta † Lollardi nuncupati, in Anglia; qui tamen, vt hæreticorum eſt mos, nõ per omnia Vvicleuiſtis conſentiebant, hanc ipſam hæreſim ſecuti ſunt.

15 Quam aſſeruit † deinde Ioannes de Vveſphalia ſuperiore doctor Theologus, qui vixit tempore Federici tertij circa annum Domini 1453. cuius libri deinde combuſti ſunt Moguntiæ per Gerardum Elden, & Iacobum Sprenger Inquiſitores hæreticæ prauitatis ſub eodem Federico, vt teſtatur Bernardus de Luzen-

burgo

burgo,& Alfonſus Caſtrenſis, ita vt mirer, cur id Prateolus vir alioqui accuratus, ad Caroli quinti Imp. & Clementis ſeptimi tempora retulerit.

16 Eandem Lutherani defendunt† Magdeburgenſes, vt teſtatur Fran. Turria. contra eoſdem lib.3.cap.6. quam & ſecuti ſunt Vvittenbergenſes, vt refert Pet. Sot. in aſſertio. cathol. fidei aduerſ. Vvittenbergenſ. cap.30.anno 1549.

Horum pleriq. illud addunt huic hęreſi, vt confir-
17 mando inferant eam idcirco veram eſſe,† quia benedictiones nihil addere poſſunt, ad res, quæ benedicuntur, vt meliores ideo ſint. Sed eſſe huiuſmodi benedictiones opus necromantiæ potius quã veræ Chriſtianæ pietatis, vt refert Thom. Vvaldenſis tom.3. tit.24. cap.178.& Alfonſus Caſtren. d.lib.2.

Nouiſſime Ioan. Caluinus, parans & ipſe iter Antichriſto, circa annum Domini 1533. tempore Clemẽtis ſeptimi Pont. Max. & Caroli V. Imp. hanc hæreſim extendit, ad aquam baptiſmalem, docens bene-
18 dictionem, & conſecrationem † aquæ baptiſmalis eſſe pollutionem, & incantationem; quæ quoniam ad noſtræ aquæ ſanctificationem tanto magis pertinere videtur, a nobis opportune hic videtur adiecta, quam refert Fran. Feuardentius loco ſuperius citato.

Ad confutandas, & diſiiciendas has hęreſes oſtendemus primum benedictionum vſum in Eccleſia antiquiſſimum ex B.Pauli Apoſtoli doctrina.

Deinde demonſtrabimus etiam antiquæ legis au-

toritate



toritate luſtralis aquæ vſum.

Poſtea adiiciemus aliquot Patrum autoritates a nobis ſuperius omiſſas.

Poſtremo adiiciemus noſtras benedictiones eſſe maximi faciendas, ac propterea maiorem habere vim in Chriſtianorũ Eccleſia, quam olim habuerint, pręcipue vero circa aquam. Vt intelligant apertius hæretici quam veſano ducantur ſpiritu, quamque grauiter eludantur ab eorum patre diabolo. Hæc vero a nobis, quanta fieri poterit breuitate tractabuntur, ne videamur eorum multa, quæ explicata iam ſunt, hic ſuperflue repetere.

Inter illa, quę fuſius a nobis de benedicendi verbo, ac benedictionis nomine ſuperius ſect.2.cap.1.expli-
19 cata ſunt, illud num.42. declaratum eſt,† benedicẽdi verbum ſanctificationem propriiſsime ſignificare. id quod deduximus ex inſigni illo B.Pauli loco, 1.ad Timoth.4. *Omnis creatura*, inquit, *Dei bona eſt, nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctifi-*
20 *catur enim per verbum Dei, & orationem.*† Ex quo quidem apertiſſimo, & luculentiſſimo Pauli loco illud deducitur veriſſimum, nimirum, per orationem, & per verbum Dei ſanctificari quæcunque illa ſint: quę quidem oratio, & ſanctificatio, benedictio eſt. Vnde factum eſt, vt quamplurium rerum ſanctificationes, & benedictiones in Eccleſia iam ab illius exordio adhiberentur, quarum multas recenſuimus ſect.2.cap.2.

21 Sanctificatio † vero hæc diuini eſt auxilij imploratio aduerſus nocuas poteſtates, quam implorationem auxilij ſignificat ἔντευξις, vt B. Theodoretus adnotauit in epiſt. 1. ad Timot. cap. 2. Quod & docuit S. Athanaſ. in prologo explanationis pſalmorum ad Marcellinum, cum eos pſalmos notat, in quibus eſt ἐντευχία, ideſt, imploratio auxilij, hoc enim verbo vtitur, pro quo B. Paulus ἔντευξις, quod animaduertit etiam Fran. Turrianus aduerſus Magdeburgenſes lib. 3. cap 6.

22 Hanc diuini auxilij † implorationem licet perſpicere in allegata oratione benedictionis aquæ (vt exemplum ad nos ſpectans afferamus) a S. Clemente relata lib. 8. conſtit. Apoſtolic. cap. 35. *Sanctifica,* inquit, *hanc aquam,* explicat deinde vim ſanctificationis, dicens: *Tribue ei vim ſanandi, & depellendi ęgritudines, & fugandi dæmones, &c.* quæ diuini auxilii imploratio eſt.

Quod licebit etiam reperire in benedictione aquę baptiſmalis, apud eundem S. Clemētem lib. 7. conſt. apoſt. cap. 43. *Deſcende,* inquit, *de cælo, & ſanctifica hanc aquam, da ei gratiam, & virtutem* (quæ imploratio eſt diuini auxilii) *vt qui baptizatur ſecundum mandatum Chriſti tui, cum eo crucifigatur, & commoriatur, &c.*

Et ſi diligentius perſpexeris earum rerum omniũ benedictiones, quibus Eccleſia vtitur in omnibus his videbis aperte ſanctificationem hanc, illiusq. vim per diuini auxilii implorationem.

Cu-



23 Cuiuſmodi ſunt † altarium benedictiones, de quibus agit S. Leo papa epiſt. 66 B. Damaſus in epiſt. de coepiſcopis concil. Hiſpalen. ij. cap. 7. concil. Agatenſ. cap. 14.

24 Panis † item ciborum, & primitiarum, quarum meminimus ſect. 2. cap. 2. num. 14. 15. & 17.

25 Veſtium † item, ac ſacrorum vaſorum, de quibus agit S. Clemens in epiſtola ad Iacobum fratrem Domini.

26 Cerei † item Paſchalis, cuius nos meminimus d. cap. 2. num. 13.

27 Agnorũ † item ex cereo huiuſmodi, quos Sanctiſs. Romanus Pontifex benedicit, quorũ originem, ac virtutes proſecutus eſt diſerte quidem, ac luculenter Vincentius Bonardus Prædicatoriæ familiæ vir doctus, & eruditus peculiari tractatione nuper de hac re Romę edita Aliaq. huiuſmodi quamplura.

28 Benedictio vero hæc non arguit vt ante † hæc immunda fuerint, ſed vt aduerſus immunditiam, quæ accidere poſſit, & ea quæ nocua ſunt vt diximus, præſtent pręſidium, quod perbelle innuit Theophilactus in 1. ad Timoth. cap. 4. in allegatis Pauli verbis, dum ait: *Ergo immundum erit, niſi ſanctificetur? Nequaquam, ſed ex præmiſſis id ponit: nam primum aſſeuerando nihil dicit immundum, deinde concedimus id immundum fieri; habes tamen, quam adhibere poſſis medelam: Cruce obſigna, laudem Deo & gratias redde, ſic immunditia omnis & fœditas dilabetur: cum enim gratias agimus, omnia emun-*

emundantur. quod etiam antea docuerat S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 12. in d. cap. 4.

Docuit ergo recte Paulus, ſanctificationem, ac benedictionem per orationem, & verbum Dei, illaque ſemper ſpiritu ſancto edocta ab ipſis Apoſtolorum tē-
29 poribus vſa eſt Eccleſia. † Quod etiam fieri in veteri teſtamento ſatis licet colligere, Exod. cap. 23. *Vt benedicam panibus tuis, & aquis.* & Leuit. cap. 23. *Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum primitias veſtras ad ſacerdotem, qui eleuabit faſciculum coram Domino, & acceptabile ſit pro vobis altero die ſabbathi, & ſanctificabit illum:* Et Deuteron. cap. 26. præcipit Dominus, vt de fructibus primitiæ offerantur Domino, & dentur ſacerdoti, vt inuocet nomen Domini ſuper eas, & apud Ezechielem, cap. 44. expreſſius habetur: *Primitiua ciborum veſtrorum dabitis ſacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuæ:* quem locum luculenter exponit S. Hieronymus, vt explicuimus d. cap. 2. num. 15.

30 † Sed & Chriſtus Dominus daturus Apoſtolis panem benedixit Matth. 22. Similiter & calicem, & cum cœnaſſet hymnum dixit; vt etiam apud Luc. cap. 22. & 24. habetur. quæ licet de myſtico pane, & calice intelligantur, benedictionis tamen vſus inde manifeſtior fit, vt propterea apertius ſit quod habetur apud B. Paulum d. cap. 4. *Omnis creatura bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* cuius loci autoritate adducti Mag-



31 deburgenſes † ciborum & ipſi benedictionem concedunt, concedentes hoc ex Apoſtolica fieri traditione. Cur autem aquæ benedictionem reſpuant, cum nullam afferant probabilem rationem, fit, vt veſania quadam, vt ſolent in rebus omnibus ducantur.

Sed afferamus aquæ huius ſpecimen quoddam ex ipſis veteris inſtrumenti litteris Exod. 30. Mandauit Dominus, vt labium fieret cum baſi ſua, in quo Aaron, & filij eius lauarentur ante ingreſſum tabernaculi: *Facies,* inquit, *labium æneum cum baſi ſua ad lauandum, ponesque illud inter tabernaculum teſtimo-*
32 *nij, & altare, & miſſa* † *aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus ſuas, ac pedes quando ingreſſuri ſunt ad altare, &c.* quem locum in hunc ſenſum recte adnotauit Ludolphus de vita Chriſti, cap. 12. par. 1.

Num. etiam cap. 5. ſic habetur: *Si ſpiritus zeloty-*
33 *piæ* † *concitauerit virum contra vxorem ſuam, quæ vel polluta eſt, vel falſa ſuſpitione appetitur, adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem ſati farinæ hordeaceæ. Non fundet ſuper eam oleum, nec imponet Thus, quia ſacrificium zelotypię eſt, & oblatio inueſtigans adulterium. Offeret igitur eam ſacerdos, & ſtatuet eam coram Domino, aſſumetque aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi immittet in eam. Cumque ſteterit in*

*in conſpectu Domini diſcooperiet caput eius, & ponet ſuper manus illius ſacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ. Ipſe autem tenebit aquas amariſſimas, in quibus cum execratione maledicta congeſſit, adiurabitque eam, & dicet: ſi non dormiuit vir alienus tecum, & ſi non polluta es deſerto mariti thoro, non te nocebunt aquæ iſtę amariſſimę, in quas maledicta congeſſi. Si autem declinaſti a viro tuo, atque polluta es, & concubuiſti cum alieno viro, his maledictionibus ſubiacebis. Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo tuo, putreſcere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus diſrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictę in ventrem tuum: & vtero tumeſcente putreſcat femur tuum; & reſpondebit mulier Amen, Amen. Scribetque ſacerdos in libello iſta maledicta, & delebit ea aquis amariſſimis, in quas maledicta congeſſit, & dabit ei bibere.* Quo ex loco licet apertiſſime intelligere aquam illam vim habere ex diuina virtute, non autem arte diabolica.

34 Sed erat & luſtrationis † aqua, quæ ad leuitarum etiam ablutionem diuino iuſſu adhibebatur, cuius mentio habetur Num. cap. 8. quæ & ipſa hanc noſtrã videtur reſpicere, vt ſuperius etiam docuimus. *Tolles*, inquit, *leuitas, ex medio filiorum Iſrael, & purificabis eos iuxta hunc ritum; aſpergantur aqua luſtrationis & radant omnes pilos carnis ſuę, &c.* Et cap. 19. verſ. 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Eccleſię, quia Sanctuarium Domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus.* Quæ quidem aqua dicebatur,



batur etiam aſperſionis, & expiationis, vt ex d. cap. 19. poteſt quilibet perſpicere; quæ & leuitis, & vniuerſo populo, ad emundationem vſui erat.

35 Non abſimilem rationem habet † effuſio illa aquæ coram Domino in Maſphat, de qua habetur. 1. Reg. cap. 7. in hæc verba: *Congregate vniuerſum Iſrael in Maſphat, vt orem pro vobis Dominum, & conuenerunt in Maſphat, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi, peccauimus Domino. Iudicauitq. Samuel filios Iſrael in Maſphat.*

Quod ſi B. Hieronymi interpretationem ſequa-
36 mur, † cuius etiam ſupra meminimus, in aquam illam maledicta congeſta erant ad eum modum quo fiebat in aquam zelotypicam. eius autem verba in quæſtionibus, ſeu traditionibus Hebraicis, in libros Regum cap. 7. tom. 3. quæ ideo repetimus, quia huic loco maxime conducunt, hęc ſunt: *Hebræi tradunt, quod coram Domino, in eandem aquam maledicta congeſta ſint: & ſicut in lege mulier zelotypica hauſta aqua probatur, ita & hic idololatrę hac aqua probati ſunt, hi ſcilicet, qui ſe idola coluiſſe penitus denegabant. Tradunt etiam, quod quicunque idololatra hanc aquam guſtaſſet, labia eius ita ſibi adherebant, vt nequaquam ea abinuicem idololatra ſeparare poſſet. hoc indicio idololatra deprehendebatur, & interficiebatur; quod & ſequentia demonſtrant in eo, quod ait: Iudicauitque Samuel filios Iſrael in Maſphat. Iudicare in hoc loco idololatras, ſecundum legem morti tradere*

*dere intelligendum eſt. Dicunt etiam quod Moſes hoc modo idololatras, qui ſibi vitulum fecerant, probauerit, quando arripuit vitulum, & combuſſit, & contritum vſque ad puluerem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſrael.* Ex quibus apertum fit, aquam illam virtute diuina, per inuocationem vim habere, eſſeque magnæ efficaciæ, tantum abeſt, vt diabolica arte hæc facta eſſe dicamus.

37 Vel prædicta† effuſio, ſanctificatio quædam fuit, in typo Chriſti venturi in cuius virtute vim accipiebat aqua, vt S. Cyrillus Alexandrinus interpretatur homil. Paſchal. 18. & 30. quas ἑορταστικὰς inſcriptas reliquit: quo loco ait, Samuelem vidiſſe in ſpiritu verbum, quod eſt fons vitæ fieri hominem, & voluiſſe honorare typo illo ac figura Deum, qui futurus erat homo: *Terra enim,* inquit, *ſuper quam effundebatur aqua ſymbolum erat carnis, quam aſſumpſit, & aqua ſymbolum vitæ, ſic quoque iuſſit Deus.* Exod. 7. *Moyſi ſumere aquam ex fluuio, qui erat ſymbolum filij ex patre tanquam fluuio, ſiue fonte naſcentis, & effundere ſuper terram fiebat ſanguis, qui mortem ſignificabat: ante quam enim Deus homo fieret, mori non potuit: ſimiliter Samuel ſtatim poſt aquam illam effuſam ſuper terram immolauit agnam, qui fuit typus, ac figura Chriſti immolati.* Quod ſi aquæ illius typica ſanctificatio erat efficax ad inimicos profligandos, cur non multo magis vim habebit aquæ per verbum Dei iam incarnati, & pro nobis mortui, ac iuxta Prophetam pſal. 21.





tanquam aqua effuſi ſanctificatio, & ad honorem ipſius aſperſio, tanquam genus oblationis, ad dæmones fugandos, & terrefaciendos.

38 De ſale vero† immiſſo per Eliſæum in aquas, quo illæ ſanatæ ſunt, apertiſſimus etiam eſt locus 4. Reg. cap. 2. in hęc verba: *Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Eliſæum; Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe domine proſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille ait, afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal, quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hęc dicit Dominus, ſanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque ſterilitas. ſanatę ſunt ergo aquæ vſque in diem hanc, iuxta verbum Eliſæi, quod locutus eſt.* Cuius loci autoritatem in hunc ſenſum diſertiſſimis verbis adduxit beatus Alexander Papa eius nominis primus, in epiſt. 1. relatus in cap. aquam ſale. de conſecrat. diſt. 3. cuius contextus verba ſuperius adſcripſimus.

Ex quibus locis omnibus conſtat vim, & ſanctificationem accipere aquam & ſalem per diuini nominis inuocationem, cuius rei teſtimonia apertiſſima addu
39 ximus ſuperius, cap. 2. ſect. 2. † Quibus aliquot etiam nunc addemus quo manifeſtior & firmior hic locus fiat; neque refert ſi qua eorum baptiſmi conſecrationem reſpiciant, quando & illa aquarum ſanctificatio eſt, & huc etiam tendant, vt aperte demonſtrét ſanctificationem hanc eſſe a diuina virtute, non

autem a diabolica poteſtate, vt Lollardi; neque incantationem & pollutionem eſſe, vt perditiſs. Caluinus, exiſtimarunt. Vt vero repetitionis faſtidium lector fugiat, non illum pigebit ea quæ prædicto cap. 2. adduximus, cum his teſtimonia coniungere.

Abdias Babylonicus, ſi ipſius liber eſt, qui circumfertur, Apoſtolorum diſcipulus, qua de re egimus ſuperius: vel ſi Iulius Africanus eſt, vt quidam exiſtimant Tertulliano coætaneus lib. 9. Apoſtolicę hiſtoriæ, dum ſcribit B. Thomam Apoſtolum Indicā mulierem baptizaturum, refert illum prius fontem aquæ ſanctificaſſe his verbis: *Et confeſtim eiecto dæmone mulier ſana facta procedit ad pedes Apoſtoli ſignum ſalutis efflagitans. Ille autem abijt ad fontem, qui erat proximus, & ſanctificauit illum, & baptizauit mulierem, cum multis alijs.*

Tertullianus vir, vt diximus alias Apoſtolicorum temporum lib. de baptiſmo, dum docet ſpiritum illum, qui ad baptiſmi figuram ab initio ferebatur ſuper aquas: ſuper baptiſmi aquas, tanquam priſtinam ſedem recognoſcentem, inuocatum, facile conquieſcere, & immundos ſpiritus per æmulationem aquis incubātes cæleſtis ſuperueniētis Angeli opera coerceri, ſubdit c. 9. *Hęc eſt aqua, quę de comite petra populo defluebat. ſi enim petra Chriſtus, ſine dubio aqua in Chriſto baptiſmum videmus benedici.*

S. Cyrillus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Patriarcha cath. 3. *Non,* inquit, *tanquam aquæ ſimplici ſtudeas huic lauacro, ſed vt ſpiritali gratia, quę cum aqua datur. Nam vt illa, quę in aris (dæmoniorum) offeruntur, cum natura ſint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur: ſic contra aqua ſimplex per ſancti ſpiritus, Chriſti & Patris inuocationem, accepta virtute ſanctitatem conſequitur.*



B. Seuerus Alexandrinus, quondam Patriarcho libello de ritibus baptiſmi, & ſacræ ſynaxis apud Syros Chriſtianos receptis; ſacerdotem cum aquas baptiſmi miſceret ſic oraſſe, ac conſecraſſe refert: *Miſce Domine aquas iſtas, per deprecationem prauitatis meæ, & virtutem ſancti ſpiritus tui efficacem in eis colloca; ita vt ſint ſpiritualis vterus natiuitatis filiorum corruptionis expertium, atque ſeruis hiſce tuis, qui baptizantur in eis concede, vt habeant veſtimentum corruptioni minime obnoxium, & ſolutionem vinculorum peccati per gratiam tuam, & per voluntatem patris tui, ac per efficaciam ſpiritus tui.*

S. Gregorius Nyſſenus in oratione de baptiſmo docet omnem aquam eſſe ad vſum baptiſmatis, ſi modo eius, qui accipit fidem inueniat, & ſacerdotis ſanctificantis benedictionem.

S. Auguſtinus præter citatos iam locos ſerm. 1. de Pentecoſte, qui eſt 181. de tempore: *Hoc enim,* inquit, *ſigno Crucis conſecratur opus dominicum, ſanctificatur fons baptiſmatis, initiantur etiam presbyteri, & cæteri gradus eccleſiaſtici: Et omnia quęcunque ſanctificantur, hoc ſigno Dominicę Crucis cum inuocatione Chriſti nominis*

nis conſecrantur. Et ſerm. 19. de ſanctis. *Hoc ſignum Crucis præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis. Huius Crucis myſterio rudes catechizantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur. Eiuſdem Crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt.* Et lib. 6. contra Iulianum Pelagianum cap. 8. *Signo Crucis conſecratur vnda baptiſmatis, vt ea diluatur reatus, tanquam in chirographo ſcriptus in notitia ſpiritualium poteſtatum per aquas pœna exigitur*
40 *peccatorum.* Et aliis locis quibus ait baptiſmum† conſecrari de fonte, intelligit baptiſmatis tract. 80. in Ioannem, & alibi. quo ſenſu etiã intelligitur Tertulliani locus citatus.

B. Gregorius Turonenſis in libro miraculorum ad corroborationem fidei, qui & in gloriam martyrum eſt inſcriptus, dum miraculum fontium Hiſpaniæ refert, quod nos ſuperius cap. 5. huius ſect. num. 36 retulimus, ſic habet: *Tunc cum exorciſmo ſanctificata aqua, conſperſo deſuper chriſmate, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro ſaluatione reportat, agros, vineaſque aſperſione ſaluberrima curaturus.*

41 Quo loco illud eſt adnotandum † conſuetum eſſe eo tempore, vt aquam poſt infuſum chriſma fideles ſuſciperent, ac ſeruarent ad domos aſpergẽdas, atq. agros, & vineas curandas. Id quod deinde immutatum eſt, ac ſtatutum in capitularibus tempore Caroli, Ludouici, & Lotarij Impp. & ſic poſt ducentum annos, vt fideles aquam e fonte ſanctificato ad vſus iam dictos ſumpturi,



facerent id ante infuſionem chriſmatis, vt declarauimus ſuperius ſect. 2. c. 2. num. 3. ex lib. 6. capitularium cap. 77. relato in cap. in ſabbato Sancto. de cõſecrat. diſt. 4.

B. Gregorius cognomento vere magnus benedictæ aquæ meminit diſertiſſimis verbis, duobus præcipue locis lib. 1. dialog. cap. 10. *Suſceptis itaq.,* inquit, *puerulis diaconus ad epiſcopum reduxit, cui benedictam aquam ſuper membra illius aſperſit.* Et lib. 9. epiſt. 71. ad Mellitũ abbatem: *Cum vero,* ait, *vos Deus omnipotens ad reuerendiſſimum virum fratrem noſtrum Auguſtinum epiſcopum perduxerit, dicite ei, quod diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractaui, videlicet, quia fana idolorum deſtrui in eadem gente minime debeant. Sed ipſa, quæ in eis ſunt idola deſtruantur: aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquię ponantur, &c.*

Præter has & diuinæ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum autoritates ad confirmandum id, quod aſtruere conamur de aquæ benedictæ vi, accedant tot inſignia
42 †miracula, quę omni tempore, & vbiq. locorum acciderunt, quorum pleraq. a ſcriptoribus ſumma fide dignis recenſentur, & quibus non poſſunt hæretici non credere. Quod ſi, vt ſolent ipſi, blaterent adhuc, negentque illa vera eſſe, nihil in contrarium adducentes, dicemus ſi hoc modo liceat diſputare, nihil erit in tota catholica religione tam certum tamque indubitatum, quod ipſi facile nõ poſſint inficere, ac reprobare.

Neque

Neq. audiendi ſunt, dum aiunt hoc tempore eiuſ-
43 modi miracula videri non ſolere. † Nam ex allatis exemplis hoc falſum eſt. Neque vero id quicquam vrget. Nam ſi effectus hi aliquando non videantur, id fortaſſis ex fidei hæſitantia accidit, & ſpiritus deſidia, qua quidem fideles ipſi præpediuntur: vel quia ad vtilitatem fidelium, vel Eccleſiæ ſuæ non iudicat neceſſariũ diuina prouidẽtia, nõ ex defectu virtutis ipſius aquę: quam ob cauſam plerique hominum aliis multis hodie non fruuntur inſignibus & gratiis, quæ Chriſtus ſaluator noſter in cælum aſcendens ſuis fidelibus pollicitus eſt Mar. vlt. Vel certe non negabunt hæretici apud ipſos, qui integram Euangelij diſciplinam falſo ſibi arrogant, neminem eſſe, qui a dęmonum cruciatibus corpora liberet, qui ęgrotos diuina virtute ſanet, ſerpentes expellat, atq. tuto uenena ebibere poſſit, atque alijs honoribus inſignibus ſit exornatus, quæ chriſtianis hominibus promiſit Chriſtus. Ita ut compellantur fateri eorum id culpæ, non fidei infirmitati tribuendum.

His quæ ſuperius ex veteri teſtamento de aqua luſtrationis, ac zelotypiæ adducta ſunt, reſpondent hæ-
44 retici† Vvittenbergenſes ex illis ad hanc non rectè inferri, quando aquæ illæ expreſſo Dei præcepto ſtatutæ ſunt. Hæc autem ad illarum imitationem non eſt verbo Dei mandata, ſed humano arbitrio vſitata, vt propterea Chriſtus dixerit: *Fruſtra colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.* Matt. 15. & Mar. 7. adduntque



duntque Magdeburgenſes, quod cum cultus iſte voluntarius ſit, vix abeſt ab idololatriæ & ſuperſtitionis uitio.

Sed fateamur quod aiunt Vvittenbergenſes, aſperſiones veteris teſtamenti eſſe a Domino mandatas: non tamen recte inferunt, hanc qua ex Apoſtolorum traditione Eccleſia vtitur, idcirco eſſe prohibitam.
45 Neque† vero Saluatoris noſtri dictum, *Fruſtra colunt me, &c.* quod paſſim vſurpant, ſemperque in ore habent, quicquam facit. Nam ex ipſamet Chriſti doctrina apparet intelligi de his, quæ ſunt contra fidem, vel contra bonos mores, vt docet S. Auguſt. epiſt. 1. ad Ianuar. quæ eſt num. 118. cap. 2. & cap. 3. & epiſt. ſeq. cap. 18. & cap. 19. Alioqui enim, quæ exhortationem habent melioris vitæ nuſquam in lege noua prohibita ſunt, etiam ſi ex veteri lege, vel ex ritu gẽtium veniant; in veram tamen fidem relata, vt explicuimus ex S. Leone ſerm. 4. de ieiunio ſeptimi menſis ſupra ſect. 2. cap. 2. in princ. verba Auguſtini hæc ſunt cap. 18. de variis ritibus: *Vna in his ſaluberrima regula tenenda eſt, vt quæ non ſunt contra fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationẽ vitę melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur. ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius timendum ſit.*

Sed illud eſt addendum, quod ſi aſperſio veteris legis vim habebat, quia in fide Chriſti venturi celebrabatur

brabatur: omnia enim in figura contingebant illis, & prophetica, ac typica ſanctificatio creaturæ ea efficiebat, tanto magis euangelica & apoſtolica in virtute Chriſti pro nobis crucifixi facta diſertis verbis Pauli Apoſtoli tradita d. cap. 4. Alioqui nouum teſtamentum veteri non conſonaret.

46 Quæ vero de voluntario † cultu afferunt Magdeburgenſes, inepta plane ſunt & ridicula, quaſi Dominus non laudauerit illos, qui ſe caſtrauerunt propter Chriſtum Matth. 19. Non acceptauerit item ouem & bouem cauda & aure amputatis, ſi voluntarie non ex voto offerrentur, Leui. 22. Et non dixerit Dauid: *Voluntarie ſacrificabo tibi, quoniam bonum eſt:* Pſal. 53. Et alibi: *Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Pſal. 118. quo loco illud iuraui voluntarium certe eſſe nemo negabit, quod indicant ſtatim ſequentia: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* & Paulus 1. Cor. 7. *Nam qui ſtatuit in corde ſuo non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* Quibus locis apertiſſime voluntarius a neceſſario cultu diſtinguitur, & vtrumque gratum Deo eſſe oſtenditur, contra quam ac impij Magdeburgenſes exiſtimarunt.

Poſtremo diluenda nobis eſt friuola illa, & inanis ratio, qua vtuntur Lollardi aduerſus aquæ ſanctificationem: quia, inquiunt, noſtra benedictione res meliores efficere non poſſumus. quæ ratio ita falſa eſt,
47 vt cogantur omnino concedere contrarium. † Deus enim quotidie nouas creat animas, quæ & ſi natura

bonæ



bonæ ſint, non tamen eas bonas creat in gratia, quæ ſi nullo pacto meliores effici poſſent, quia hoc eis eſſet impoſſibile, videretur culpa in Deum reijcienda, qui illas ſic creauerit, quæ quidem abſurdiſſima ſunt.

Efficiuntur igitur meliores creaturæ per hominum benedictionem, quam a Deo creatæ ſint, earumque natura per illam quaſi in melius mutatur; id quod diſertiſſimis verbis, & fuſius docet S. Ambroſius in libro de ijs, qui myſteriis initiantur cap. 9. vbi inter cætera ſic habet: *Et hoc nobis ſupereſt, vt probemus: quantis igitur vtimur exemplis? Probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq. vim eſſe benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, proiecit eam, & facta eſt ſerpens; rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam reuertitur.* Et paulo poſt: *Aduertimus igitur maioris eſſe virtutis gratiam, quam naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. quod ſi tãtum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa conſecratione diuina?*

Et S. Auguſtinus lib. quæſtio. veteris & noui teſta-
49 menti, cap. 27. † *Sicut per culturam,* inquit, *melioranda erant ſemina, ita & hominum genus adhibita cura id ſtuderet, vt creatoris cognitione percepta, vitam ſuam frænaret, ad promerendum eum vt ſimul omnino proficerent ad laudem & gloriam creatoris: Omnia enim, quæ*

 *facta*

*ſunt Dei nutu multiplicata, & meliorata ſunt ſuper terram. Nec enim aliter poſſet creſcere, quam Dei voluntas & benedictio decreuit ſeminibus: quomodo ergo dici poteſt male fieri, aut non licere, quod ex Dei benedictione, & ipſo fauente augmentum facit. Cuius rei traditio & in ſynagoga manſit, & nunc in Eccleſia celebratur, vt Dei creatura ſub Dei benedictione iungatur, non vtiq; per præſumptionem, quia ab ipſo autore ſic data eſt forma. Et ſi ceſſare debere putatur, tunc ceſſare debebit, quando ceſſatura & illa ſunt, quæ ſimiliter benedicta ſunt, vt multiplicarentur.*

Ex benedictione igitur, quæ adhibetur, hoc recipit res benedicta non ab homine, ſed a Deo, vt melior ſit: præcipue vero aqua, vt ſtatis precibus ſanctificata, eas omnes virtutes a Deo recipiat, quas ſuperius enu-
50 merauimus. † Vis enim ſanctificationis ea eſt, vt quod ſanctificatur fiat timori aduerſarijs poteſtatibus; quo ſenſu videtur Eſa. cap. 8. ſanctificationis verbum accepiſſe: *Dominum virtutum ipſum ſanctificate*, ideſt, facite, vt ſit vobis timori. Vnde ſubdit interpretans quod dixerat: *Ipſe erit timor tuus, & ſi in ipſo confiſus fueris, ipſe erit tibi in ſanctificationem*: ſic enim habent Septuaginta, ideſt, ipſe mundabit te. Recipit igitur aqua hæc per implorationem diuini auxilij, quæ fit per verbum Dei, ſpiritualem vim quandam aduerſus ea, quæ nocere poſſunt. Ac propterea ab Apoſtolis tradita ſumma cum ratione in Eccleſia cuſtodita eſt, in qua & facta ſunt ſemper, ac fiunt,





fientque præclara miracula per illius vſum: & vt cum B. Dionyſio concludamus, cum de ſymbolicis baptiſmi cæremoniis agit. Et ſi nihil in his ſymbolicis elementis aquæ & ſalis diuinius eſſet, præterquam doceri nos in ęnigmate per naturam aquæ, quæ ad abluendas ſordes valet, & per naturam ſalis, qui ſuauitatem & ſalubritatem cibis affert, & a corruptione ſeruat, vt habeamus vitam a ſordibus peccatorum mundam, doctrinamque ſanam, ac ſermonem ſale conditum, qui det gratiam audientibus, ideſt, qui ſit bonus ad ædificationem fidei, & vt caueamus ab ea, quæ eſt in mundo, concupiſcentiæ corruptione; ſatis eſſet ad colendam hanc ſalis & aquæ benedictionem. Cui tamen accedit ſanctificatio, ac diuina ope datur virtus ea omnia operandi, quæ S. Alexander ex Apoſtolorum inſtitutione commemorat, ac tantis miraculis ſunt confirmata, omniumque eccleſiarum occidentis & orientis, immo totius fere orbis vſu comprobata, vt ex multarum nationum hanc aquam benedicēdi ritibus, quos ad operis calcē adijciemus, fiet perſpicuum. Quo circa recte Tertullianus lib. de vir-
51 ginibus velandis. *Non poſſumus*, inquit, *reſpuere† conſuetudinem, quā damnare non poſſumus, vt pote nō extraneā, quia non extraneorum, cum quibus ſcilicet communicamus ius pacis, & nomen fraternitatis, vna nobis & illis fides, vnus Deus, idē Chriſtus, eadē ſpes, eadem lauacri ſacramēta, ſemel dixerim, vna Eccleſia ſumus. Ita noſtrū eſt, quodcunq; noſtrorū eſt: cęterū diuidis corpus tā hic, ſicut in om-*

aſſert. catholi. fidei contra Vvittenbergenſes c. 30. Stanislaus Hoſius in confeſſ. cathol. fidei c. 89. Alanus Copus dialog. primo c. 3. Fran. Turrianus lib. 3. contra Magdeburgen. c. 6. & lib. 5. c. 4. Fran. Feuardentius in appendic. aduerſ. hæreſ. Vvillem. Lindanus epiſcopus Rurgermundenſis in ſua panoplia c. 99. Renat. Benedict. in panopl. fol. 170. Felicia. Capitonus cathol. explicat. par. 3. explicat. 83.

57 Videmur † hactenus ea præſtitiſſe, quæ nobis præſenti tractatione propoſita erant: nimirum, quod cũ aqua ſuapte natura tam præcipuum, tam vtile & neceſſarium, tamque inſignibus qualitatibus exornatũ elementum ſit, ac propterea cum apud Ethnicos tum vero Hæbreos, Chriſtianoſq; ſummo ſemper loco ſit habita. Maiori ſane erit veneratione digna, ſi diuini nominis inuocatione, myſticaque ſalis adiectione, ſtatis ab Eccleſia precibus, illiuſque miniſtris erit ſanctificata, expectandique erunt a nobis omnes ij fructus, quos ſuperius enumerauimus, ſi quod noſtri muneris eſt pie & ex animo, utque rectos Chriſtianos decet, illa
58 utamur. † Quod & ſi ab omnibus expetendum eſt, præcipue vero a vobis, dilectiſsimi, quorum cura noſtris humeris impar eſt demandata, & expetimus, ac contendimus, atque vniuerſis animi noſtri conatibus exoptamus. Rogamuſque vos, ac hortamur per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, vt hoc ſalutari, & facile cunctis expoſito remedio ad ueſtrarum animarum ſalutem, ſalutaremque rerum, domorum, agrorum



agrorum, animantium conſeruationem, ſalutariter a Beatiſsimo hoc Apoſtolo & Euangeliſta, cuius incõparabili theſauro corporis non immerito gloriamini inſtituto, ita pie, ita religioſe, ea animi propenſione, eoque æternæ ſalutis deſiderio vtamini, ut quod nobis, piæque matri Eccleſiæ in optatis eſt, malis etiã hic occurrentibus, quibus hæc aqua delendis præparata eſt, liberati in cæleſtem uitam euecti perennis, diuinique illius fontis participes effecti, perpetuum, æternumque cum Chriſto Domino regnetis. Vtque laborem hunc a nobis alacri animo veſtri cauſa ſuſceptum, ſalutaris fructus is conſequatur, vt aliqua ex parte officio noſtro ſatisfeciſſe videamur, ac vobiſcum in cœleſti patria ſempiterna lætitia perfruamur.

F I N I S.

# RITVS VARII BENEDICTIONIS AQVAE.

*Vt manifeſtior fiat vſus aquæ benedictæ apud omnes fere nationes, quæ Chriſti fidem profitentur; curauimus adijciēdos earum ritus, quo vtuntur in huiuſmodi aqua benedicēda, vt concors communisq. totius Eccleſiæ conſenſio in ea re omnibus appareat, videantq. hæretici, quam maxime delirent.*

Ex Miſſali Romano.

## ORDO AD FACIENDAM Aquam benedictam.

*Die Dominica, in ſacriſtia præparato ſale & aqua ſacerdos celebraturus Miſſam, vel alius ad id deputatus alba vel ſuper pelliceo indutus cum ſtola circa collum, primo dicit*

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

*Deinde abſolute incipit exorciſmum Salis.*

EXorcizo te, creatura ſalis, per Deum ✠ viuum: per Deum ✠ verum: per Deum ✠ ſanctum: per Deum, qui te per Eliſæũ prophetam in aquam mitti iuſſit vt ſanaretur ſterilitas aquę: vt efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium: & ſis omnibus ſumentibus te ſanitas animæ & corporis: & effugiat atque diſcedat a loco in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia & nequitia vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adiuratus. Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen. *Oratio.*

IMmenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hãc creaturam ſalis, quam in vſum generis humani tribuiſti, bene ✠ dicere, & ſancti ✠ ficare tua pietate digneris: vt ſit omnibus ſumẽtibus ſalus mentis & corporis: & quicquid ex eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

*Exorciſmus aquę: & dicatur abſolute.*

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei ✠ patris omnipotentis, & in nomine ✠ Ieſu Chriſti filij eius domini noſtri, & in virtute Sancti ✠ ſpiritus: vt fias aqua exorcizata ad effugandam





omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis ſuis apoſtaticis: per virtutem eiuſdem domini noſtri Ieſu Chriſti: qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen. *Oratio.*

DEus, qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtãtia condidiſti: adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde: vt creatura tua myſteriis tuis ſeruiens, ad abigendos dæmones, morboſq. pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectũ: vt quicquid in domibus vel in locis fidelium, hæc vnda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, nõ aura corrũpens: diſcedant oẽs inſidiæ latentis inimici: & ſiquid eſt, quod aut incolumitati habitãtiũ inuidet, aut quieti, aſperſione huius aquæ effugiat: vt ſalubritas per inuocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

*Hic mittat ſal in aquam in modum crucis dicendo ſemel.*

COmmiſtio ſalis & aquæ pariter fiat: in nomine pa ✠ tris, & fi ✠ lij, & ſpiritus ✠ ſancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.*

DEus inuictæ virtutis autor, & inſuperabilis imperij rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui aduerſæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſæuitiam ſuperas: qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te domine trementes, & ſupplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter aſpicias: benignus illuſtres: pietatis tuæ rore ſanctifices, vt vbicunque fuerit aſperſa, per inuocationem ſancti tui nominis, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur: terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur: & præſentia ſancti ſpiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus, vbique adeſſe dignetur. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

*Finita benedictione, Sacerdos celebraturus indutus pluuiali coloris officio conuenientis, accedit ad altare, & ibi ad gradus cum miniſtris genuflexus accipit a Diacono aſperſorium, & primo ter aſpergit altare, deinde ſe & miniſtros, incipiens antiphonam.* Aſperges me.

*Et Chorus proſequitur,* Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

*Interim celebrans aſpergit Clerum, deinde populum dicens, Pſalmus.* Miſerere mei Deus. Gloria patri.

*Antiphona.* Aſperges me domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

*Pſalmus.* Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.





℣. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, &c. in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Et repetitur antiphona.* Aſperges me domine.

*Supradicta antiphona prædicto modo dicatur in aſperſione aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum: excepto quod in Dominica de Paſſione, & in Dominica Palmarum non dicitur* Gloria patri. *Sed poſt pſalmum,* Miſerere mei. *repetitur immediate Antiphona.* Aſperges me domine. *Excepto etiam tempore Paſchali, ſcilicet a Dominica Paſchæ vſque ad Pentecoſten, quo tempore cantatur communiter.*

*Antiphona.* Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluia: & omnes ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt, & dicent, alleluia, alleluia.

*Pſalmus.* Confitemini domino quoniã bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

℣. Gloria patri, & filio, & ſpi. &c.

*Repetitur Antiphona.* Vidi aquam egredientem, &c.

*In octaua vero Pentecoſten reſumitur.* Aſperges me domine hyſſopo, & mundabor, &c.

*Finitis Antiphonis ſupradicto modo ſacerdos qui aſperſit aquam, reuerſus ad altare ante gradus altaris ſtans dicat.* ℣. Oſtende nobis domine miſericordiam tuã.

*Tempore Paſchali additur,* Alleluia.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

*Oratio.*

EXaudi nos, domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris ſanctum angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen.



# RITVS BENEDICENDI AQVAM

*Ex Miſſali Eccleſiæ Salernitanæ, idem per omnia eſt cum ritu Miſſalis Rom. præterquam quod poſt commiſtionem ſalis & aquæ additur ſequens Oratio.*

*Oremus.*

PRæſta, quæſumus Domine, tuum ſalubre remedium ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, vt vbicunq. aſperſa fuerit, ad animę & corporis proficiat ſanitatem. Per Chriſtum dominum noſtrum.

*Deinde ſequitur.*

DEus inuictę virtutis autor. *Et reliqua, vt in Miſſali Romano.*

*Ritus Eccleſię Gallicanæ, circa benedictionẽ aquæ idem eſt omnino cum ritu Miſſalis Romani.*

RITVS

# RITVS BENEDICTIONIS AQVAE

## EX MISSALI MISTO SECVNDVM regulam B. Iſidori, dicto Mozarabes, cuius copiam nobis fecit Alfonſus Ciaconus ord. Prædicatorum, vir diuinis ac humanis litteris, variaq. rerum cognitione apprime eruditus.

*SVnt autem Mozarabes (vt ad rei, de qua agitur intelligentiam, hoc adnotemus) inde dicti quaſi miſti Arabibus viuerent. Nam cum per Mauros & Arabes vniuerſa Hiſpania incēdijs cædibusq. ad an. Domini 714. vaſtata in illorū ditionē ueniſſet, qui ſub illorū imperio viuere uoluerūt, ſuis ſacris retētis Arabibus permiſti, Miſtarabes dicti ſunt, & illorum eccleſiaſticus ritus officium Miſtarabum. Quæ vox cum temporis diuturnitate, tum barbarorum*



*rum lingua eſt corrupta, & in Mozarabum degenerauit, qua nunc vulgus vtitur.*

*Ritus autem is, vt vniformis in omnibus Hiſpaniarum eſſet Eccleſiis, iuxta decretum Toletani Concilij quarti, a B. Iſidoro, cui ea cura demandata fuit, Hiſpalenſi præſule, quæ tūc ciuitas regia erat, collectus, ac eius nomine Iſidorianum officium eſt nuncupatum. quamquam alij Leandrum antiquiorem Hiſpalenſis Eccleſiæ antiſtitem ei muneri præfectum velint, ac Iſidorum comitem illi datum. Quod Jſidorianum officiū perſeuerauit in Hiſpanis Eccleſiis quamdiu res Gotthorum floruerunt, hoc eſt centum viginti circiter annos, vſque ad calamitatem, cuius ſuperius meminimus: poſt quam in ſex Eccleſiis Toleti a Miſtarabibus retētus fuit, et Toletanū propterea officium appellatum. Introducto deinde Gregoriano ritu, Alfonſi Regis Ferdinandi Magni F. temporibus Conſtātiæ Reginæ inſtigatione multo poſt tempore Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus in prædictis ſex Eccleſiis, et in certa tēpli Toletani parte officium Jſidorianum retinuit, illudque imprimendum curauit, quod Mozarabum appellatur. Id quod teſtantur Jo. Vaſæus in Annali-*

*bus Hiſpaniæ ann. 717. Et Aluarus Gomecius lib. 2. de rebus geſtis Franciſci Ximenij.*

*Benedictio aquæ.*

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

*Hic faciat ſacerdos ſignum crucis in ipſo ſale & inſufflet tribus vicibus: & poſtmodum dicat hunc ſequentem exorciſmum.*

*Exorciſmus ſalis.*

EXorcizo te creatura ſalis, In nomine pa✠tris, & fi✠lij, & ſpiri✠tus ſancti: qui te per Eliſæum in aqua mitti iuſſit, vt ſanarentur aquæ ſteriles. Quique diuina oris ſui voce ait: Vos eſtis ſal terræ. Et per Apoſtolum ſuum vas electionis: Sermo veſter ſit ſale conditum. Ideoque efficere ſal exorcizatum, vt ſit in remiſsionem peccatorum & ſanitatem mentium. In protectionem animi atque corporis. In confirmationem ſalutis ad expellendas & excludendas omnes dæmonum tentationes, In nomine Dei pa✠tris omnipotentis ✠ & Ieſu Chriſti filij eius ✠ qui in trinitate vnus viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ora-



*Oratio.*

VIrtutis tuæ inuictam fortitudinem deprecamur domine ſancte pater æterne omnipotens Deus, qui inter omnia neceſſaria, quę per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum procreare iuſſiſti, non minimā gratiam conferre dignatus es ſali, vt ex illo poſſint vniuerſa condiri omnibus ad eſcam, per tuum filium Dominum noſtrum procreaſti: te ſupplices exoramus, vt hoc ſal digneris aſpicere: Quatenus maieſtatis tuæ virtute contra omnes ſpiritus immundos valorem poſſit accipere. Expellat ab omni loco vbi tua fuerit inuocatione adſperſum, quicquid poteſt eſſe peſtiferum, vt exhibeat plenum ſalutis effectum. Deterreat omnes præſtigias inimici, & omnia monſtruoſorum genera longius faciat effugare. Grauedines omnes, phantaſiaſq. compeſcat: & per ſignum crucis filij tui Domini noſtri tutelam fideliſsimam deſiderantibus præſtet.

℟. Amen.

*Deinde fertur aqua in vrceo ad ſacrandā: & inſufflet ibidem tribus vicibus, & dicat exorciſmum.*

*Exorciſmus aquę. Oratio.*

DIſcede immunde ſpiritus ab omnibus, quibus fides noſtra vſura eſt religionis officij ſacramentis, nec prætendas culpam criminis, qui agnoſcis potentiam Saluatoris. Non ex meriti

ti confidentia, ſed præcepto. Licet ipſa poteſtas miniſterij dignitas ſit miniſtri. Te igitur communem dominum aquæ creaturæ conuenio, vt conſeruante motus ſenſibilitatis, intelligens ſubijci ſeruicio: quo placere Deo vtimur, non recuſes. Omnem a te communionem dæmonum, omne collegium iniquitatis expurges. Totam phantaſmatis labem, capax dominicæ protectionis extermines: vt gratia ſanctificationis indepta, tuo noſtroque pariter creatori debito famulatu deſeruiens, omnem ſpirituum prauorum nequiciam, quocunque loco fuerit adſparſa deijcias: & ſancte copiam benedictionis inducas. ℟. Amen.

℣. Per miſericordiam tuam Deus noſter: qui es benedictus & viuis & omnia regis in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Humilate vos benedictioni.

℣. Dominus ſit ſemper vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. Benedictio.

Domine ſancte pater omnipotés æterne Deus, inſtitutor & conditor omnium elemētorum, qui per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum elementū hoc aquæ in ſalutem humani generis eſſe voluiſti: te ſupplices deprecamur: vt exauditis orationibus noſtris, illud tuæ pietatis reſpectu ſanctifices: atque ita ab ea omnium ſpirituum immundorum recedat incurſio, vt vbicunque fuerit in nomine tuo adſparſa, gratia tuæ benedictionis adueniat, & mala omnia te propiciante recedant. ℟. Amen.

Per



Per miſericordiam tuam Deus noſter: qui es benedictus, & viuis, &c.

Humilate vos benedictioni.

Dominus ſit ſemper vobiſcum.

Et cum ſpiritu tuo.

*Hæc aqua iam ſanctificata in Cruce ſalis ponitur, & dicit.*

Commiſtio ſalis & aquæ. In nomine pa ✠ tris & fi ✠ lij, & ſpiritus ✠ ſancti, qui regnat Deus in ſęcula ſæculorum.

℟. Amen.

*Poſt miſtionem ſalis & aquę. Oratio.*

Æterne omnipotens Deus, qui nobis a te conditam creaturam aquæ: vbi diſtinxiſti vt liquorem ſimplicem ad lauacrum, ſalſam ſodalitatem pręberes ad condimentum: quatenus & ſordida poſſint ablui, & fatua imbui: Quo & noxa tolleretur originalis: & corrigeretur error ad viam ſalutis. Te officij noſtri functione, immeriti deprecamur, vt hæc ſalis & aquæ in tuo nomine facta permiſtio clementię tuæ ſanctificetur obtutu, quodque myſterialiter baptiſmo ad commodum: culpæ traducis inimicum ſapientię actum erroris manifeſtas aduerſum, ſancti ſpiritus tui ſanctitate reddas ſanctificatum. Nec vllo contagio reddatur immundum, quo tua fieri credimus maieſtate beatum: ſed ita per te plenum præbeat ſanctificationis effectum, vt vbicunque inuocato nomine tuo fuerit manu emiſſum, vel modo quolibet

libet aſſumptum, expulſis & exploſis omnibus inſidijs contrarię poteſtatis, non ſolum cuncta dæmonum machinamenta ex eodem loco fugata deficiant: ſed etiam ſanctorum angelorum cuſtodia ſemper ibi manſura conſiſtat.

℟. Amen.

Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus & viuis & omnia regis in ſęcula ſæculorũ. ℟. Amẽ.

Humiliate vos benedictioni.

℣. Dominus ſit ſemper vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Benedictio Dei patris omnipotentis, & filij, & ſpiritus ſancti deſcendat & maneat ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ. ℟. Amen.

*Antiphona.* Sparſit nos Deus hyſſopo, & mundabimur: lauabis nos, & ſuper niuem dealbabis nos.

℣. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

*Pſalmus.* Lauabis.

℣. Gloria & honor patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

*Pſalmus.* Lauabis.

℣. Oſtende nobis domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Beati qui habitant in domo tua domine.

℟. In ſæcula ſæculorum laudabunt te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣.



℣. Dominus ſit ſemper vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

